




Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. — *Ioh. Christ. Kolb exc. Aug. Vind.*

ROMA SANCTA
sive
BENEDICTI XIII.
Pontificis Maximi
&
Eminentissimorum & Reverendissimorum
S. R. E. Cardinalium
VIVA VIRTUTUM IMAGO

Æri & literis in perennaturam Virtutum memoriam incisa.

Continentur Vitæ, Familiæ, Patriæ, Legationes, aliáque scitu & memoratu digna

Omnium S. R. E. Cardinalium

Qui
Ultimo Conclavi anno 1724 interfuêre.
Præter eos
Qui à Sanctissimo Patre Benedicto XIII.
neo-denominati fuêre.
Quibus Supplementi Loco
in singulos 6. Menses post creationem accedent,
quotquot S. R. E. Cardinales denominari contigerit.
Omnia desumpta
Ex fidis manuscriptis, Relationibus, publicis monumentis.
Historicam Relationem adumbrante
Joan. Rudolph. Conlin Canonico ad S. Petrum Augustæ
Icones cælante
Joanne Christophoro Kolb, Calcographo Augustano.

Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis,
& cum Permissu Superiorum.

Augustæ Vindelicorum Anno MDCCXXVI.

Sanctiſſime Pater

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi S. R. Eccleſiæ Cardinales.

EA eſt eximiarum Virtutum vis, ut ſuis neutiquam includenda finibus, in exteras etiam regiones quàm longiſsimè propaletur. Non poteſt ſol, ſuo ſe ſatis ſplendore prodens, mortalium oculis ſubduci; nec ſidera, ſuo ſole animata, unquam deficere. Sol nobis es, *Sanctiſsime Pater*, qui virtutum tuarum radiis orbem illuſtras univerſum; Sidera eſtis, *Eminentiſsimi & Reverendiſsimi S. R. Eccleſiæ Cardinales*; qui lucem, quam Solibus veſtris debetis, in omnes quaquaver-

quaversus orbis plagas latè diffunditis. Hinc totus orthodoxus orbis in eo unicè allaborat, ut excogitabilia quæque debitissimæ gratitudinis syngrapha tam beneficis astris suis rependat; Quod tunc maximè fit, cùm nomina vestra, quæ scripta sunt in cœlis, publicis literis & typis, utpote immortalitate digna, insculpuntur in terris. Nec nos Germanos tam frigidum cœlum animat, ut Romanæ beneficentiæ radiis luculenter perstricti, beneficia nostra non agnoscamus. His ego unicè cogitationibus permotus, in gratissimi animi tesseram meas qualescunque Musas in subsidium advocavi, vivam virtutum vestrarum Imaginem, etsi non Romanâ, prout fieri deceret, facundiâ, Germano saltem candore delineaturus. Dum Solem, Sidera, Cœlum imitamini, à Sacratissimis aris vestris neminem, gratitudinis thura afferentem repelletis. Si stilus rerum magnitudini succumbat, Vos ipsos, ignoscite libertati, in partem culpæ substituo, utpote qui majora geritis, quàm literatissimus quisque, à quorum tamen laude me quàm longissimè abesse sentio, oratione complecti valeat. Vive igitur Benedicte, térque quatérque Benedicte, qui nobis venis in nomine Domini. Eris Sol noster nunquam occiduus, & ex hujus Orbis hemisphærio satìs serò aliquando subductus, pulcherrimè splendebis sedibus in Empyreis, quas meritis jam diu occupâsti. Vivite Lucidissima Orbis Sidera Eminentissimi & Reverendissimi D.D. Cardinales, & plenâ vestrarum sapientiarum & virtutum luce quàm diutissimè orbem beate. Iterum: VIVe BeneDICte soL noster: fVLgete Vnâ nItIDa orbIs sIDera.

Sanctitatis Tuæ
Et Eminentiarum Vestrarum

Humillimus, submississimus
Joann. Rud. Conlin.

Amice Lector,

Licet suo se satis fulgore virtus prodat, nec laudatore indigeat, rem tamen præsenti ætati non ingratam futuram authumor, si quæ suo satis influxu benigna sentimus Sydera, tenui penicillo veluti in umbrâ delineemus, ut si non omnia dicamus (quis enim uno veluti nucleo immensam illam laudum Illiadem complectatur) saltem aliqua fideliter referamus, quæ de insignium Virorum ortu & admirabili progressu annotata reperiebamus. Qua quidem in re pauca quædam amicissimum lectorem monitum velim. Primò omnium, ut scriptoris libertati, & penè temerariæ præsumptioni ignoscere velit, qui contrà ac aliis in more positum, de Viventibus loquor. Enimvero cùm me sanctissimum illud Sacræ Paginæ Effatum neutiquam lateat: *Lauda hominem post vitam; magnifica post consumationem*, cui conformiter doctissimus Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis agens loquitur: videlicet haud æquum esse de viventium ingeniis aut operibus judicare, meritò verebar, ne in primam illam Historicorum legem peccarem, cùm laudem post mortem clarissimis Viris debitam, anticipatâ commemoratione præciperem & Maximorum Virorum Modestiam, præpropero operè onerarem. Sed si nimiâ anxietate ad hunc scopulum, primò omnium nobis objectum, hærere velimus, nullam unquam Præclarissimorum Virorum Historiam ætas nostra intuebitur. Scimus, Julium Cæsarem non modò Historiam sui temporis scripsisse, sed vel eas ipsas expeditiones, quibus præsens ipse interfuit,

 literis

literis consignâsse, haud alio scopo sibi præfixo, quàm ut sui temporis Coætanei voluptatem illam prælibarent, quam ex amœnæ veritate historiæ sera postmodum posteritas haustura esset. Quis gratiori obtutu oculos flosculus recreat, quàm quem modo progerminatum videmus? Videlicet gratissimi sunt, cùm recentes; & licet eorum pulchritudinem, ubi ex oculis abierunt, etiam deprædicemus, præsens tamen decor oculos & animos magìs exhilarat. Hinc in eo mihi magìs laborandum erat, quod secundo loco dictum volo, ne tenuitate styli maximorum Virorum nomina magìs obfuscarem, quàm ornamenti quidpiam adderem; Sed in Excelso themate cùm succumbam, victoriæ mihi instar est. Oculos & animos ad nitidissimum solem erigimus, licet ejus fulgore perstringamur, ne plenè tantum lumen intueamur; Adhæc utique nobilissimi Uniones pretium non â piscantis manu, sed nativo præcisè splendore accipiunt; nec ad eorum illustre decus quidquam refert, â quo demum è pelagi fundo extrahantur. Demum iterum reputavi, si manum operi nemo admoveret, nisi qui rerum dignitatem oratione â se æquari posse consideret, nullam unquam exstituram Maximorum Virorum Historiam. Utique Deus ter Optimus Maximus etiam vilissimarum quarumque frugum primitias â nobis exigit, quas non sui pretium, sed dantis proba intentio pretiosas reddit. Tertium quod doctum Lectorem amicè commonitum velim, id est, ne quisquam mihi injuriæ vertat, quòd in patenti illo laudum Campo pauciora aliquando, quàm tantorum Virorum merita exigant, in medium adducam; nam in remotis longè oris positi multa laudabilia nescimus, quæ Italia, Gallia, Hispania, Lusitania &c. &c. prope se posita, ipsis etiam oculis intuetur, & veluti digitis commonstrat; ita ut scriptorem, qui omnia denique delineet, iterum iterúmque nullum futurum authumer. Hinc singulis aliquos decerpsisse flosculos satis erit, donec multorum compositio, in unum veluti conglutinata, paradisum denique referat, amænissimis quibuscunque floribus refertissimum. Quartò prout Veritati summo planè conatu & studio in præsenti opere adhæsi, ita non dictum, non scriptum volo, si quidquam in eo, gestum aliter deprehendatur. Hoc Sanctè affirmare ausim, quòd in excelso hoc themate cautissimè incesserim, quod amicissimo Lectori facilè, ut spero, ad oculos patebit, quem in totius operis decursu nihil reperturum confido, quod alicujus injuriâ dictum fuisse arbitrari queat. Si bella, si legationes, si studia Maximorum Virorum referam, facile singuli dignoscent, quàm propè ea ad vitam illorum pertineant, quos nobis describendos sumpsimus. Dein si dicam, quòd Gallus Gallum, Germanus Germanum, Hispanus Hispanum egerit, quis quæso morosus Momus reperietur, qui id â me cujusquam injuriâ dictum arbitretur? Patria est, in quâ quisque nascitur; Huic ut quisque studeat, ad eámque juvandam, consilia, animum & opes advertat, ipsius etiam Naturæ leges singulis dictant; adeóque cùm bella, pacificationes, & dissidia gentium, inter quas doctissima hæc Orbis Lumina versabantur, commemoro, id eo factum consilio, ut omnibus palam facerem, quam præclaros labores Sacra hæc Orbis Orthodoxi Capita sibi dederint, ut horrificos motus, quos sanguinolentus

lentus Mars per longam, quà latè patet, Europam exciebat, suâ sapientiâ, quam summam exerebant, componerent; laudamus Solem, dum, quidquid humidum, exsiccat, aut etiam maris ebullientis vapores, ne in periculosè undantes nubes coalescant, suo ardore ad se attrahit. Quintò promittitur continuatio certò futura omnium Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium tam æri quàm literis, simili descriptione insculpendorum; ita ut quotiescunque quempiam creari contigerit, post 6. Menses, ab ejus creatione computandos, cetero nobilissimo Corpori sit adjungendus, ut amici Lectoris desiderio ex integro faciamus satis; Si verò quemquam mors atrox, quæ rerum humanarum vicissituao est, mortalium oculis subtraxerit, cruce desuper formatâ notatus reperietur, quæ tristis notula, ut serò tantis Viris contingat, ex animo precor. Demum Calcographus excusatum se rogat, si lineamenta, quæ in præsenti duxit, non undequaque ad ætatem singulorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium respondeant; nam quos in prima virili ætate vel accuratissimo penicillo nescio quis Appellineus Artifex depinxit, hos venerandæ canities non nova quadam, sed certissimâ & omnibus contigibili metamorphosi, transmutat. In eo tamen amicum Lectorem certioratum vult & rogat, quòd effigies quæcunque suis Originalibus, Romæ delineatis & excusis accuratè respondeant, qua in re is nec diligentiæ, nec sumptuum quidquam prætermisit. Demum etiam Author Operis in omnibus, quæ scripsit, Orthodoxæ Ecclesiæ se lubentissimè subjicit, ejúsque Sanctissimam Censuram agnoscit; nec alium sibi scopum præpositum habet, quam ut egregios Viros, quos nostra ætas dedit, in lucem proferat. Vale amicissime Lector, mei in tuis precibus memor.

Impri-

Imprimatur H. S.

Augustæ 18. Febr. 1726.

Franciscus Joseph de Handl, SS. Theol. Licentiatus Reverendissimi & Serenissimi Principis & Episcopi Augustani Consiliarius Ecclesiasticus, Major Pœnitentiarius & librorum Censor.



Johann Christoph Kolb fecit et excudit A. Vind.

Secundum verißimum Originale.



BENEDICTUS XIII.
SUMMUS PONTIFEX.

Creatus XXIX. Maji Anno 1724.

A Jove, ut ajunt, principium: à *Benedicto XIII* cœlitus dato *Pontifice Maximo* nostri rudimenta laboris. Natus est Benedictus Patre *Ferdinando Ursino Gravinæ Duce*, magni nominis principe, & Matre *Joanna Frangibana Grumenti Ducissâ* raræ virtutis, quam species commendabat, matronâ Anno 1649 2 Februarii. Ipsa etiam nativitatis dies, *Purificatæ Virgini* sacra, satis dilucidè innuere videbatur, principi soboli puram animam fuisse inspiratam, eámque in *lucernam ardentem* & *fulgentem* aliquando exarsuram, quæ supra *Ecclesiæ Candelabrum*, maximo orbis orthodoxi bono esset reponenda. Prosperum omen vel ipso nomine confirmatum est, quod *Ursino*, Sacris Lustralibus Undis abluto, inditum; nam Serenissimorum parentum jussu *Petrus Franciscus* vocatus, videri potuit, cognomine *Apostolorum Principe* manum porrecturo, in ejus cathedram aliquando ascensurus, quam dignitatem *divus Franciscus*, cujus non minùs nomine gloriabatur, *Nicolao Ursino* adhuc tenello infantulo spiritu verè fatidico ante sena sæcula prædixerat. Enimvero *Ursinæ familiæ* decus universam

 pene

pene Europam ab antiquissimis retro temporibus complexa est. Ex eâ in Romanum solium scandentes triplici tiarâ condecorati sunt *Stephanus III* anno 752. *Paulus I* ejus frater anno 757. *Cœlestinus III* anno 1191. & quem supra nominavi, *Nicolaus III* anno 1277. Ad Sacrum *Cardinalitium collegium*, non pauciores quàm quadraginta ex *Ursinis*, ceu virtutum odore fragrantes in Ecclesiæ hortum flores delibati fuerunt; immò quæ specialis *Domûs Ursinæ* prærogativa videtur, primus, qui quidem *Cardinalitia dignitate* fulserit, â nonnullis *Ursinus* fuisse perhibetur. Gloriatur nostra Germania, delibatæ nobilitatis fœcunda parens, suo e sinu tredecim *Ursinos Marchiones Brandeburgicos*, & septem præpotentes *Saxoniæ Duces*, præter complures *Marchiones Badenses*, & *Ordinis Teutonici* ac *Melitensium summos Magistros* prodiisse. Immò *Augustissima Domus Austriaca*, quam *Deus* felicitatis diribitor æquissimus velit esse perpetuam, ad *Anicios* & *Ursinos* â compluribus rerum Germanicarum scriptoribus refertur. Ex *Ursinis* militari sagò præclaris eminere visi *Camillus* dux suo ævo nulli secundus, qui scandentem Romæ mœnia Borbonium haud dubiè retardâsset, si idem, qui duci animus, Romanis metu torpescentibus fuisset. *Nicolaus Ursinus* periclitantem Rempublicam Venetam, & pene in novellæ, ut ajunt, acie positam, suâ virtute unicè servavit, erectâ in ejus honorem in publicô forô statuâ, ut vel elingue marmor satis eloqueretur, Reipublicæ Venetæ servatæ decus, in quam integra Europa armabatur, opus *Ursinorum* esse. *Virginius Ursinus* Pontificiarum copiarum ductor Ecclesiæ hostes tantis cladibus dedomuit, ut concilium Basileense palmarem hunc ducem unicum afflictæ Italiæ asylum magnificentissimo tantæ virtutis testimonio proclamârit. Verùm neque in solis viris *Ursinæ* decus *familiæ* hæsit; eas insuper heroinas progenuit, quas tota avidè Europa prensaret: Orientis Dominos, Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Nordvvegiæ, & Sueciæ reges, nec minùs qui in Poloniâ, Hungariâ, Regnô Neapolitanô, & Thessaliâ sceptrum moderabantur, *Ursinæ Domûs* affinitatibus fuisse innexos legimus: prout & id ex *Ursinorum* fastis verè vastis & magnificis in comperto est, ex Imperatorum & Europæ Regum aulis ad *Principes Ursinos* non pauciores quàm duodecim regales sponsas fuisse deductas, quæ claritatem generis sui non minùs in Ursinam stirpem intulerunt, quàm se inde nobilitatas admirabili virtutum refluxu senserunt. Planè *Ursinum* esse, & sanctimoniâ aut virtutibus non vulgaribus inclarescere perinde habetur. Quid multis? Unica *Ursinorum stirps* rarâ & prodigiosâ felicitate jamdum duodeviginti Sanctos, publico Ecclesiæ ritu celebrandos, coelis transmisit. Inter eos fuêre *Joannes* & *Paulus*, nobilissimi ex *prosapiâ Ursinâ* Romani, qui ob Christi cultum sub Juliano Imperatore capite plexi, sanguineis characteribus Ursinorum nomen immortalitati consecrârunt: Inde pariter prodiit *Divus Patriarcha Benedictus*, qui Sanctis monachis orbem denique implevit universum; nec minùs soror ejus Diva *Scholastica*, integrum Sacrarum Virginum Chorum post se trahens: eò etiam sanguinem referunt *Mathildis* regina Franciæ: *Ursinus* presbyter: *Thomas Aquinas* admirabile illud Ecclesiæ lumen, ex probabili multorum opinione ex

stirpe

ſtirpe maternâ: *Adalbertus* & *Gaudentius* Epiſcopi Pragenſes: *Ioannes Epiſcopus* Aprutii in regno Neapolitano: *Bernardus* Epiſcopus Traguriæ in Illyrico: *Valerius* Epiſcopus Nuceriæ Paganorum in Apuliâ: *Iordanus*, *Mathæus*, & *Latinus* Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales: *Paulus I.* Pontifex Maximus; & præter complures alios Benedictus Patriarcha Monoeci, Sacri Ordinis Ciſtercienſium ſplendidiſſimum gemma, cujus honoribus â *Sanctiſſimo Patre* noſtro datum dicitur, ut in *Cathedram Petri* vocatus, fauſto omine nomen *Benedicti* aſſumeret. Jam ut eò, unde aliquantum divertit, narratio regrediatur, *Petro Franciſco* Urſino adhuc quadrienni infantulo unicè volupe erat, Sacræ Dominicanæ familiæ habitu veſtitum incedere; & eatenus veſtiri famulam ephebulorum manum volebat, iis non nunquam tenella manu benedicere viſus. Crediſſes Cyrum inter æquales ludere, & innocuo luſu orbis regimen, veluti anticipato dominatu, præcipere. Sereniſſimi agnati ſolliciti, ne is regendis ſubditis natus princeps, qui præter *Gravinæ* ducatum in ſpem *Principatûs Bracciani* veniebat, præpropero conſilio ad coenobiticum inſtitutum abriperetur, nullum non lapidem movebant, ut præfervidam ejus indolem in alia ſtudia maturè traducerent; ſed animus illius poſt primam veluti tincturam ejus Sacri ordinis deſiderium tam altè imbiberat, ut neque agnatorum dehortationes, nec aularum illiciamenta, nec ampliſſimum, quod offerebatur, patrimonium, hanc ei mentem excutere potuerit. Verùm dum aperto Marte res minùs procedebat, bonus hic miles Chriſti ad ſtratagemata convertebatur; Hinc nihil minùs agere viſus, quàm quod quàm maximè agebat, â Sereniſſimis parentibus, duodevigeſimum annum vixdum egreſſus, facultatem rogabat, ceteras Italiæ regiones peragrandi, ut quibus legibus & moribus gentes viverent, natus regendis populis princeps, maturè dignoſceret. Aſt Venetias appulſus, diſſimulatione depoſita, ad monaſterium *Sancti Dominici* de *Caſtello* dictum ſe ocyus contulit, & ardentiſſimis precibus, quibus ſuaſorias lachrymas addebat, denique effecit, ut â Patre Vincentio Maria Gentili tunc temporis *Ordinis Prædicantium* per Lombardiam Provinciali, poſtea ob egregia merita in Archi-Epiſcopum Januenſem evectô, ad ſacrum novitiatum generoſus tyro Anno 1667 admitteretur. Hoc pium adoleſcentis propoſitum ubi ad ſuorum aures delatum eſt, ſtatim in eo revocando toti erant, & veluti ultimum arietem admoturi, ſuos queſtus ad Clementem X. Pontificem Maximum deferebant, enixè flagitantes, ut ſummam ſuam authoritatem interponeret, & ſibi, ſubditis, ac ſæculo adoleſcentem, non utique in cucullum, ut ipſi quidem augurabantur, progenitum reſtitueret. *Summus Pontifex*, ne intenſiſſimis eorum precibus omnino durum ſe præberet, principem adoleſcentem Romam ad ſe advocavit, penicitus indagaturus, an ſolo ſalutis in tuto collocandæ deſiderio, aut potius juvenili quopiam & præcipiti œſtro impulſus monaſticæ diſciplinæ ſe mancipâſſet. Affuit ille; & veluti cœleſti afflatus ſpiritu ea mentis conſtantiâ, eo verborum graviſſimorum pondere, ac animi undequaque imperterriti impetu, facti ſui rationem reddidit, ut ipſe *Pontifex*, cœleſte quidpiam in ejus vultu dignoſcens, in ſummam admirationem

rape-

raperetur; Tantùm abfuit, ut à pio proposito eum dimoveret, ut potiùs ei clementissimè indulserit, ut post semestrem probationem, in quâ generosus Tyro absolutum jamdum militem egerat, ad Sacram professionem admitteretur, ne esset, qui pio ejus proposito moram injiceret, aut cœlestem adolescentem non processuris technis ultra inquietaret. Ei certè in delitiis erat, primogenituræ prærogativâ ocyus se abdicare, & jus omne principatûs in secundò genitum fratrem transferre, ut omni mundi fastû penitus calcato, *Deo* liberiùs inserviret. In Sacro ordine *Vincentius Maria* (eo enim nomine Sacræ Familiæ adscriptus vocari voluit) tam admirabilem progressum fecit, ut perfecti Religiosi ideam undequaque exprimeret; & quandoquidem cum summis virtutibus prorsus eximiam in Theologiâ Mysticâ & naturali doctrinam conjungeret, oppidò docuit, quàm bellè virtus, doctrina & nobilitas in eodem subjecto subsisterent, & una pulchra qualitas mirâ sympathiâ, sibi adjumentum ab altera mutuaret. Cum igitur *Vincentius Maria* tantis meritis inclaresceret, præfatus *Clemens X. Pontifex Maximus* permotum se sensit, ut tantæ virtutis sydus in *Sacræ Romanæ Ecclesiæ* Horizonte collocaret; Hinc eundem *Sacro Purpuratorum Collegio* anno 1672. die Cathedræ Divi Petri Antiochenæ sacrâ adlegebat. Sed quantæ molis erat, refugientem ab eo honore animum expugnare? quantò illi faciliùs erat, avito principatu paulo ante se abdicare, quàm modò purpuram, ultrò oblatam, acceptare? quàm fervidâ, nihil tamen valiturâ facundiâ hunc à se honorem amoliebatur? Bononiæ tunc erat, cùm eo se nuntio non tam recreatum, quàm medullitus concussum sensit; & veluti undequaque indignissimus, & huic oneri ferendo impar, *Pontificem* humillimis literis summopere contestabatur, ut hoc *Sacræ Purpuræ* honestamentum in alium, se denique digniorem transferre dignaretur, & meliores inventurus, quos in publicam lucem protraheret, sibi permitteret, ut in Sacro suo recessu solus habitaret, nec ad ullas altiores curas cum animæ suæ dispendio traduceretur; verùm quàm ille tardus in accepando, tam constans *Pontifex* in deferendâ Sacrâ Purpurâ existebat. Cujus hæ demum ad Vincentium Mariam datæ literæ extant.

DILECTE FILI NOSTER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

EA quâ par est animi admiratione Suspeximus religiosæ humilitatis præstantiam, quâ Cardinalitiam dignitatem, nostræ tantummodò in Ecclesiâ secundam, recusare cogitâsti, eximiámque pietatem tuam prolixis laudibus prosecuti, accuratas Divinæ bonitati gratias egimus, quæ tam præclaros, ut ex literis ad nos datis patere videtur, cordi tuo sensus impertiri dignata est. Examinanda tamen, atque ad trutinam pensanda ducimus ejusmodi consilia; quandoque enim sub amictu lucis princeps tenebrarum latet, mentitáque melioris boni specie, divinæ gloriæ incremento resistit. Sententia quoque nobis fuerat, oblatum infirmitati nostræ *Pontificatus Maximi* pondus omnimode declinare, profusisque in id precibus & lachrimis vehementer incubuimus; subjecimus verò tandem voci Dei, per Cardinales nos alloquenti, voluntatem nostram, onerisque Angelicis etiam humeris formidandi gravitatem impares licet subire passi sumus. Eadem quoque sequenda à te in præsenti vestigia, pronásque loquenti in nobis *Spiritui Sancto* præbendas satiùs aures, esse consultum

in

in Domino reputantes authoritate, quâ nos in terris Christus donavit, præcipimus hisce tibi, dilecte fili noster, ut dignitatem, quâ te universa urbe plaudente nuper insignivimus, omnino acceptare velis, jucundius ita Pontificij sempiterno sacrificium, inclytam nempe animi tui repugnantiam, ingenti cum fœnore meritorum oblaturus. Nec ullus nobis dubitandi locus esse potest retardaturum te ad præstandum mandatis nostris, ut perfectum Religiosi instituti sectatorem decet, debitam obedientiam â metu, ut scribis, amittendæ salutis æternæ: Damnabile nimirum summopere foret, adeò turpem maculam inferre *præclarissimo Ordini*, â quo tot támque illustria Christianarum virtutum exemplaria prodiere. A pluribus itaque abstinentes â perspectâ probataque pietate tua hujusmodi solatium prorsus exspectamus &c. &c.

Eodem tempore Bononiam adventabat Reverendissimus *Thomas Ragobertus* Generalis Ordinis Magister, amicam pariter vim inferens, ne honorem, Pontificis voluntate delatam, refragariâ modestiâ porro abnueret. Tandem aheneus ille adversus honores murus, tot machinis impellentibus, expugnatus est, & quantùm humilitatis Studio purpuram priùs aversabatur, tantùm urgente obedientiâ â renitentiâ desistebat, cum Paulo gentium doctore credens, DEO RESTITURUM, QUISQUIS ORDINATIONI RESISTERET; eam præcisè gratiam rogavit, & Summis precibus demum obtinuit, ut quandoquidem subesse, non præesse aliis vellet, sub potestate sui Ordinis, cui se unicè devovisset, Purpuratus Dynasta perpetuò maneret; Planè ex toto illo tempore alias nunquam vestes sive intimas sive extimas admittebat, nisi quibus fratres sui Ordinis, quibus se per omnia similem haberi volebat, utebantur; etiam cùm in locis moraretur, ubi solares radii ardentiùs pungerent, de habitu nihil unquam remittebat; quidquid circa jejunium, & ciborum abstinentiam, atque vigilias sui ordinis regulæ dictitabant, ea omnia ad amussim, ne latum quidem unquem ab iis discedendo, observata â semet volebat. Inde etiam provenit, ut Sacrum Ordinem suum, ceu plantarium, in quo summi denique viri excrescerent, summopere foveret; quem etiam amorem suum in reliquos ordines profusissimâ charitate ita exsplicabat, ut solem imitari videretur, suos radios in cunctos benefico influxu largiter dispensantem. Anno 1675. Episcopatum Manfredoniæ in Apuliâ â Clemente X. acceptare jussus est. Postea Innocentius XI. Clementis successor eum Cæsinæ Episcopatui in Romandiolâ Sanctus Sanctum præesse voluit. Denique anno 1686. ad Beneventanum Archiepiscopatum in regno Neapolitano, ab eodem Innocentio XI transferebatur. In iis Episcopatibus, qualem se exhibuerit, publica monumenta satis loquuntur. Quidquid ex Ecclesiasticis reditibus seponere licuit, patrimonium pauperum fecit, probè memor, se ex stirpe materna *Magni* illius Jordani posterum esse, qui cùm ante annos plus mille, Tybri exundante, maxima fames in agro Romano grassaretur, largo pane suis manibus suppeditato, inediâ penè confectos refocillabat; hinc cùm pauperibus panem frangeret, *Frangipani* nomen non modò ipse sortiebatur, sed in totam Illustrissimam Prosapiam suam, non intermorituâ tantæ beneficentiæ memoriâ transplantaverat. Idem Vincentius Maria in hospitalibus frequens, quos omnium miserrimos esse

comperit, propiùs invisit. Moribundos *Sacra Exomologesi* ipsemet expiavit, & ad longinquum iter Sacrô Viaticô eosdem instruxit. Teneram juventutem rudimenta fidei omnibus omnia factus edocuit. Agrestium mappalia, & vilissima quæque tuguria præ palatiis adire in delitiis habuit. E suggestibus æquè ac in patentibus campis auditus est non nunquam pluries eadem die efficacissimè ad confluentem populum verba facere. Ecclesias centum & nonaginta, vir pro cultu divino promovendo Zelosissimus, sua manu consecravit. Monasteriorum & Sacrarum ædium magno numero exstructor aut reparator exstitit. Ecclesiasticam disciplinam, coactis provincialibus conciliis, quibus 24. Episcopi ejus Suffraganei interfuerant, conservavit. Commissas sibi provincias ita rexit, ut Sanctissimis legibus instruerentur cives, optimis artibus florerent urbes, & singulorum ædes pietatis denique domicilia evaderent. Ad hanc Spartam suam tam benè ordinandam librorum adjumento ut plurimùm utebatur; Nam non pauciores quàm viginti Sex insignes tractatus, quorum quidem numerum nobis Germanis inire licuit, â tantô Virô conscripti inter doctorum manus versantur; inter quos principem locum obtinere videntur Commentarii in Sacram Scripturam: Ecclesiæ dogmatum exsplicatio: Regulæ ad rectam Sacramentorum administrationem & participationem: Historia Conciliorum Provinciæ Beneventanæ, & in eam notæ. Exsplicatio Ecclesiastiæ disciplinæ antiquæ & recentioris: Tractatus Theologiæ Moralis, in quo medio tramite incedit, & molliorem æquè ac Severiorem agendi rationem, æquissimâ trutinâ cuncta examinando, minùs probat: Quingenta insuper illa elogia, in laudem *Magnæ Matris* suaviter concinnata, Vincentium Mariam virum, verè Marianis ignibus æstuantem comprobant. Politiorum etiam literarum studia, eâ in re Gregorium Nazianzenum & Divum Paulinum secutus, neutiquam neglexit. Poeticos etiam, sed planè innocuos lusus non nunquam interposuit; prout multa ejus epigrammata, pietatem christianam undequaque redolentia exstant. Quis igitur ex hucusque relatis non denique concludat, *Vincentium mariam* ANTE DEUM MAGNAS VIRTUTES OPERATUM ESSE, ET OMNEM TERRAM DOCTRINA EJUS REPLETAM FUISSE? Verum enimvero si mihi per *Maximi* hujus *Pontificis* modestiam liceret, pene ad miracula proclamarem; eloquar tamen, qualitercunque se res habuerit: Nam Dei, ejusque Sanctorum in nos beneficia posterorum memoriæ Subtrahere velle, esset utique animi, coeli in nos beneficentiam non satis ex æquô agnoscentis. Contremuerat urbs *Beneventana*, terræ motibus horrendùm concussa, & magnâ ex parte diruta: Ipsæ ædes Archiepiscopales, dehiscentibus compagibus corruerant; suâ ruinâ *Archiepiscopum* haud dubiè oppressuræ, nisi præsentissimâ coeli ope Servatus fuisset. Ne quid nimium in tantâ re affirmare videar, ipsius Vincentii Mariæ verba, testis utique omni exceptione majoris, nihil addendo, demendo nihil, in mediam adduco. Percipe amice lector non unum, sed coacervata veluti miracula: ita autem verba sonant.

Ad

Ad honorem Dei Omnipotentis, Beatissimæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ, gloriosique Sancti Philippi Nerii; Ego Fr. Vincentius Maria Orsini Ordinis Prædicatorum, infelix peccator, & ex Divinâ patientiâ Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tit. Sancti Xisti Ecclesiæ Beneventanæ indignus Archiepiscopus, testificor etiam cum juramento, circumpositis Sacris Evangeliis, qualiter adveniente propter mea peccata terræ motu in meâ civitate Beneventanâ die Sabbathi quintâ Junii anni 1688. vigiliâ Sacratissimæ Pentecostes, horâ vigesimâ cum dimidiâ, dum eram in meo cubiculo posito in superiori parte meæ domus Episcopalis simul loquens cum quodam nobili Diœcesano, exspectans nuntium, ut descenderem ad vesperas in Ecclesiam, supradictum meum cubiculum corruit vi terræ motûs, & pavimentum, ubi eram, etiam corruit cum cubiculos, quod erat subtus, quod etiam ex parte corruit, & ego cum supradicto nobili cecidi usque ad cameram horrei, & fuimus cooperti saxis omnium ædificiorum, quæ supra nos delapsa sunt, variâ tamen fortunâ; nam ille remansit extinctus, & ego illæsus evasi, caput meum defendentibus aliquibus arundinibus, quæ supra me fecerunt quasi tectum sufficiens ad cooperiendum caput, & ad commodè respirandum. In cubiculo, ex quo cecidi erat armarium ex nuce plenum Scripturarum, in quô custodiebam involutas omnes imagines, exprimentes historicè acta celebriora vitæ Sancti mei Protectoris *Philippi Nerii*, cum proposito illas collocandi in domo, quam ædificaveram extra civitatem in loco dicto la pace vecchia. Idem armarium consedit super illud fragile tectum arundinum, quod cooperiebat caput meum, sicuti dixi; quamvis clausum fuisset clavi, apertum est ex se ipso, & exierunt imagines repræsentantes vitam Sancti, quæ omnes me circumdederunt, & sub capite erat illa, quæ repræsentabat Sanctum orantem, videntem *Beatissimam Virginem* sustinentem trabem veteris Ecclesiæ Vallicellanæ, quæ exierat è loco suo. Supra dictum armarium ceciderat ingens superliminare marmoreum magni ponderis, & hoc non obstante, per totum spatium temporis. quo sepultus remansi inter ruinas, non sensi molestiam, non pondus, non gravitatem: Immò ex speciali gratiâ, continuò voce altâ potui recitare aliquas preces, semper habui liberum rationis usum, commendans me *Deo & Sanctis* cum firmissimâ fide de mea liberatione. Asserunt mei familiares, me fuisse inter ruinas sepultum spatiô unius horæ, aut horæ cum dimidia; sed mihi ex novâ gratiâ visus sum permansisse tantùm spatio unius quadrantis. Interim venit Pater Lector Bonnaccorsi Ordinis mei vocans me supra illum cumulum saxorum, & statim ipsum audivi, ipseque vocem meam pariter audivit, licet non clarè dignosceret verba mea, & simul cum D. Canonico Paulo Farella inceperunt me ex ruderibus educere: inde supervenerunt alii duo, quorum auxilio è saxis me extraxerunt, & est speciali animadversione dignum, quòd ipsis operantibus, lapides sejuncti, præcipitésque cadentes, nec ipsis nec mihi noxam aliquam intulerunt. Postteaquam extractus fui ex ruinis, supradictus Canonicus sub capite meo invenit memoratam Imaginem Sancti mei Patroni, & alter statim cum me vidit, casu accepit unam ex imaginibus prædictis, quæ circum me erant, & mihi illam præbuit, ut deoscularer, & inveni illam esse imaginem repræsentantem miraculum, quô Sanctus â morte vivum excitavit Paulum de Maximis; & ita fui ex ruinis extractus, & abductus extra portam civitatis cum multis vulneribus in capite, in manu dexterâ, & pede dextero, & tamen vulnera nullo dolore me afflixerunt; immò eadem vesperâ accepi præ manibus sacramentum Eucharistiæ, sermonem habui ad populum, & infirmo administratus sum Viaticum; solum oculi ex multitudine ruderum, quæ supra me ceciderunt, fluxione fuerunt afflicti, quæ licet cum aliquo incommodo visionis, fuit tamen sine dolore. Beneficia Sancti mei intra hos limites non continentur, quoniam servavit â ruinâ quasi totius meæ Domûs Episcopalis totam numerosam familiam meam, omnes officiales, ministros, satellites, & Executores mei tribunalis, omnes hospites & Curiales; unus tantùm servus â pedibus interiit, qui extra domum erat, & in Episcopali domo mortui remanserunt solùm pauci exteri, qui non advenerant occasione mei tribunalis. Liberavit pariter Sanctus Dominos Presbyteros Congregationis Missionis, â me vocatos in civitatem, & cum

ipsis

ipsis omnes Seminarii Alumnos, quamvis lapsum fuerit seminarium; quocirca ad gloriam mei Sancti dicere possum: quos dedisti mihi, (siquidem ipsi refero acceptum honorem Archiepiscopatûs) quos dedisti mihi, repeto, non perdidi ex eis quemquam; Voluit enim Sanctus renovare in me indignissimo Episcopo, quod accidit Ao. 587. Antiochiæ occasione terribilis terræ motûs, qui occidit sexaginta millia hominum, quum Episcopus Gregorius cum suis esset liberatus, licet domus ejus, sicut mea, cecidisset. Ulteriùs inter ruinas omnium ædificiorum meæ civitatis meus Sanctus conservavit Archivum Episcopale, Cancellariam, Cameras Vicarii, in quibus erant multæ scripturæ, Bibliothecam Capituli Metropolitani, in quâ inveniebantur Scripturæ majoris momenti meæ Ecclesiæ. Ad majorem mei confusionem perseverant super me misericordiæ mei Sancti; quoniam cùm die Veneris 18. currentis mensis Junii venissem ad venerandum ejus Sacellum in Ecclesia Patrum Oratorii Neapolis, exiens ex illo ceciderunt è capite meo omnes crustæ vulnerum, & omnia complanata manserunt, quamvis in vulnere supercilii eodem die veneris mane fuisset inventa sanies; & in oculis hodie die Martis 22. Junii ex benedictione mei Sancti multùm convalesco, firmiter sperans, quòd meus Sanctus, quod cœpit, perficiet contra exspectationem trium celebrium medicorum, qui ex inspectione oculorum meorum post prædictum infortunium putabant eos esse taliter læsos â ruderibus, ut præter fluxionem jam cecidisset in ipsos velamen quoddam, vi cujus infirmitate oculorum laborare continuò debuissem, ut ex attestationibus eorundem infra scriptis apparet. Hinc ex fiduciâ, quam semper firmam habui erga meum Sanctum, respuens usum remediorum naturalium ex sola applicatione Reliquiarum ipsius experior valetudinem prædictam, & â primo introitu, quem feci in ejusdem Sacellum vespere prædicti diei decimi octavi currentis mensis, non valens sustinere usque ad illud tempus visum etiam parvæ facis accensæ, exii ab illo gestans in manibus cereum quatuor luminum absque læsione etiam parva in pupillis. Quare ad perpetuam memoriam maximi beneficii, quod Sanctus elargitus est mihi, & ad gloriam ejusdem, qui erga me miserum peccatorem operatus est tam grande miraculum & tot excelsa prodigia, & ut in dies magis crescat devotio populorum erga tam beneficum & benignum Protectorem, supradictam narrationem registravi, & sigillo firmavi, ne de ejusdem validitate quis dubitare possit.

Dat. Neapoli in meo conventu S. Catharinæ apud formellum die Martis 22. Junii 1688.

Fr. Vincentius Maria Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Beneventanus

Loco ✠ Sigilli.

Dinus Secretarius.

EGO Doctor Medicus Physicus Vincentius Grisconius attestor & confirmo, quantum in retroscripta relatione narratum fuit ab Eminentissimo D. Cardinali Ursino circa suam indispositionem oculorum.

Ego Doctor Santolus Sica Chirurgus & Medicus ocularis attestor & confirmo, quantùm supra narratum est ab Eminentissimo D. Cardinali circa suam indispositionem oculorum.

Ego Doctor Physicus Fridericus Mennini attestor & confirmo, quantum supra narratum est ab Eminentissimo D. Cardinali Ursino circa indispositionem oculorum.

Ne-



FRANCISCUS S.R.E. EPISCOPUS CARDINALIS IUDICE NEAPOLITANUS CREATUS DIE XIII. FEBRUARII. MDC.XC.

Johann Christoph Kolb, excud.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Caes. Maj. Cath.

Neque etiam illud, ut ad narrationem regrediar, absque speciali Dei auxilio factum videtur, quòd hujus Viri solertissimâ æquè ac piissimâ industria *Divi Bartholomæi* corpus, quod temporum injuriâ quàm diutissimè incognitum iacuerat, reinventum, & certis agnitum indiciis in Sacras Aras repositum fuerit. Quid igitur mirum, aut cui per Europam inexspectatus nuntius venit, *Vincentium Mariam Ursinum* ad *Cathedram Petri* vocatum? & Sacræ Romanæ Ecclesiæ *Cardinales* tunc demum post inita aliquot scrutinia convenisse, cùm unanimibus calculis in eum non tam irent, quàm *Divina* quadam *Inspiratione* abriperentur? Enimverò soLVs DeVs eLegIt OrsInVM In CapVt orbIs; & videbatur S. Mater Ecclesia, cùm Cellam suam electurus intraret, ea Boozi ad Ruthen verba ante ejus fores irrefragabili testimonio affixisse. Ego te absqVe VLLa DVbItatIone sVsCIpIaM. Eo humana Oracula, quæ tamen Divinitus inspirata videntur, jam dudum de ipso edita collineabant. Ita *Fabius Caracciolus* è Ducibus *montis Sardi*, Sacræ Rotæ Romanæ Auditor, cùm tractatum insignem de indulgentiis Patris Vivæ *Societatis Jesu* SacroSanctæ Theologiæ Neapoli Professoris Vincentio Mariæ Ao. 1699. inchoante anno jubilari, dedicaret, in suâ epistolâ dedicatoriâ in ea verba verè fatidica prorupit: *Dúmque vel dignitatem tuam Eminentissime Princeps, vel rerum â te gestarum amplitudinem, animô complector, non sine aliquo fortasse Numinis afflatu, sic statuendum censeo, te qui nunc libros de Anno Sancti Jubilæi privatis auspiciis ad publicam utilitatem foro committi imperas, post quinque lustra Pontificiâ authoritate diploma de Sancto annò indicendo promulgaturum.* Sub finem, postquam inventum Divi Bartholomæi corpus Ursino gratulatus fuisset, hæc plena veritatis verba subjungebat: Erit, erit profectò dies, quo die vices alternante Numine, ut tu Bartholomæum magno nisu sibi ipsi restituisti, sic te Bartholomæus pro se sibi rest tuto, Romanis in arcibus statuet, & sine nisu in Vaticanum deducet. Augurium tam felix & faustum Christiano Orbi ex tuô ipso nomine in Oraculum purissimum Anagrammaticis Auspiciis deductô sumitur.

En Programma!

Vincentius Maria Ursinus Dominicanus.

En Oraculum!

Vir Mirus scando in Vaticanum sine nisu.

Enimverò *Vir Mirus*! qui profundissimâ humilitate tam procul ab ambitu abfuit, ut electus *Summus Pontifex* manantibus per aliquot horas copiosis lachrymis, & seniles genas purpurantibus, hanc â se dignitatem amoliri connitéretur. *Vir mirus*! Qui cùm omnibus præesset, Generali Ordinis Magistro subesse voluit, tunc demum eam dignitatem admittendo, cùm is efficacissimis verbis assereret, Dei Ordinationi amplius resisti non debere. *Vir mirus*! qui propria voluntate abdicata, solum Dei nutum sequendo, in hæc demum verba, cedro & auro insculpenda eruperit: *Fiat Voluntas Dei. Vir mirus*! Qui in gestatoriâ sella ad ædes Apostolorū Principis delatus, jam præ foribus è suggestu descendit, in genua se submisit, & Sacra limina submississimo osculo, velut undequaque indignissimus libavit. *Vir Mirus*! qui opere & verbis efficax, primum sermonem, quem ad Sacrum Collegium 12. Jul. mirâ facundiâ habebat, in hæc

 verba

verba humilitatis pleniſſima inchoavit: *Venerabiles fratres! Eſt quidem Divinis inſtitutionibus traditum, ut glorietur frater humilis in exaltatione ſuâ Iſaiæ lib. 9. quò dextera Domini magnificetur in laude, & qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, mirabilium ſuorum gloriam in figmenti infirmitate luculentiùs oſtendiſſe videatur; Nos tamen dignis miniſterio Apoſtolico virtutibus, noſtrique reatûs conſcientiâ pavidos vicem, magis noſtram dolere decet, atque à judiciis ejus potiùs timere, quàm de exaltatione gloriari: propterea cùm primùm de ſollicitudine omnium Eccleſiarum nobis imponendâ agere cæpiſtis, meritò verebamur, ne Deus terribilis ſuper filios hominum elevans allideret nos, ac ne fortiora ſuſcipientes, inconcuſſo pondere contereremur; at verò cùm ingenti metu perculſi miniſterium noſtræ imbecillitati jure formidandum detrectaremus, mira illa & officii plena fraternitatum veſtrarum conſenſio certiſſimò nobis argumento fuit cæleſtium mandatorum, quibus nefas eſſe duximus diutiùs obluctari. &c. &c. Vir Mirus!* qui in eô unus eſt, ut diſcordantes Europæorum principum animos amicabili concordia conciliet. *Vir Mirus!* qui morum ſuavitate omnium voluntates attrahit, quem Regia Auſtria reveretur, cui in *Nepote Gravinæ Duce* in *Sacri Romani Imperii Principem* creando, ſua obſequia defert. Vir denique mirus! qui levi & parabili victu contentus, paupertate magiſtrâ in tantum excrevit. Gratulor tibi *Sancta Mater Eccleſia*, quæ tanti Pontificis aucta es gloriâ, qui dabit Salutem *in Iſrael*. Is enim LeVabIt SIgnVM In natIones, & CongregabIt (Deo & tIbI) profVgos IſraeLIs. Erit ſi Malachiæ fatidico fidem adhibere velimus, *Miles in Bello*; Non qui ſuper ſtrata hoſtium cadavera trophæa erigat, aut puriſſimas manus innocentum ſanguine imbuat, aut in campis cæſorum oſſibus albeſcentibus triumphabundus exultet; ſed qui orco pia bella moveat, qui repullulantem errorum hydram novus *Chriſtianus Hercules* ſub iugum mittat, quo *Sacro Imperatore* orbis videat & miretur *Romam triumphantem.* Scilicet

ErIt noVVS aC bonVs MILes In popVLo DeI.
ErIT ſtrenVVs aC aCerrIMVs VerItatIs Defenſor.
ErIt ECCLesIaſtICæ DIsCIpLInæ aC LIbertatIs
ZeLosVs & InDefeſsVs reſtaVrator.
DebeLLabIt hoſtes In ManV eXtentâ atqVe braChIo FortI.

Denique *Sereniſſima Vrſinorum Domus* in inſignibus præfert ſtellam, benigno influxu omnia refocillantem; candentia lilia, indubiè animorum puritatem denotantia; Turrim, ſecuritatis aſylum; & purpuream Roſam; vel ut hæc florum Regina non impar regibus ſtemma comprobet, vel ut odorifera ſuavitas virtutum fragantiam indicet, vel ut ex Roſâ inter Spinas enatâ ſuavitatis baſia exſpectet, quisquis amat, aculeos, quisquis immeritam lædit.

No. I.

CARDINALES EPISCOPI

No. I.

FRANCISCUS JUDICE NEAPOLITANUS.

FRanciscus Episcopus Ostiensis, & Veliternensis, Cardinalis Judice Neapolitanus, Archiepiscopus Montis Regalis in Siciliâ, Sacri Collegii Decanus &c. natus est 7. decembris anno 1647. ex illustrissimâ apud Neapolitanos Judicum familiâ, quam ipse novo gloriæ additamento orbi magis illustrem reddidit. Altissimo dotatus judicio, principum aularum negotiis unicè natus videtur, quæ tamen ita semper exantlavit, ut virtutes; quas eximias possidet, unicè in concilio haberet, nec præter illarum præscriptum quidquam unquam ageret; justitiæ etiam tenacissimus, ad illius trutinam cuncta exigit. Pontificiorum jurium, rara regiorum ministrorum libertate, acerrimus propugnator perpetuò exstitit. Fides, in quamcunque se partem daret, inviolata mansit. Denique in utrâque fortunâ magnus, suique victor animus tranquillâ statione sua deiici nunquam potuit. Is primò omnium *Protonotarium Apostolicum* in aulâ Romanâ egit. Postea in Clericum de Camerâ (quem vulgo Chierico di Camerâ nuncupant) assumptus est; & cùm in eo summa omnia reperirentur, ab Alexandro VIII. Pontifice Maximo commendatitiis Caroli II. Regis Hispaniarum literis haud gravatè datum est, ut *Sacro Purpuratorum Collegio* 13. Februarii anno 1690. adlegeretur: quo honore auctum Carolus *Sacratiori Regii Regiminis* concilio non modò annumeratum voluit; verùm etiam summa regni negotia per hujus viri incomparabilem solertiam in aulâ Romanâ sub exitum elapsi sæculi procurari demandavit. Postquam Carolus II. è vivis excessisset, cruentum Europæ bellum post se relinquens, Eminentissimus Purpuratus Philippum V. Andegavensem, quem integra Hispania, pleno veluti torrente abrepta, receperat, unà secutus est, optimum tunc quidem eum judicans, cui possessio suffragaretur; Et Hispania statim sensit, quantus vir suis partibus accesserit, cùm faciundiâ summus in quamcunque partem peroraret, pronas omnium voluntates ocyùs attraheret. Ergo dignissimus judicatus, qui provinciarum regimini admoveretur, â Philippo V. anno 1702. Siciliæ immissus est, ut proregis potestate hoc regnum administraret, quod molli tunc quidem manu inter bellorum nubila tractandum ipse mitissimo instructus ingenio ita rexit, ut felices se reputarent Siculi, qui sic denique regerentur. Anno 1706. Insulâ excessit; quam tamen non ex toto destituere visus est: nam *Archiepiscopus Montis Regalis* in Siculo regno nuncupatus paternas curas suas in hanc usque diem eò extendit. Anno 1708. Indiarum etiam Patriarchatum obtinuit, ultra vastum oceanum inclytum suum nomen propagaturus. Postea *summi Inquisitoris* munus per Hispaniam Zelosè exercuit; quo qui-

quidem oculatiſſimo judicio felix Hiſpania erroneas quaſcunque Sectas ſuo è ſinu perpetuò excluſit. Et quamvis Belgarum populos hujus inquiſitionis terrore concuſſos, prioribus ſæculis â regibus ſuis æquè, ac ab avitâ religione deſciviſſe vidimus, maluit tamen orthodoxa Hiſpania unius abſciſſione brachii reliquum regni corpus integrum ſervare, quàm apud ſe vel unicum ſubditum tolerare, qui Deo denique ſubditus non eſſet. Neque tamen intra hoc ſtitit Regis Hiſpaniarum in prudentiſſimum purpuratum propenſio; Enimverò quantum fidei Philippus V. in eo collocârit, luculento ſatis argumento fit, quòd filium ſuum Ludovicum Aſturiæ Principem, in ſpem tantorum dominatuum genitum, ejus curæ unicè committeret. Hunc quidem Patre ampliſſimâ monarchiâ rarô potentûm miraculo ſe abdicante, Hiſpaniarum & Indiarum Dominium orbis vidit; ſed in florentiſſimâ ætate præproperô fatô, dum hoc ſcribo, abreptus, luctuoſo ſatis exemplo docuit, quòd mors invida magnificas æquè regum fores, ac laceras pauperum tabernas, utrimque admittendus nullo diſcrimine pulſet. Ut tamen Sacro Inquiſitoris muneri *Eminentiſſimus Purpuratus* ſe totum impenderet, Ludovicum I. cui Spiritum prudentiæ & pietatis jam magna ex parte inſufflaverat, Duci de Popoli ulterius informandum permiſit. Subinde in Hiſpaniâ hoc etiam inter egregia ejus facta commemorandum egit, ut Pontificius inquiſitor aliquot tractatus graviſſimâ cenſurâ caſtigaret, qui principum ſæcularium poteſtatem ita efferebant, ut Pontificiæ authoritati multùm detraherent. Unde unde demum offenſionum nubila ſuborta fuerint, certè aula brevi aliam faciem induebat, & tam inſignia eximii viri merita inimica grando momentô citiùs proſternebat; verùm ea eſt genuinæ virtutis indoles, ut ubivis gentium admiratores inveniat & cultores: Nam non modò Clemens XI. Pontifex Maximus tam præclarum principem ſummo benevolentiæ affectu Romam reducem complexus eſt; ſed Auguſtiſſimus inſuper Imperator Carolus VI. tantæ ſapientiæ Antiſtitem ad ſuas traductum partes impenſiſſime fovit; cujus equidem partes Eminentiſſimus purpuratus eò proniùs ſuſcipiebat, quòd tam juſtum regem Neapolitanô in ſoliô legitimè regnantem Neapolitanus ipſemet intueretur. Exinde Sacratiori Cæſaris Conſilio, ubi quot capita, tot ſapientiæ magiſtros reperias, ipſe inter ſapientiæ choragos numerandus adlectus eſt. Nec minùs Eccleſiaſticam Rempublicam piiſſimis æquè ac prudentiſſimis curis perpetuò amplectebatur. Certè hoc Epiſcopo felix aliquando Capua, ſuas ſibi delitias renaſci credebat. Paleſtrina non tam fano fortunæ olim nobilis erat, quàm hujus principis paſtorali curâ ſe fortunatam ſenſit. Urbs Tuſculana eo etiam Epiſcopo gaviſa eſt; credo ut facundiſſimus hic Cicero ſuum Tuſculum nanciſceretur, ubi in admirabilem eloquentiam ſacrum os ſolveret. Modò Oſtienſis civitas eum Sacrorum Antiſtitem amplectitur, cui equidem oſtium irremiſsâ paſtoris curâ pandere ad cœlos videtur. Nec etiam Velitræ priſcâ Volſcorum gloriâ tantùm gloriantur, quantùm hujus Antiſtitis ſui magnificentiſſimo nomine illuſtratas ſe ſentiunt. Mons Regalis in Siciliâ *Regale* eius *Sacerdotium* in excelſo gloriæ poſitum venerabundo nutu ſuſpicit. Chriſtianus denique orbis, in cujus charitatem ſe eviſcerat, ſinceriſſimo affectu fovet, quatenus MVLtIpLICet Vt PhoenIX DIes.



FABRITIUS S.R.E. EPISCOPUS
CARDINALIS PAULUTIUS FOROLIVIENSIS
SS.mi D.N.P. VICARIUS GENERALIS
CREATUS DIE XXII. JULIJ MDCXCVII.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Priv. Sacr. Caes. Maj.

No. II.

FABRITIUS PAULUCIUS FOROLIVIENSIS.

FAbritius Episcopus Portuensis Cardinalis Paulucius Foroliviensis Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vicarius, & Secretarius Statûs natus est 3. Aprilis anno 1651. ex illustrissimâ apud Forolivienses Comitum de Calbulo prosapiâ, ex quâ elapso sæculo floruit Franciscus Paulucius, qui sacræ Themidis prodigium visus, multorum principum gravissimas causas admirabili prudentiâ in aulâ Romanâ pertractaverat. Vivere ceperat anno 1581; exinde necdum decem annos supergressus Romam pervenit, nobilem animum in Collegio Romano scientiis imbuturus. Postea famosissimus Baronius suas illum in ædes transtulit, nec potuit non fieri maximus, cûm tanti viri doctissimo consortio frueretur, & ex illius disciplinâ probè efformaretur. Denique Cardinalis Aldobrandinus, scientiarum elapso sæculo Phoenix ad sua traductum ministeria penitus perfecit. Sub Paulo V. Auditor Cameræ Apostolicæ nuncupabatur. Gregorius XV. Complures insignes episcopatus eidem obtulit, quos ille mirâ animi modestiâ recusabat. Sub Urbano VIII. referendarium utriusque signaturæ insigni solertiâ agebat; hinc statim ab eodem Urbano Consultor inquisitionis, & episcoporum examinator denominabatur. Sub Innocentio X. multos hostes nanciscebatur, cùm non sæculo, non hominibus æstimatis, inconcusso studio pro veritate staret; eas tamen omnes difficultates feliciter eluctatus, ab Alexandro VII. anno 1657. ad purpuræ honorem vocabatur, multorum destinatione etiam in summâ ætate pontifex futurus, nisi pene octogenarium ante Alexandrum VII. fatum surripuisset. Forolivienses tam insigni Patriotæ in publico foro statuam posuerunt, quæ decantatissimum tanti viri nomen posteritati perpetuò loquetur; nec minùs ex illius felicissimi ingenii partu viginti doctissima manuscripta prodierunt, quibus ille in memoriâ posteritatis perpetuò vivet. Habemus hic brevi quopiam compendio descriptum nostrum Eminentissimum Purpuratum Fabritium Paulucium, priori illi Francisco, si utriusque casus probè conferamus, per omnia adeò similem, ut non prior ille excessisse, sed immigrasse in alterum videatur. Certè illi mortalium oculis subducto, ceu occiduo Hespero novus oriens felicitatis Bosphorus, Fabritius successit, suæ fortunæ ipsemet futurus faber; siquidem in ædificando tantæ sapientiæ Palladio, quod sola virtus perfecit, fortuna nullam partem sibi vindicare valeat. Planè eximias animi dotes, principe Viro dignissimas, antistes integerrimus possidet; & quam parùm abfuit, ut virtutibus suffragantibus in illud se solium evectum videret, unde triplici tyarâ mytratus præsul Sacro Orbi jus diceret. Huic eum spei quàm proximè admovebant elata penè supra humanum sapientia, rerum forensium pertractandarum admiranda solertia, & in juribus Pontificiis propugnandis inconcussa constantia, quibus accedit magnanimus animus, difficillimis etiam Sacræ



FABRITIUS S.R.E. EPISCOPUS
CARDINALIS PAULUTIUS FOROLIVIENSIS
SS.mi D.N.P. VICARIUS GENERALIS
CREATUS DIE XXII. JULIJ MDCXCVII.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Priv. Sacr. Caes. Maj.

No. II.

FABRITIUS PAULUCIUS FOROLIVIENSIS.

FAbritius Episcopus Portuensis Cardinalis Paulucius Foroliviensis Sanctissimi Domini Nostri Papæ Vicarius, & Secretarius Statûs natus est 3. Aprilis anno 1651. ex illustrissimâ apud Forolivienses Comitum de Calbulo prosapiâ, ex quâ elapso sæculo floruit Franciscus Paulucius, qui sacræ Themidis prodigium visus, multorum principum gravissimas causas admirabili prudentiâ in aulâ Romanâ pertractaverat. Vivere ceperat anno 1581; exinde necdum decem annos supergressus Romam pervenit, nobilem animum in Collegio Romano scientiis imbuturus. Postea famosissimus Baronius suas illum in ædes transtulit, nec potuit non fieri maximus, cûm tanti viri doctissimo consortio frueretur, & ex illius disciplinâ probè efformaretur. Denique Cardinalis Aldobrandinus, scientiarum elapso sæculo Phoenix ad sua traductum ministeria penitus perfecit. Sub Paulo V. Auditor Cameræ Apostolicæ nuncupabatur. Gregorius XV. Complures insignes episcopatus eidem obtulit, quos ille mirâ animi modestiâ recusabat. Sub Urbano VIII. referendarium utriusque signaturæ insigni solertiâ agebat; hinc statim ab eodem Urbano Consultor inquisitionis, & episcoporum examinator denominabatur. Sub Innocentio X. multos hostes nanciscebatur, cûm non sæculo, non hominibus æstimatis, inconcusso studio pro veritate staret; eas tamen omnes difficultates feliciter eluctatus, ab Alexandro VII. anno 1657. ad purpuræ honorem vocabatur, multorum destinatione etiam in summâ ætate pontifex futurus, nisi pene octogenarium ante Alexandrum VII. fatum surripuisset. Forolivienses tam insigni Patriotæ in publico foro statuam posuerunt, quæ decantatissimum tanti viri nomen posteritati perpetuò loquetur; nec minùs ex illius felicissimi ingenii partu viginti doctissima manuscripta prodierunt, quibus ille in memoriâ posteritatis perpetuò vivet. Habemus hic brevi quopiam compendio descriptum nostrum Eminentissimum Purpuratum Fabritium Paulucium, priori illi Francisco, si utriusque casus probè conferamus, per omnia adeò similem, ut non prior ille excessisse, sed immigrasse in alterum videatur. Certè illi mortalium oculis subducto, ceu occiduo Hespero novus oriens felicitatis Bosphorus, Fabritius successit, suæ fortunæ ipsemet futurus faber; siquidem in ædificando tantæ sapientiæ Palladio, quod sola virtus perfecit, fortuna nullam partem sibi vindicare valeat. Planè eximias animi dotes, principe Viro dignissimas, antistes integerrimus possidet; & quam parùm abfuit, ut virtutibus suffragantibus in illud se solium evectum videret, unde triplici tyarâ mytratus præsul Sacro Orbi jus diceret. Huic eum spei quàm proximè admovebant elata penè supra humanum sapientia, rerum forensium pertractandarum admiranda solertia, & in juribus Pontificiis propugnandis inconcussa constantia, quibus accedit magnanimus animus, difficillimis etiam Sacræ

Reipublicæ temporibus semper serenus, nec pacificâ cœli sui statione unquam dejiciendus; addamus juris & æquitatis juratissimum studium, cujus tenaciores paucos reperiemus; prætcrea virtuosissimæ vitæ tam constans in eo tenor semper extitit, ut sibì prorsus idem nunquam non staret; hinc populi Romani studia mirè sibi conciliavit, non aliis equidem artibus, nisi quòd in omnes beneficus esset, nec ullus ei unquam displiceret, nisi cui virtus. Antequam sacram purpuram obtineret, gubernatorem in urbe Romana agebat, & ita agebat, ut eô denique vix alter justior unquam fuerit. Anno 1697. Colonias Agripinas Pontificius nuntius missus est; inde anno insequenti nuntius extraordinarius Poloniam intravit; nam cùm Polonia intestinis dissidiis jam tunc miserè dilaceraretur, vir maximus immittendus erat, qui dissensionum nubila sua serenitate discuteret; & egregius pacificator exulceratos procerum animos tunc quidem utcunque composuit. Redux factus, Ferrariensem episcopatum meritissimus vir obtinuerat; & quantùm paulò ante in civilibus negotiis feliciter exantlandis perfecerat, tantùm pastoralis sollicitudinis in commissâ sibi grege fideliter pascendâ postea exhausit. Hinc ab Innocentio XII. proprio motu (si quidem opus voluntarium dicere velis, quod virtus expressit) sacræ ecclesiæ purpuratis annumeratus est; tunc quidem recusanti honor ingerebatur, quem ita gerebat, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Apud Clementem XI. Innocentii successorem tantâ gratiâ valebat, ut maximis consiliis inter Reipublicæ ardua semper adhiberetur; & prout illustrissimus ejus frater sagô inclytus Pontificiis copiis præfectum se vidit, ita Eminentissimus purpuratus pacis artium callentissimus secretarii statûs arduo munere jam tunc insigniter defungebatur. Planè cùm belli tempestas longè funestissima in totam Europam detonaret, adversus bellorum fulmina inconcussa stetit hæc humanæ sapientiæ laurus. Oleam equidem & laurum pacificæ Romæ prætulit, amicabilibus tractatibus Pontificem inter & imperatorem Josephum initis 15. Junii anno 1709. nocte concubia cum Cæsaris ministro marchione de Prie subscribendo; nec unquam feliciùs solidas noctibus dies maritavit, quàm cùm dissensionum nubila discutiens ex tenebris splendescere lumen fecit. Anno 1710. summi Pœnitentiarii perquam honorificum munus eidem conferebatur. Anno 1711. piis manibus defuncti imperatoris Josephi ad aras piissimè parentabat, & in communi orbis luctu, extincto uno Austriæ oculo, tristitiam unà afferebat. Anno 1714. Alexandro Sobieskio moribundo adstitit, ad ultimam luctam heroicum principem tam probè instruens, ut sub ejus manibus mori dulce denique fuerit. In Quesnellianis erroribus profligandis tam strenuus semper Zelator fuerat, ut Gallia eô fermentô expurgata hujus Principis justæ censuræ, quâ nova dogmata flagellabat, multùm debeat. Anno 1715. ex presbyterorum ordine ad episcopos translatus, Albanensi ecclesiæ præficiebatur. Anno 1721. Generalis Vicarius summi Pontificis declarabatur. Inde Clemente XI. è vivis excedente, prope erat, ut in pontificem maximum eligeretur, complurium purpuratorum suffragiis, & plebis Romanæ ardentissimis desideriis in eum collineantibus: enimvero ad sacrum conclave iturus populi coronâ cingebatur, & percipiebantur palam erumpentium animorum studia, multis acclamantibus, ut qui purpuratus Mysta sacrum conclave intraret, non nisi triplici condecoratus tyara inde egrederetur; Sed tantam dignitatem meruisse placidissimo seni satis erat, & ab omni ambitu alienissimus haud gravatè secum ipse habitat. Postea etiam apud Innocentium XIII. in summo pretio hoc sapientiæ gemma exstitit; eo etiam ad superas oras triennio abhinc avolante, Benedictus XIII. eodem in hunc sapientiæ Apollinem cultu ferebatur, dignissimum judicans, in quem Summum secretarii statûs officium noviter transferret, quo is tanta sui commendatione sub Clemente XI. defunctus jamdum fuerat. Certè in summo etiam senio acer & vegetus, fidelissimum ecclesiæ ministrum nunquam non agit; qui denique cum Gorgia Leontino se felicissimum reputare possit, eò quòd nihil habebat, quô senectutem suam, hucusque dimenso per summas virtutes vitæ curriculo accuset.

No. III



Franciscus Pignatellus Neapolitanus
Archiepiscopus Neapolis
S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SS.mo
D.N.D. CLEMENTE PAPA XI.
in Consistorio secreto die 17. Decembris 1703.

Ioh. Christ. Kolb exc.

No. III.


FRANCISCUS PIGNATEL-LUS NEAPOLITANUS.

FRanciſcus Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Pignatellus Neapolitanus Archiepiſcopus Neapolis natus eſt anno 1652. 6. Februarii. Ortum ſuum refert ad decantatiſſimam Pignatellorum Proſapiam, quæ ditionibus per Regnum Neapolitanum adeo invaluit, ut ducatus ac Marchionatus *Biſaccia*, *Montcorvino*, *Spinazzola*, *Caſtellanetta*, *Monteleone &c. &c.* virtutum æquè ac opum ditiſſima familia poſſideat. Ex ea ſydus longè illuſtriſſimum exortum eſt Innocentius XII. Pignatellus, tam recentibus in Chriſtianum orbem meritis, ut omnium adhuc oculis gratiſſimâ ſui recordatione obverſetur. Attamen pacis obſervantiſſimus in ea tempora Pontificatum ſuum incidiſſe indoluit, quibus Chriſtianus orbis perpetuis bellorum motibus concutiebatur; Id tamen ſummi ſolatii loco habuerat, quòd antequam moreretur, orbem pacatum videret; præſertim Hungariâ ab impotenti turcarum tyrannide victricibus Auſtriæ, â cœlis adjutæ, armis vindicatâ. Sed cùm abſterſâ bellorum fuligine pacis limina clauderentur, contrà ſexcenteſimo ſæculo ad finem deproperante, ſacra porta Chriſti Vicario aperienda eſſet, mors invida obſtitit, quò minùs pene integri ejus ſeculi Phœnix exoptatiſſimo officio defungeretur; nam antequam ille portam aperiret, mors vitæ oſtium clauſit. Eô quidem rebus humanis ſubductô, in mundi & gloriæ theatrum ſucceſſit Eminentiſſimus noſter Purpuratus Franciſcus Pignatellus, Innocentii XII. ex fratre ejus Julio non degener pronepos, & avitarum non minùs ac propriarum virtutum radiis pulcherrimè renitens. Enimverò Religio, conſtantia, probitas, & mentis integerrimæ ſinceritas, nec ullis laſſata difficultatibus magnanimitas, hiſque omnibus ſuppar ſapientia pene ſupra hominum ſortem laudabilisſimum Antiſtitem evehere videntur. Anno 1700. *Pontificius Nuntius* ad Polonos miſſus eſt, ut pacis interpretem ageret, quam per diſſenſiones inquietæ gentis obtinere non licuit. Inde redux factus Viennam attingebat, ubi Leopoldus Imperator ſapientûm cultor mirificus, eximium virum magnificè amplexus eſt, nihil obſequiorum prætermittendo, quibus Maximi Pontificis dignisſimum nepotem veneraretur, de quo jam tum ſumma omnia multorum opinio augurabatur. Anno 1703. ab Eccleſiâ Tarentinâ, cui laudabilisſimè præerat, ad Neapolitanum Archiepiſcopatum translatus eſt, quem religione & Sapientia ita adminiſtravit, ut difficillimis ſacræ Reipublicæ temporibus, cùm inter bella leges jacerent, in nullo unquam Antiſtes integerrimus offenderet; Religionem equidem comprobabat eximius ejus Zelus, quô pro Eccleſiaſticâ immunitate tuendâ juratisſimo ſtudio ſemper ſteterat. Sapientiam vel ipſa tempora ſatis eloquebantur; nam cùm Regnum Neapolitanum bis Dominos mutaret, prudentisſimus planè Vliſſes erat, qui integro illo decennio (tot enim anni ab adepto ejus Archiepiſcopatu ad pacem Vltrajectinam interfluxerant) variis licèt undis jactatam navem feliciter ad portum deduxerit; Eccleſiæ etenim ſuæ unicè curam gerens, nec ſæculares poteſtates curans, tunc demum ut plurimum ſapuit, cùm ad tuenda Eccleſiaſtica jura, quæ ſæculi genius diminutum ibat, infracto animo ſtare ſemper viſus eſt. Ergo Clemens XI. Pontifex Maximus Sacram purpuram eodem anno eximiis viri meritis conceſſerat, quam In-

nocen-

nocentius XII, quamdiu in vivis supererat, licèt multis intercedentibus, sanguini non tribuerat. Tunc quidem, cùm ad purpuram vocaretur, id singulare contigit, ut ad eam dignitatem acceptandam primus omnium â sanctissimô Patre evocaretur, luculento satis testimonio, quam eximias virtutes Sanctissimus Pater in eo viro repererit, in quô quidem exornando primus ejus labor versaretur; planè tam magnificis laudibus eum in publ cô consistorio, quo purpuratum dicebat, extulit, ut quantùm in suo animo meritissimus Princeps regnaret, Sacro ore satis eloqueretur. Tunc quidem temporis, quô hic purpuræ acceptæ nuntius ad ipsum delatus est, in ædibus Lauretanis pro eximio suo in Magnam Matrem studio, eandem venerabatur, utque munificentiæ suæ perpetuum monumentum relinqueret, Christi è cruce penduli imaginem, gemmis exornatam, & ad duodecim facilè millia scutorum Romanorum æstimatam, parthěniis aris aureâ liberalitate donum obtulit, dignissimus, qui Marianis verè ignibus æstuans, Parthenii cultûs sui in eo potissimùm loco fructum perciperet, & cœli dominæ eam dignitatem in acceptis referret. Inde Pisaurum delatus, rubrum galerum â grandi Pontificis Nepote Hannibale Albano ad se delatum reverenter accepit, satis dignoscens, quàm propensô in se animô Sanctissimus Pater esset, cùm ad se exornandum maximi Nepotis ministerio uteretur, quem & ipsum jam tunc sua merita ad purpuram vocabant. Cum anno 1706. Carolus VI. victricibus æque armis, ac populi votis regnum Neapolitanum sui juris faceret, eum haud gravatè Regem suum agnovit, quem ipsi cœli non huic modò regno, sed orbi universo, quem meritis complectitur, immisisse videntur Ergo ad Cardinalem Grimanum, Summum Cæsaris in aulâ Pontificiâ ministrum maximo comit atu se conferebat, sua novo Regi obsequia contestaturus; quem quidem Eminentissimus Purpuratus Grimanus ita accepit, ut multùm sibi de tanti viri ad Cæsareas partes accessu congratularetur. Quadriennio abhinc Eminentissimus Pignatellus huic Maximo Cæsaris Ministro vices abundè reddidit. Nam cùm is prorex Neapolitanus animam ageret, Zelosissimus Archiepiscopus â moribundo nunquam recessit, & ad ultimam luctam Christianum Athletam probe armävit, summo solatio inde percepto, quòd nullo mortis metu morientem videret, utpote in cœlos, quos meritis præoccupaverat, avolaturum. Ao. 1709. Agnata ejus Maria Anna Pignatella cum Illustrissimo Sacri Romani Imperii Comite Joanne Michaële de Althan, aurei velleris Equite, & summo Cæsarei stabuli præfecto, primæ admissionis apud maximum Imperatorem ministro matrimoniô juncta est, quo factum est, ut princeps *Pignatellorum* familia cum compluribus illustrissimis Germaniæ dynastis affinitatum fœderibus innecteretur. Eadem illustrissima familia nobilissimos Caraffas sanguine complectitur; prout *Eminentissimus Purpuratus* agnatum Caraffam in templo S. S. Trinitatis Neapoli in Episcopum Larissæ consecravit, pluribus veluti fulcris Ecclesiam suffulturus. Anno 1716. Hebræum ad Christiana Sacra traductum, suis ipse manibus lustralibus undis abluebat, & ut totum Pignatellorum beneficium esset, à nepote suo Marchione de Monte Leone, Proregis Neapolitani filio, è sacro fonte levari curavit. Anno 1719. â Clemente XI. Romam evocabatur, qui de summis rebus, nunciaturam Neapolitanam concernentibus, prudentissimum principem in consilium adhibebat, quem etiam Sabinæ Episcopum tunc quidem nominavit, eum ex Diaconorum ordine ad Episcopos transferendo. Ipse etiam Augustissimus Imperator, ut fidissimos Pignatellos Cæsareâ authoritate magis magisque orbi redderet conspicuos, Nicolaum Pignatellum principem de Monte Leone anno 1719. proregem Siciliæ nominavit, & Pignatellum marchionem Sancti Vincentii, Supremum belli mareschallum in regno Neapolitano creavit, legione equestri ejus fidei commissâ. Anno 1720. Eminentissimus Purpuratus plenariam peccatorum veniam per regnum Neapolitanum promulgari jussit, ut divinam iram placaret, & pestiferam luem, qua urbs Massiliensis miserè depascebatur, procul â patriæ finibus arceret; tunc quidem optimi ominis locô habitum est, quòd concretus Divi Januarii sanguis, in crystallino vitro conclusus, cùm Sacro ejus capiti propiùs admoveretur, recentibus guttis Stillaret, insigni hoc prodigio in hanc usque diem durante, & quàm gloriosus Deus in Sanctis suis sit, manifestissimè demonstrante. Ceterum Eminentissimus hic Purpuratus tribus conclavibus pro eligendis novis Pontificibus ita interfuit, ut in spem summi fastigii nunquam non ipsemet veniret. Enimvero cùm religione summus existat, summâ hâc dignitate se dignissimum nunquam non præstitit; planè Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, stolâ gloriæ haud dubiè induetur in cœlis, æternùm triumphaturus.

No. IV



FRANCISCVS S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS BARBERINVS ROMANVS
CREATVS DIE XIII. NOVEMBRIS M. DC. XC.



FRANCISCVS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS BARBERINVS ROMANVS
CREATVS DIE XIII. NOVEMBRIS M.DC.XC.

Iohann Christoph Kolb excud.

Cum Gratia et Priv. Sac. Caes. Maj. 4.

No. IV.

FRANCISCUS BARBERINUS ROMANUS.

FRancifcus Epifcopus Prænestinus Cardinalis Barberinus Romanus natus est 13. Novembris anno 1662. ex illustrissimâ Hetruscos inter Barberinorum familiâ; nam gentilitium castellum, Barberino dictum, Florentiam inter & Siennam hodiedum conspicitur, unde toti inclytæ prosapiæ nomen, cùm anteà Barberini Castellinorum nomine venirent. Decantatissima hæc Barberinorum familia quamplurimos togâ & sagô præclaros viros publicæ luci dedit; Ego ceteris prætermissis, qui longam de se scribendi materiam historicis præbebunt, duos aggredior. Imprimis Maphæum Barberinum, postea Urbani VIII. nomine in cathedram Petri evocatum: & post illum tanti Patrui dignissimum nepotem Franciscum Barberinum, Eminentissimum Cardinalem nostrum; quod nobile par maximis in Christianam rempublicam meritis effecit, nè quis in Europâ nostrâ terrarum angulus sit, qui Barberinorum nomen ignoret. Urbanus equidem Pontifex creatus inter Reges Galliarum & Hispaniarum pacem conciliavit, pacis interprete Cardinale Francisco Barberino nepote in Galliam misso: Inde Basilicam Sancti Petri, Stupendam illam molem, absolutam consecravit 18. Novembris anno 1626, in cujus quidem fabricam quadragitita tres auri milliones impensas referunt. Postea anno 1629. Beato Andreæ Corsino Florentino ordinis Carmelitarum cœlestes civium honores detulit anno 1629. Triennio ante Sanctorum fastis adscripserat Sanctam Elisabetham Lusitaniæ reginam; sic fidissimos orbi Patronos, suique perpetuam unà memoriam reliquerat. Idem Portum Centum cellarum, vulgò civitta vechia dictum â prædecessoribus inchoatum absolvit. Nec minùs Principibus Apostolorum magnificentissimum mausolæum exstruxit, arámque maximam sub eo constituit. Adriani molem novis propugnaculis reddidit firmiorem anno 1628. In agro Bononiensi firmissimam arcem, quæ ex suo nomine Urbano dicitur; validissimis propugnaculis; gemino vallo, nec non geminâ fossa circumdedit, ad Pontificiam ditionem magis magisque tuendam. Arcem castri Gandulphi ampliavit & hortis amœnissimis instruxit anno 1629. Montes Pietatis ad egentium & alieno ære oppressorum levamen in urbe fundavit anno 1639. Quirinali palatio multa ædificia addidit, familiæ Pontificiæ pernecessaria An. 1638. Amplissima horrea ad populi necessitates sublevandas exstruxit An. 1639. Magnam urbis partem, civitatem imprimis leoninam mœnibus incinxit An. 1644. Idem Divæ Martinæ corpus ex Mamertino carcere adinvenit. Ædes Sanctæ Bibianæ, S. Anastasiæ, & S. Caji Pontificis, nec non Ecclesias Beatæ Virginis Mariæ Conceptæ, & Monasterium Incarnationis Christi sumptuosissimè exstruxit. Hæc aliáque complura opera Barberini fuêre; nunc descendendum ad inclytum Nepotem Franciscum Barberinum, de quo hîc Sermo. Cardinalitio Collegio adlectus est ab Alexandro VIII. 13. Febr. An. 1690, dignissimus planè purpurâ Princeps, in quo quidem ad exactam viri undequaque per-

perfecti ideam nihil desideres. Eximia prudentia omnes actiones ejus insigniter commendat. Summus ingenio in altissima quæque vix unquam fallentibus conjecturis penetrat. Gravissimorum negotiorum molem nullis lassandus difficultatibus sustinet. Conceptis semel prudentissimis consiliis virili constantiâ adhærescit; affectibus etiam tam probè compositus, ut tranquilla animi, in læta pace triumphantis Statione nunquam dejici possit. Cùm Summus Pontifex ei biretum imponeret, & pacis osculum figeret, Sacrato ejus capite Infula decidit, multis multa ominantibus; ceu Pontificiâ tyarâ neopurpuratus aliquando condecorandus esset: Merita planè, cur condecoraretur, nunquam defuerunt, si quidem idem coelum plures soles caperet. Postea apud Ravennates Pontificis legatum egit, nec præsentiore cura subditorum necessitates sublevare ullus visus. Anno 1697. Regni Poloniæ Protector denominatus est; Hinc Augusto Saxone ad regium fastigium evocatô, exquisitissimâ neutiquam pompa defuit, qua suum ob hunc principem in maternum æquè Sacræ Romanæ Ecclesiæ gremium ac Poloniæ solium receptum, medullitus haustum gaudium contestaretur; Ante omnia in Ecclesiâ Sancti Stanislai Polonorum Tutelaris Ambrosianum hymnum solenni ritu intonari curavit, lætus ex Wittekindi potissimùm pervetustâ prosapiâ reperiri, qui orthodoxam fidem, ab illo haustam, sed temporum calamitatibus in illis regionibus intercidentem, noviter amplecteretur. Anno 1701. Pontificiâ sede vacante, pro Francisco Albano, postea Clemente XI, in Romanum solium evehendô eò firmius stabat, quòd optimum orbis rectorem futurum prudentissimâ conjecturâ præsentisceret. Subinde mitissimi animi Princeps Solam pacem inter medios belli turbines semper in ore ferebat; Planè rebus anno 1709. ad bellum spectantibus, non credidit externorum militum injurias in solum Romanum asperioribus remediis irritandos. Anno 1713. Comitem Gallassium, Cæsaris in aulâ Romanâ ministrum, longissimâ centum & novem curruum pompâ quàm magnificentissimè Romam ingressum, 12. Maji ad summi Pontificis conclave peroraturum introduxit; Tunc quidem ottomanicus Tyrannus gravè Reipublicæ Christianæ exitium minitabatur, & ipsam Romam, stolido somniô cogitabat. Verùm Carolus VI. omnis ætatis ac memoriæ clarissimus Imperator paulò postea exundantem illum Barbarorum torrentem invicto suo milite ceu objice objecto fortiter stitit, ne ultra progrederetur. Paulò anteà Serenissimus Barberini frater, idémque Palestrinæ princeps ducissæ de Sora matrimonialibus foederibus junctus erat, inclytum stemma, Christiani Orbis bono destinatum, novâ, nec degeneri sobole beaturus. Anno 1714. res prodigiosa contigit, sellâ, è quâ tantus princeps, Religioso ex ordine Sancti Benedicti collocuturus, vixdum assurexerat, fulmine tactâ, & momentô citiùs absumptâ; Infra tamen, hoc pietatis coelum fulmina serpebant: steterat inconcussa adversus has fulmineas minas Daphnæa hæc humanæ sapientiæ laurus; nec etiam grandi orbis commodo natus mensuram suam tam citò explevit. Anno 1714. Protectorium fratrum minorum Sancti Francisci, quos vulgò Capucinos indigitamus, suscepit, hos solidæ virtutis alumnos, professione minimos, virtutibus maximos, paterno semper affectu complexus, luculentam mercedem sperans in coelis, qui eos coeli alumnos nutriret in terris. Anno 1721, ut domui suæ Princeps providus probè disponeret, Fridericum Boromeum hæredem nuncupavit, suarum non minus opum, quàm eximiarum virtutum hæredem post se relicturus; Nam Barberinos & Boromæos ab eodem communi stipite descendentes reperio: hinc uno succisso non deficere alter videtur. Hic idem Eminentissimus purpuratus Mutinensium Duce agnatô gloriatur; hunc enim parente Laurentiâ Barberina progenitum constat. Quo quidem factum est, ut Augustissimam domum Austriacam Eminentissimus Purpuratus affinitatis foederibus unà complectatur, dignissimus denique, quem in suum omnes adoptent. Eum quidem in Episcoporum ordinem receptum Ecclesia Palæstrina sibi de tanto viro gratabunda suscepit, quem Eminentissimus Cardinalis Paulucius postea inauguravit. Demum prout Eminentissimus Purpuratus Barbarinus, principibus charus in eorum animos pene dominatum exercet, ita virum planè popularem, ejusque commodis inservientem, vulgus amplectitur. Planè apis ista argumentosa mel cunctis præbet, omnibus amabilis, omnibus desiderabilis; adeo ut non sine præsagiô majores stirpis ejus insignia apes fecerint: Scilicet: Dum dominantur apes, copia mellis erit.

No. V.



IACOBUS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
BONCOMPAGNUS BONONIENSIS
CREATUS DIE XII. DECEMBRIS MDCXCV.

Johan Christoph Kolb excudit
Cum Privil. Sacr Caes. Maj.

5

No. V.

JACOBUS BONCOMPAGNUS BONNONIENSIS.

Jacobus Episcopus Albanensis Cardinalis Boncompagnus Bonnoniensis Archiepiscopus Bononiæ natus est quinto Maji anno 1651. ex illustrissimâ Boncompagnorum Bonnonienses inter familiâ. Est cur Bononia doctorum virorum sedes, se summis viris jactet, quos ex decantatissima hac Boncompagnorum domo publicæ luci dedit. Eos inter primatum facilè obtinet Gregorius XIII, laudabilissimus, si quis unquam, Romanæ Ecclesiæ Antistes, qui sanctissimis curis orbem complexus utrumque, sacra Christiana longè latéque propagavit. Is in sedandis Belgicis tumultibus totus erat, & Catholicum Belgium suas è communi naufragio servatas reliquias, magna ex parte Gregorio debet. Pro Hugonottis ex totâ Galliâ expellendis ærario Pontificio neutiquam parsit, plus quàm quadringentis aureorum millibus Carolo IX. eam in rem numeratis. Viros doctissimos æquè ac piissimos prudentissimo selectu conquisivit, quos in Affricam, magnâ spe conversionis affulgente immisit, & lavari æthiopem posse Zelosus Antistes edocuit. In Americam pene integros optimorum Missiariorum exercitus ablegavit, qui penè, quidquid idolorum supererat, debellarunt. Idem viginti duo Collegia instituit, ut orthodoxam Religionem latius disseminaret. In urbe Romanâ Societatis Jesu amplum collegium fundavit, ne ex urbe orbis principe, ipsi impigri orbis conversores excluderentur. Præsertim Collegium Germanicum pro centum adolescentibus instituit, seu potiùs à Julio II. jam inchoatum absolvit, reditibus annuis decem millium aureorum ei collegio perpetuò attributis; quod eo fine factum, ut Germanæ nationis juvenes & scientiarum disciplinis probè imbuerentur, & veræ religionis lac à teneris exsugerent, ut in patriam suam remissi, ceteros aut titubantes corroborarent, aut à vero tramite deflectentes, ad rectam semitam reducerent. Summam etiam diligentiam Princeps justissimus adhibuit, ut latrones & sicarii, quos vulgato nomine banditos appellamus, qui itineribus euntium imminent, ex totâ Italiâ noxiosissimam hominum fæcem expelleret. Cùm eo Pontifice Sacrum Jubilæum Romæ anno 1575. celebraretur, tantus peregrinantium accursus factus est, ut sola hospitalis domus Sanctissimæ Trinitatis sæpe eadem die septem aut octo millia eorum exciperet, principibus viris in ministerium peregrinorum intentis, & vel sordidos eorum pedes abluentibus; Gregorio interim immensos sumptus affatim suppeditante. Juris Canonici æquè ac Civilis nobilissimâ scientiâ usque adeo pollebat, ut per integram Italiam majorem Sacra Themis Alumnum non habere visa sit; plane Gregoriani codices, ejus imprimis operâ confecti, qualis quantusque doctor fuerit, luculenter testantur, & si vel cetera desint, Boncompagnorum nomen immortalitati consecrant. Nec minùs grande illud beneficium in Boncompagnos redundat, quô veteri calendario Julianô immutatô, novum Gregorianum correcta erratione anni, Christiano orbi propositum est, plerisque etiam adversariorum, ne toto cœlo & anno aberrare viderentur, eam innovationem, in qua præter Gregorii nomen nihil admo-

admodum displicebat, per Europam passim amplectentibus; paucis etenim minutulis per annum neglectis, temporis tractu ita eorum numerus excreverat, ut â tempore Nicæni concilii ad annum 1582. dies decem constituerent. Ergo urbs Bononiensis Gregorio, è cive quondam suo Sacratioris orbis Domino publicis expensis Æneam in potiori ædium publicarum aulâ statuam magnificentissimè exstruxerunt, quàm si quis probè cum adscripto laudum ejus epigraphi intueatur, ita denique sentiet, Gregorium mortalium oculis subductum; in præclarissimo Nepote suo Jacobo Boncompagno, nostro Eminentissimo purpurato undequaque vivere; & prout illum Reipublicæ bono & patriæ splendori natum, & civem optimè meritum Bononia deprædicavit; ita pariter eadem patriâ velut altissimæ Sapientiæ Principem Eminentissimum purpuratum Jacobum Boncompagnum intuetur, & ejus sapientiæ oracula, reveretur. Enimvero virtus, doctrina, Religio, & admirabilis solertia, laborúmque in seras usque noctes continuatorum, perseverantiâ hunc Principem perfecerunt. Nil temere loqui, imagini veræ Sapientiæ ubivis parere, quot verba, tot oracula fundere eximio huic viro in consuetis est. Hinc Innocentius XII. virorum doctorum fautor mirificus conjunctam in Boncompagno cum summa nobilitate doctrinam sacrâ purpurâ condecorandam imprimis sibi putavit, quæ etiam ei tot meritis præcurrentibus An. 1695. obtigit, non alieno ab illustrissimâ Familiâ honestamento; quippe Philippus Boncompagnus Gregorii XIII. ex fratre nepos, nec non Hieronymus Boncompagnus, qui obiit anno 1684. & post eum Franciscus, qui vivere desiit, An. 1690, eâdem purpurâ, summis omnium meritis indulta inclaruerunt. Postea Eminentissimus Purpuratus honorificentissimum Legati munus Pontificis in patriâ sua obivit, tantus in civium amoribus, ut nihil ægriûs, quam abitum illius Romam An. 1721. perferrent; cùm enim civilibus æquè ac Ecclesiasticis disciplinis probè imbutus esset, callebat equidem omnes partes, utrique Reipublicæ Sacræ æque ac profanæ ad amussim administrandæ pernecessarias, ita tamen, ut principem locum obtinens virtus, cunctarum denique actionum diribitrix esset, nec etiam se sæculi curis aliter impenderet, nisi ut eas altiùs, & ad ultimum finem Princeps Religiosissimus ordinaret. An. 1707. domesticum funus curas Eminentissimi Purpurati intenderat; Nam Serenissimus ejus Frater Gregorius, ad quem cum Olympiâ Ludovisia Piombini Principatûs hæreditas pervenerat, absquè masculo hærede fatis concesserat, Principatûs hæreditate ad filiam natu maximam Mariam nomine devolutâ. Sed eam ipsam Antonius Boncompagnus Soræ Princeps Eminentissimi Purpurati natu minimus frater matrimonialibus fœderibus sibi conjunxerat, dispensatione Pontificia desuper obtenta, ut penes eandem de Christianâ Republicâ meritissimam familiam ampla ea hæreditas maneret: Secundò genitus Frater Franciscus Archiepiscopus Bononiensis jamdum An. 1690. ultimam diem clauserat; quem probatissimarum virtutum Principem fata invida non sinebant esse senem; Jacobo scilicet ad eundem archiepiscopatum Bohnoniensem viam adornatura. Is in hanc usque diem indefessus pro Ecclesia Dei fortiter tuenda invigilat, & Superum cultui ac sacris aris exornandis, nec dies nec noctes cessando se totum impendit. Et si quidem antecessores ejus draconem gentilitiæ parmæ suæ inseruerunt, id ideo præcisè factum arbitror, quod draconem ad portam templi, in quo aureum vellus custodiebatur, excubias egisse, antiquitas tradat; Et Boncompagni in Ecclesiâ Dei fideliter custodiendâ exemplum renovare voluerint.

(o)

No. VI.



FRANCISCVS S . R . E . PRESBYTER
CARDINALIS AQVAVIVA DE ARAGONIA
NEAPOLITANVS
CREATVS DIE XVII . MAII MDCCVI .

Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Caes. Maj. 6

No. VI.

FRANCISCUS AQUAVIVA NEAPOLITANUS.

FRanciſcus Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis de Aquaviva Neapolitanus, Protector regni Hiſpaniarum natus eſt 14. Octobris An. 1665. ex decantatiſſimâ ducum Atriæ in regno Neapolitano familiâ; ad quam quidem Atriam, in agro Picentino ſitam ortum ſuum referebat Imperator Adrianus; hinc eadem urbs olim nomine Hadriæ veniebat. Primus, cui Ducis nomen conceſſum Matthæus Andreas Aquaviva exſtitit, in id faſtigii anno 1486. evectus: inde Aquavivæ tam latê propagati fuere, ut inde ortum ſuum ducant moderni comites de Flaviano & Converſano, duces de Nardo & Noci, nec non principes de Caſerta & Teramo, celeberrima per regnum Neapolitanum nomina. Ad hanc principem familiam pariter refertur Franciſcus Regis Societatis Jeſu ſacerdos, qui Sanctorum faſtis â Clemente XI. adſcriptus, novo ſydere cœlum auxit; verè Aquaviva & fons ſaliens factus, qui in ſalutem plurium ſcaturiret. Denique Eminentiſſimus Purpuratus Franciſcus Aquaviva, qui in noſtra tempora, magnorum virorum partu fœcundiſſima incidit, patriæ ſuæ decus longè illuſtriſſimum, & humanæ apex ſapientiæ videtur. Roma magnitudinem tanti viri deprædicat, Hiſpania prudentiam experitur, exteræ gentes ſolidiſſimum genium, & ad omnem perfectionem efformatum demirantur. Cùm natura dotes omnes, principe viro dignas, in eum liberaliter effuderit, eximia tamen comitas, quâ paucis concedit, principem locum reliquas inter obtinere videtur; & prout in captandis multorum benevolentiis efficaciciſſimus creditur, ita promeritas ſemel amicitias profuſa liberalitate excolit. Oris facundiâ tantùm valet, ut cùm Sacrum os ſolvit, pronas audientium voluntates liget. Dein amœno fœcundus ingenio, in graviſſimis Sacræ æquè ac Politicæ Reipublicæ negotiis muſarum nullam â ſuo conſortio arcet, nunquam ſolus habitans, utpote ſemper cum libris, librorum ipſe futurus materia. Gravis inceſſus grandem in corpore mentem denotare videtur; planè ad Hiſpanorum modulum & virilem gravitatem, quam in ſuis exigunt, tam propè accedit, ut peregrinæ gentis amorem, longiori etiam inter illos commercio, homo licèt Italus, facilè aucupavetur, nec gravatè ſui amatores fecit, quos eximiarum admiratores virtutum habuit. Ad hanc in Hiſpaniâ obeundam nunciaturam ab Innocentio XII, qui ſummam in hoc principe ſapientiam ſuſpiciebat, deſtinabatur; quam quidem ſibi commiſſam provinciam tam gnaviter vir incomparabilis exequebatur, ut non aliter ex Hiſpaniâ revocandus videretur, quam ſacrâ purpurâ in Summorum meritorum compenſationem attributâ. Hâc ſe â Clemente XI, hujus principis perſpectæ prudentiæ omnia tribuenti 17. Maj. An. 1706. condecoratum vidit. Redux ex Hiſpaniâ factus, patriam ſuam ex integro immutatam, & juris Auſtriaci, quæ bellorum viciſſitudo eſt, factam vidit: adhæc principem Joannem Hieronymum Aquavivam, ducem Atriæ, ſuúmque Germanum fratrem, in cujus perſpectâ fortitudine Philippus V. tantum fidei collocaverat, ut eum Neapolitanæ militiæ cum ſumma poteſtate præpoſuerit, Romæ offendit, quò is, quas ſemel amplexus fuerat partes, cum fide tuitus ſeſe contulerat. Verùm Eminentiſſimi Purpurati immeritum pectus maximo dolore pul-

sabatur, cùm Joannes Hieronymus triennio abhinc ex asperrimis calculi doloribus excederet, princeps utique dignissimus, qui in patriis sedibus exspiraret, nisi fatorum difficulter eluctabilis necessitas aliud jussisset. Brevì postea Libitina necdum satiata novum funus superaddidit. Properabat magnis itineribus Romam Anno 1710. Julius Antonius Aquaviva, Eminentissimi Purpurati ex ejus Sorore Dorotheâ non degener nepos, ut in Maximi avunculi amplexus rueret; Sed in medio itinere ardentissimâ febri correptus, ad cœlos priùs transiit, quàm ad optatissimos avunculi aspectus devenire liceret. Jam audi orbis, quod obstupescas, & prudenti conjecturâ conjice, quàm procul â fulmine sapientiæ lauri absint. Decimo Septimo Junii anni millesimi Septingentesimi decimi quarti Eminentissimus Purpuratus in suis ædibus suburbanis, quas Albæ magnificentissimè exstructas possidet, cum quatuordecim magni nominis hospitibus mensæ assidebat. Et ecce, subitò se spissæ nubes cœlo intendebant, & internitentium fulgurum minæ convivas conterrebant: mox atrocissima illa tempestas fulmen excussit, quod mensam tam nobili coronâ cinctam, unacum cibis appositis ita absumpsit, ut nemo tamen convivantium, quod prodigii instar habitum est, vel minimùm læderetur: adeò infra suum cœlum fulmina serpunt, & nobiliora fata tot inclytis viris debebantur, quàm ut cœli ignibus absumerentur. Subinde, ne quid ad summam gloriam maximo Purpurato deesset, grata tot meritis Hispania, eum suum in aulâ Romana principem ministrum, & potentissimi regni protectorem esse voluit; immò magis magisque tantos demeritura viros, principes Aquavivas ita in suos adoptavit, ut ad magistratus ecclesiasticos æquè ac forenses, per totum Hispaniarum regnum obeundos, jure indigenatûs in eos translato, omnimodè capaces regio indultu declararentur. Anno 1714. Eminentissimus purpuratus ad aulam Parmensem se conferebat, neosponsam Philippi V. Salutaturus, & regiarum nuptiarum solemnibus ipsemet interfuturus. Regii sponsi vices in solemni illa desponsatione Franciscus Farnesius Parmæ & Placentiæ Princeps obibat: aderat unà Eminentissimus Purpuratus Gozzadinus, â Maximo Pontifice gratulatum missus Legatus â Latere, Admiratus tunc Eminentissimus Aquaviva fuisse dicitur pene stupendam in principe fœmina sapientiam, quæ omnes artes suo aut sæculi genio valentes mirificè calleret, quæ præterquam Italicè, Latinè etiam, Hispanicè, Gallicè & Germanicè tam probè loqueretur, ut multarum denique terrarum incola videretur; quæ insuper venandi studio tantopere caperetur, ut omnes principissam Palatinam facilè intelligerent, utpote Philippi Wilhelmi Electoris Palatini filiâ Dorotheâ Sophiâ Anno 1692. progenitam; quæ demum pictoria arte summopere delectaretur, & in seipsa exactam virtutum æquè ac formæ imaginem exprimeret. Anno 1720. Eminentissimus Purpuratus victoriam Hispanorum in Affricâ de Mauris reportatam trium dierum lætitiâ prosecutus est; primarium etiam vexillum, è maurorum manibus virtute Hispanorum ereptum, Clementi XI. muneris loco obtulit, qui eam de Affris victoriam multis deprædicabat, cunctos orthodoxos Principes pro muneris sui partibus animando, ut gladios in propria non nunquam singula haud satis laudabiliter strictos eò denique dirigerent, unde major gloriæ seges & orthodoxæ religionis incrementum accresceret. Pergat modò Orthodoxa Hispania, & Sacra trophæa in Affricâ figat, aut per Orientales plagas novas victorias extendat; copias jungito Christianissima Gallia, aliquando tot victoriis sub Ludovico IX. eóque Sancto per Palestinam inclyta. Austria non deesto; neque etiam eâ, quâ es pietate deesse potes, aut publicis Christiani orbis votis unquam defuisti. Tunc enimvero triumphatrix religio in Solymarum & Constantinopoleos mœnibus sacra trophea indubiè figet, nunquam gloriosiùs triumphatura, quàm si juratos Christiani nominis hostes sub jugum mittat; Ea Votorum summa est Eminentissimi Purpurati Aquavivæ, qui Larissæ in Thessaliâ Episcopum ideo se aliquando denominatum sentit, ut aut magnanimum Achillem ibi progenitum exhiberet, aut novus in excelso Olympo futurus Apollo cum omnibus Musis doctissimo versetur consortio.

(o)

No. VII.



GALEATIVS S.R.E. PRIOR PRESBYTERORVM
CARDINALIS MARESCOTTVS ROMANVS
CREATVS DIE XXVII. MAIJ MDCLXXV.

Joh. Christ Kolb exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

7.

No. VII.

CARDINALES PRESBYTERI.

GALEAZIUS MARESCOTTUS ROMANUS.

GAleazius tit. S. Laurenzii in Lucinâ, Prior Presbyterorum, Cardinalis Marescottus Romanus natus est anno 1627. Primo Martii, eo equidem die in publicam lucem progenitus, quem olim anni primum Romani voluerunt; Scilicet integri sæculi Phœnix futurus, jam ex tunc tempora seligere visus. Quis dubitare queat, quin principem hunc virum, omnibus naturæ dotibus abundè dotatum, integrum pene sæculum institutione summum postea efformârit? integri sæculi historiam quis solidiùs enarraret, quàm is, qui tanto illo, quo omnia hæc gerebantur tempore supervixit, & suis propemodum oculis cuncta sapientissimè introspexit? noverit ille probè enarrare, se magno Urbis & orbis Romani luctu elata vidisse octo Romanorum Pontificum funera, videlicet Alexandri VII. Chisii An. 1667. Clementis IX. Rospigliosi An. 1669. Clementis X. Altierii An. 1676. Innocentii XI. Odeschalci An. 1689. Alexandri VIII. Ottoboni An. 1691. Innocentii XII. Pignatelli An. 1700. Clementis XI. Albanii Anno 1720. Innocentii XIII. de Comitibus An. 1724. Is ipse optimè meminerit, se electionibus pro novis Pontificibus constituendis sexies interfuisse; & ita interfuisse, ut suo Pontifices suffragio non modò diceret, sed Pontifex ab aliis dici virtutum suffragio ipsemet meruerit. Equidem Innocentium XI. Pontificem unà dixit An. 1676. Alexandrum VIII. An. 1689. Innocentium XII. Ao. 1691. Clementem XI. Ao. 1700. Innocentium XIII. Ao. 1721, & Benedictum itidem XIII. nunc gloriosissimè in cathedrâ Petri Sedentem Ao. 1724. Quot Eminentissimorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium funeribus ipsemet interfuit, & tumulatos indoluit, quorum meritis in Christianum Orbem vitæ perennitas debebatur? Quot ille bellorum tumultus attonitis oculis hausit? Quot Paces Monasteriensem, Olivensem, Aquisgranensem, Neomagiensem, Risvvickiensem, Vltrajectinam & complures alias initas supervixit? quas æternitatem, si pactis fides stetisset, habituras, non nunquam una hora tumulavit. Planè optimè concludam, jubilarem hunc Principem, & integri sæculi Nestorem Sapientissimum plura suis ipsummet oculis hausisse, quàm alii multi ex magnis licet voluminibus perceperint; quem etiam Saturnum dicerem, in suo Latio per longissimum ævum populis jura dictantem, nisi sæculum ipse penè ferreum vixisset, & perpetuis bellorum motibus concussum; immò aureum vixit, cùm profusissima in egentes liberalitate, aureus omnibus esset, nemini ferreum aut inclementem se exhiberet, qui suas preces ad eum deferret. Jamdum sub Clemente X. Pontifice Maximo, qui devixit anno 1678. Apostolicum nuntium in Hispaniâ agebat, ubi in regis Catholici aulâ orthodoxæ fidei incrementa tam strenuè procuravit, ut ex prudentissimâ consiliorum ejus officinâ complura regia mandata in utrumque orbem expedirentur, quibus veræ Religioni (quæ quidem Hispaniæ singularis laus est) abundè prospiceretur; hinc Hispania pro purpurâ eidem impetran-

tranda quæsitissima laudum ejus commemoratione Romanam aulam pulsabat, â quâ tamen regali dignitate hujus viri insignis modestia multùm resiliebat; ejus tamen gloriæ honestamento eo dignior visus est, quò magis ab ambitu remotus videbatur. Et quidni decora purpura in sacros hujus principis humeros defflueret, quem post excessum Innocentii XII. Anno 1700. quinque abhinc Lustris pene pontificem orbis vidit. Ex Hispaniâ post sacram purpuram delatam redux factus, per omnes sacros magistratus & officia perpetuò exercitatus, se talem omnibus præbuit, ut neque Divorum templis integerrimus antistes, nec sacris curiis justus judex, neque foro præstantissimus causidicus, neque reis gravis censor, aut supplicibus mitissimus patronus unquam defuerit. Roma semper hunc virum, ceu Sacratioris reipublicæ curis unicè natum admirata est, & in amplissimo hoc orbis theatro exposita ejus Sapientia, cultores ex omnibus nationibus nunquam non adinvenit, Summum juris peritum ita agebat, ut etiam legum apicibus judex intemeratus adhærescerct; hinc multis gravissimus Cato videbatur, qui nullo personarum respectu jura magistratúsque cunctis daret. Religionis studium tam tenaciter ejus animo inhærebat, ut toto commotum pectore omnes senserint, quotiescunque pro exornando ejus cultu maximo viro perorandum erat. Integri penè sæculi homo, sæculo tamen nunquam vixit, sed Deo; cùm ita terris inambularet, ut solis astris affixus per totius vitæ decursum videretur; qui certè benefaciendo ita pertransiit, ut centenarius Phœnix aliorum utilitati se penitus eviscerarit; & suos thesauros in manus pauperum unicè deportando, præterquam sibi soli, ab omni videlicet luxu quàm longissimè remotus, nemini unquam illiberalis exstitit. Satis constat, lectos, culcitas, lintea &c. ab eo in pauperum nosocomia, ut eorum necessitatibus subveniret, non semel misericordi dextra fuisse transmissa. Enimverò ob eximias has dotes Clemens X. eum ad purpuram vocaverat. Innocentius XI. sanctus sanctum amplectebatur. Innocentius XII. eum in gravissimis causis consiliarum adhibuit. Clemens XI. virum grandævum eximiè coluit. Innocentius XIII. penè centenarium ita venerabatur, ut dubium reliquerit, an paternum magis affectum, an filialem eidem impenderit. Demum Benedictus XIII. eo in ipsum suavissimi amoris affectu fertur, quem coalita quàm longissimè ante inter utrumque summa familiaritas meretur; nam id etiam de Eminentissimo nostro purpurato singulare reperio, quod ceu suum Pollux Castorem, Vincentium Mariam Ursinum unicè semper dilexerit, cum eo familiarissimè non nunquam cohabitârit, in arduis consilia cum eo communicârit; & gaudiorum veluti pelago innataverit, cùm suum, quem nuncupavit, Ursinum in Cathedram Divi Petri evectum vidit. Idem etiam Eminentissimus Marescottus, Vincentii Mariæ votis facturus satis Anno 1698. Sacri Ordinis Prædicantium protectoratum lubentissimè suscepit, quem ipse ordinem paterno semper affectu fovebat, non ingratâ secum memoriâ reputans, quod orbis labefactus his Atlantibus succollatus aliquando steterit. Nec minùs Protectorem Collegii Romani S. Apollinaris agit, unde in totam quaqua versus Germaniam delibatus flos selectissimorum ingeniorum magno patriæ suæ emolumento plerumque mittitur. Hic verò talis tantúsque vir, summis pro Christianâ republicâ exantlatis laboribus, & declivi senio fractus Ao. 1713. honorificentissimis quibusvis officiis suis receptum cecinit, cum Carolo V. Augustissimo illo Justiniani cœnobii incola sic secum concludendo: oportere inter vitæ negotia & mortis diem Spatium aliquod intercedere; nec tamen virtutibus unquam ferias indixit, sed grandem in imbecillo corpore animam circumfert, atque suas, â terris veluti avocatus, cœlo cogitationes unicè transmittit. Audivimus, quòd is Ao. 1716. non modicam pecuniæ summam in bellum turcicum impenderit, ut hoc belli nervo suppeditato, non minùs quàm in statariâ miles pugnâ gloriosus infidelium profligator existeret. Denique ut Sanctam facilè dignoscamus Marescottorum familiam, ex ea prodiit Hyacintha Marescotta, cujus beneficio factum videtur, ut tamdiu Eminentissimus noster Purpuratus supervivat; cùm enim Anno 1719. gravissimo morbo decumberet, & pene conclamatus haberetur, omnibus ad ultimam luctam sacris munitus, hujus imploratæ patrocinio, sacris etiam reliquiis adhibitis, plenæ Sanitati se restitutum credidit. Dignissimus planè, qui integro sæculo exacto, centenarius Phœnix inter virtutum suarum suaveolenta odoramenta in superas transferendus sedes exhalet.

(o)

No. VIII.


PETRUS S.R.E. DIACONUS CARDINALIS
OTTHOBONUS VENETUS EIUSDEM S.R.E.
VICECANCELLARIUS ET SUMMISTA
CREATUS DIE VII. NOVEMBR. MDCLXXXIX.
Iohan Christoph Kolb exc. A.V.
Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

8

No. VIII.

PETRUS OTTOBO-NUS VENETUS.

PEtrus tit. S. Laurentii in Damaso Cardinalis Ottobonus Venetus Sacræ Romanæ Ecclesiæ vice-Cancellarius & Summista, Archipresbyter Basilicæ Liberianæ natus est 7. Julii Anno 1667. ex illustrissimâ Venetos inter Ottobonorum familiâ, cujus originem alii ad doctam Paduam, alii ad Illyricum rejiciunt. Verùm qui rem penitiùs attigisse videntur, ex Euboeâ insulâ ortam credunt, ex qua anno 1469. Sub turcicum jugum missâ, opulentissimæ quæque familiæ sedem Venetias transtulerant, hanc è mediis veluti undis enatam urbem tutissimum assylum adversus barbarorum insultus arbitratæ. Ergo Ottoboni Græcæ Originis sunt, Græcâ facundiâ oracula fundunt, & intimâ rerum abstrusarum scientiâ philosophantur. Quæ causa fuit, cur illustrissima hæc familia anno 1646 Venetæ nobilitatis albo adscriberetur, suo certè accessu venetorum magnificentiam, per orbem decantatam, adauctura; quod utplurimum factum, cùm Alexander VIII. primus ex Ottobonorum familiâ Pontificatum Anno 1689. obtineret, tanti civis gloriâ magna ex parte in patriam, unde Spiritum hauserat, redundante. Nec minùs Venetam Eminentissimus noster purpuratus magnificentiam, domi & foris, quaquaversus incedit, munificentissimus exhibet; planè principum æquè ac vulgi animos amoris nexu sibi concatenatos habet, quòd ad nobilitatis splendorem cuncta sapientissimè disponat, & plebis etiam desideriis laudabilissima liberalitate faciat satis. Cùm Alexander VIII. in hoc nepote suo ingenium deprehenderet, maximis quibusvis difficultatibus enodandis non impar (nam legum peritiâ summopere inclarescit) ne sacram Themidem offendere videretur, hunc doctissimum ejus alumnum publicis in aulâ Romanâ negotiis præfecit. Hinc Protonotarium Apostolicum creavit, qui non nisi suæ instrumenta sapientiæ denique conficeret. Anno 1689. non tam sanguinis quàm eximiarum virtutum suarum suffragio ab eodem Alexandro VIII, suas hunc nepotem suum delitias, nec præter meritum nuncupante, sacro purpuratorum collegio adlectus est, compluribus è Sacro hoc Senatorum collegio ultrò Pontifici supplicantibus, ut purpuratum eo sydere coelum augeret. Mox in Sacræ Romanæ Ecclesiæ procancellarium, & legatum Avenionensem destinatus, ea munia tanta eximiæ prudentiæ, & intemeratæ justitiæ laude administravit, ut Sacræ Themidi æquè ac doctæ Palladi, prudentiam & justitiam pulcherrimo foedere jungendo, omninò satisfaceret. In eo etiam doctæ Romæ Summopere admirandus videbatur, quòd bis in mense doctissimis viris, ad se invitatis palatium suum aperiret, non alio fine, quàm ut ex selectissimâ suâ bibliothecâ sapientiæ flores excerperent, & velut in unam corollam transferrent; certè eo veluti altero Apolline præside subtilissimis quæstionibus in medium allatis, summa ingenia exercebantur. Innocentio XII. rebus humanis sublato, in Franciscum Albanum, cujus intimo consortio jam dudum fruebatur, facili scilicet inter doctos coalescente amicitiâ, prono suffragio ibat, prudentissimâ destinatione sua neutiquam frustratus; nam

hunc solem elevatum, suáque in astra, unde omnibus luceret, repositum vidit. Sub initium ejus Pontificatûs, regendæ Musicæ in Capellâ Pontificis post excessum Cardinalis Maldachini præficiebatur. Nec videbatur aptior deligi posse; nam Eminentissimus noster ceu novus cytharœdus Apollo ad quamdam cœlestis Symphoniæ imitationem modulos musicos suavissimè intonari non nunquam fecit, tota urbe Romana ad amœnissimum concentum accurente; videlicet admiranda hæc suavissimæ Musices harmonia, quàm compositus affectibus esset, & quàm bella symmetriâ magnarum cogitationum capax animus omnia sapientissimè digereret, exhibebat. Nam ideò Apollinem vetustas cytharœdum finxit, ut symbolum sapientiæ fides diceret, quibus ludebat, non ita lusurus, nisi sic denique saperet. scilicet: Pulchrior ex læto prodit sapientia vultu; & Eminentissimus noster purpuratus ore semper serenus, & supercilio ad affabilitatem largiter explicato, in lætissimâ animi tam probè compositi pace, nunquam non placidissimè acquiescit. Anno 1709. Episcopatum Cataræ in Illyrico obtinuerat, non minùs pro grege Dei pascendo sollicitus, quàm in forensibus Romæ Sanctæ negotiis gnaviter exantlandis indefatigabilis Princeps. Eodem anno Christianissimæ Galliæ Protectorem in aulâ Romanâ agere cœpit; hinc aliquæ offensionum nubes huic se cœlo intendebant, cùm pragmaticâ apud Venetos sanctione cautum sit, ne quis suorum ad alterius principis ministerium unquam accedat, quâ tamen lege Eminentissimos Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales ligari posse negabatur. Deinde Sanctum Protectoratûs nomen altius quidpiam videbatur, quàm ut generali quapiam Sanctione comprehenderetur. Quidquid ea de re fuerit, in pace Badensi Austriaco æque Jovi ac patriis diis hic Sapientiæ Phœbus facilè reconciliabatur. Ut meritis cœlos unà & terras complecteretur, plurimùm sibi laboris anno 1710. dederat, ut Pius V. Pontifex Maximus è Religiosâ Sancti Dominici familiâ, Petrus Avellinus, felix Cantalicensis, & Catharina Bonnoniensis Sanctorum cathalogo adscriberentur. Antecessorum etiam cineres gratissimâ pietate prosecutus est, Alexandri VIII. Ottoboni ossa in novum sumptuosissimè à se exstructum mausolæum transferendo: aderant tunc Eminentissimi Purpurati, quotquot Romæ præsentes erant, pene omnes, & novam funebrem pompam Maximus etiam Pontifex Clemens XI. comitabatur, insigne mausolæum, æternum Ottobonorum monumentum futurum, multis admiratus; cui ut serò pretiosi cineres Eminentissimi nostri Purpurati inferantur, bonorum omnium votorum summa est. Anno 1717. Regium Walliæ Principem magno comitatu invisit, in ejus cultu verè eximius & magnificus; scilicet regium fastigium etiam in illa sorte, quâ patriis regnis fatorum infelicitate exsors vivit, reveritus. Nec etiam ex infimâ plebe ab hâc clementiæ arâ quisquam unquam repulsum se vidit; nam ceterâ pacificus, Solâ beneficentiâ cum aliis certat, ita ut subditorum & egentium necessitatibus sublevandis unicè natum crederes: quæ in eo clementia tantopere invaluit, ut etiam in nocuos, quorum vitam servabat, extenderetur; sic anno 1716. misero, ad infame laquei supplicium condemnato, suis precibus vitam à Gubernatore Ruspolo princeps mitissimus exoravit. Ao. 1720. inevitabilis mortis lex serenissimum ejus parentem Romæ sustulit, cujus corpus Venetias transferri curavit; & ut anima unà in cœlos ocyus avolaret, piis ejus manibus in ædibus Sancti Laurentii in Damaso sæpius litavit: in illis ipsis ædibus Archiconfraternitas Immaculatæ Virginis, insignibus dotata privilegiis floret. Nec modò Eminentissimus noster Purpuratus pro suo in Magnam Matrem studio, intemeratæ Virginis cultum magnis per urbem Romanam incrementis promovet, sed etiam eximium suum Zelum ultrà Alpes in nostram Germaniam usque extendit. Sic in monasterio Wessofontano Ordinis Sancti Benedicti diœceseos Augustanæ in superiori Bavariâ Ao. 1711. confraternitas Virginis Immaculatæ authoritate Pontificiâ instituta, & cum prædicta Archiconfraternitate Romana in ædibus Sancti Laurentii in Damaso incorporata fuit, cujus Eminentissimus noster Purpuratus Protector esse & dici voluit, quæ modò tantis per reliquam etiam Germaniam incrementis succrevit, ut sub Marianis vexillis plusquàm centena millia jurati Marianis Honoribus milites numerentur, Boicis Leonibus incomparabili Zelo in capite stantibus. Quidni igitur Eminentissimum Ottobonum verè bonum dicamus! quem certè magnificum, clementem, & in cunctos beneficentissimum Roma experitur, & propalata ad exteros fama talem plenis buccis deprædicat.

No!


IOSEPH S.RE PRESBYTER
CARDINALIS SACRIPANTES NARNIENSIS
CREATUS DIE XII.DECEMBR.MDCXCV.
I.Christoph Kolb exc. A.V.
Cum Gratia et Privil. Sacr. Caes. Maj.

9.

No. IX.

JOSEPHUS SACRI-PANTES NARNIENSIS.

JOsephus tit. S. Praxedis Cardinalis Sacripantes Narniensis, Præfectus Sacræ Congregationis de propagandâ fide &c. &c. natus est 19. Martii anno 1642. Narnii, ducatûs Spoletani oppido, unde Imperatorem Nervam progenitum asserunt, qui ethnicâ licet Superstitione imbutus, in Christianos benignissimus princeps fuisse perhibetur, utpote qui Divum Joannem Evangelistam ex suo in Insulâ Patmo exilio, Ephesum redire permisit. Sit hujus Imperatoris gloriâ magnificum Narnium; certè ei plus splendoris accedit ex ejusmodi partu viri, quem eximia virtus & doctrina penè regium effecit; in quem certè naturæ liberaliter indulgentis genius singulares quascunque dotes tam cumulatè congessit, ut omnia possidere videatur, quæ magnum virum, qui cœlis vivat, populorum commodis invigilet, efficiant. Jurisprudentiæ eximium Studium tam altâ mente imbibit, ut codices non tam percurrisse, quàm præfervido mentis æstu abliguriisse videatur; quô quidem irremisso studio id denique adeptum se sensit, ut inter jurisconsultos nostri sæculi maximos habeatur. Immò in eo nullum ante se relinquit, quòd æquâ trutinâ cuncta dispensando, nullius jus unquam læserit; neque etiam eâ, qua est religione, & prorsus eximiâ sapientiâ lædere potest. Ea causa fuit, ut hoc illustrissimum sacræ Themidis lumen diu latere neutiquam potuerit. Vidit Roma virum, & audiit eum oracula veluti è tripode fundentem. Mox novum Bartolum ambabus ulnis amplexa est, haud ignara, se denique oceanum esse, ad quem omnes sapientiæ rivi concurrere deberent. In Lusitaniâ nuntium cùm ageret, absolutam simul ministri undequaque exacti Personam agebat. Hinc ab Innocentio XII, qui aulam Romanam hoc Themidis lumine adauctum ibat, revocatus est; & ut magis in oculis orbis splendesceret, sacro purpuratorum collegio annumerabatur; quâ quidem in re id etiam mirum videri poterat, quòd Austria æquè ac Gallia, licèt tunc temporis infestis armis invicem colliderentur, in eô tamen concurrerint, ut meritissimo viro purpuram impetrarent; adeò sagacissimus hic vir, summa prudentia omnia ejus consilia mirificè adgubernante, affectus partes in omnes tam æquabili lance dispensabat, ut rarissima felicitate singulis satisfaceret, nec quemquam inimicum experiretur, qui omnibus amicus esset. Cardinalis factus, summis quibusve negotiis adhibitus est, & in eum veluti Sacræ Reipublicæ Atlantem Pontificum cura non nunquam reclinabat. Apud Clementem XI. summa videlicet ingenia prudentissima æstimatione seligentem, utpote quibus in alto positis feliciùs quàm stellarum influxu orbis regeretur, summa gratia perpetuò prævaluit; & quidni in amoribus omnium esset, qui indefatigabili curâ orbem complectebatur utrumque. Nam Sacræ Congregationi de propagandâ fide præfectus, in id unicè incubuit, ut non modò nostræ Europæ, religionum dissensionibus miserè dilaceratæ prospiceret; verùm etiam in Indiam australem æquè ac Occidentalem, nec non in æthiopicas Affricæ oras viros â virtute & do-

doctrina undequaque probatissimos immitteret, qui eversis idolis Evangelicæ veritatis semen ubique spargerent, & largissimam in vineâ Domini mercedem referrent. Sub eodem Clemente XI. Sanctitatis suæ prodatarium agebat, quo in officio, prout beneficiis quamplurimos sibi conciliavit, ita Sanctitati suæ eos denique ad Ecclesiasticas dignitates & præbendas promovendos proposuit, quos virtus, quos insignia in Ecclesiam merita, quos eximia doctrina commendabat; sic Sacram Rempublicam summo planè beneficio unà complexus est, quæ nunquam feliciùs stabit, nisi iis succollantibus, quorum eximia virtus in causa est, ut cunctos juvare velint; & ut possint, doctrina efficit. Ao. 1704. Augustissimam Poloniæ viduam aptissimis ad dolorem leniendum verbis solabatur ob interceptos Jacobum & Constantinum filios, dum ex Silesiâ in Poloniam magnis itineribus properabant; planè cùm nullam non virtutum in consortium admittat, tunc verò in eo totus esse videtur, ut in exteros quoscunque ita humanus existat, ut humanitatem ipsam, nullis illitam fucis, sed sincerissimo prodeuntem affectu exhibere videatur. Ao. 1710. crus Sanctæ Luciæ Virginis & Martyris, in Ecclesiâ Narniensi asservatum, Ferraram transferri curavit, ut reliquo corpori, quod in principe ejus loci Ecclesiâ religiosè colitur, jungeretur, idque magis integraret. Eodem anno cùm de Comachio oppido ad mare Adriaticum sito Pontificem inter & Imperatorem gravis lis enata fuisset, ipsemet equidem pro eximiâ suâ in causis forensibus pertractandis peritiâ, arduæ causæ momenta aggrediebatur, & doctissimo scripto, quod ex ejus sapientiæ penu excerptum omnes facilè agnoscant, causam Pontificiam propugnabat; mansit tunc quidem res indecisa; verùm sub vitæ exitum Innocentii XIII. Imperatorum Maximus pro eximio suo in Apostolicam sedem studio restitutionis spem aliquam exhibebat, nec dubium est, quin Benedicti XIII. laudabilissimis orbis Antistitis decantata virtus rem arduam brevi sit confectura; nec enim inter summa orbis lumina, tanta utrinque mente animata, malè convenire potest, facili videlicet inter terrestres veluti deos coalescente amicitiâ. Ao. 1712. soluta fornicis compage in Seminario Romano, Eminentissimus Purpuratus superincumbentibus ruinis haud dubiè oppressus fuisset, nisi periculò paulò ante denuntiato, penè è faucibus mortis ereptus fuisset, cujus vita orthodoxo orbi erat tam pretiosa. Ao. 1714. Principi Alexandro Sobieskio moribundo unà cum Eminentissimo Cardinale Paulucio adstitit, & ad ultimam luctam piè & fortiter obeundam placidissimè exspirantem Principem animavit. Eodem ao. Reverendissimus Frater ejus Hyacintus Sacripantes Abbas, quem facundiâ summum dicunt, ad Christianissimi regis admissus alloquium, quàm non dispar maximo fratri Germanus esset, eximiæ sapientiæ aphorismis, quibus sapientissimo regi undequaque satisfaciebat, exhibuit. Ao. 1716. cùm magna frumenti caritas in suâ patria esset, pandebantur misericordiæ viscera Eminentissimi nostri purpurati; & cùm largo frumento, nec modico pecuniarum subsidio laborantem Narniam sublevaret, pater patriæ â civibus vocabatur, longam vitam & perennaturam felicitatem tam benefico Mœcenati suo apprecantibus. Idem Scotiæ regni Protectorem agit, nec quidquam Zelosissimo Antisti magis in votis est, quàm ut hoc regnum, in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ reductum, suum denique Protectorem agnoscat & revereatur. Ao. 1720. multùm sibi laboris dedit, ut Terræ sanctæ sacra loca, Christi & Divorum trita vestigiis, non modò plenè conservarentur; verùm etiam eorum incremento magis magisque prospiceretur, ipso etiam Imperatore in aulâ Constantinopolitanâ per suum plenipotentiarium Comitem Virmontium, pro eximio suo in res cœli studio, in eam curam sedulò incumbente, nec pauca etiam pro Cæsarei in aulâ Ottomanicâ nominis reverentiâ, quam victricia arma expresserant, obtinente. Ao. 1722. Eminentissimus Purpuratus Generali Capitulo interfuit, cùm Reverendissimus Pater Casparus Pizzolante Generalis ordinis Divæ virginis de Monte Carmelo Magister denominaretur; Nam religiosus hic ordo eo Protectore, & ipse verè spiritu Eliæ gaudet, qui virtutibus aurigantibus, curru meritorum sublimis ad cœlestes ædes, orbi beneficiorum suorum gratissimam memoriam relicturus, serò aliquando avolabit.

No. X.



... ANTONIUS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS DE NOAILLES GALLUS
ARCHIEPISCOPUS PARISIENSIS
NATUS DIE XXI IUNII M D C



LUDOVICUS ANTONIUS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS DE NOAILLES GALLUS
ARCHIEPISCOPUS PARISIENSIS
CREATUS DIE XXI. IUNII M.D.C.C.

I. Christoph Kolb. exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.


No. X.

LUDOVICUS ANTONIUS DE NOAILLES GALLUS.

LUdovicus Antonius tit. S. Mariæ super Minervam Cardinalis de Noailles Gallus Archiepiscopus Parisiensis natus est Ao. 1651. ex principe Noaliorum familiâ, quæ gentilitiam suam sedem in oppido Noailles Provinciæ Lemovicensis ex antiquissimis retro temporibus obtinet. Ex eâ jamdum Anno 1008 Guintrandus Noalius inclytâ famâ inclaruit. Ejus nepos S. Ludovicum IX. Galliarum regem in Palæstinam secutus est, victricia Christiani nominis trophæa in terris infidelium erecturus. In sæculo XV. vixit Franciscus Noalius, suo ævo Sapientiæ choragus per Galliam habitus; nam compluribus legationibus Romam, Constantinopolim, nec non ad Anglos & Venetos obitis, ne qua pars orbis esset, quæ Noalios ignoraret, effecit: ne sua etiam apud Parisienses beneficia intermorerentur, vir sapientissimus copiosissimè instructam bibliothecam, & rarissimis manuscriptis in linguâ Græcâ celeberrimam, Sorbonæ reliquit, ut illa sapientiæ lumina ejusmodi literariis thesauris magis magisque ditescerent. Elapso sæculo XVI prodigiosâ bellica virtute inclaruit Annas Noalius, Eminentissimi nostri Purpurati famigeratus parens, qui duodecimum annum vixdum egressus, Martem secutus est, & ea fortitudinis bellicæ specimina edidit, ut meritissimo heroi Præfectura comitatûs Ruscinonensis, & Perpinianum oppidum â Rege committeretur; nec etiam ante arma deposuit, quàm dum vitam, perpetuò sub galeâ actam, annos quinquaginta septem natus, bellicis fractus laboribus Anno 1678 terminaret. Filios post se reliquit Ludovicum Annum Julium primogenitum, patriarum virtutum non minùs, ac præfecturarum hæredem: Secundò genitus est Eminentissimus noster Purpuratus Ludovicus Antonius, de quô hîc sermo: tertiò genitus Jacobus, terrâ marique bellorum archistrategus celeberrimus, idémque inclyti Ordinis Melitensium eques, & ejus nomine ad Ludovicum XIV legatus gloriæ suæ & vitæ terminum invenit Ao. 1712. Quartò genitus Joannes Franciscus superioris Algerniæ Præfectus, Martiâ non minùs virtute celeberrimum nomen erat; sed & hoc belli fulmen Gallia extinctum luxit An. 1696. Post eos omnes elatos restabat adhuc natu minimus Joannes Baptista Ludovicus Gasto, Catalauni in Campaniâ Episcopus; verùm & hoc sapientiæ lumen extinctum Ao. 1720 docta Pallas indoluit, & funus madidis oculis Eminentissimus noster Purpuratus aspexit, quem solum ex tot illustrissimæ familiæ suæ syderibus sors reliquum fecit; nam & Princeps soror, quam unicam nactus est, Ludovica Anna, marchioni Lavandino nuptui collocata, inimicâ mortis falce abrepta erat Ao. 1693. Ergo unus omnium instar nobis sit Eminentissimus Cardinalis Ludovicus Antonius; quem equidem pium, rectum, juris ac æqui observantissimum Gallia deprædicat. Duodevigesimum annum vixdum egressus, rarâ apud principes viros in ea saltem ætate felicitate doctoratûs lauream, insignis Theologus adeptus est. Mox anno 1679 Divonæ Cadurcorum Episcopus creabatur, optimus pascendis gregibus pastor visus. Anno 1680 Catalauni in Campania episcopus factus, Franciæ Paribus annumeratum se vidit. Anno 1695 archiepiscopatum Parisiensem, Regis Christianissimi animo in insignem hunc virum ut plurimùm propendente adeptus est. Anno 1697 Hymnum Ambrosianum in Metropolitanâ Parisiensi ob pacem Riswickiensem inter principes Christianos conclusam, solemniter incantabat. Ao. 1698 sacram purpuram â suis æquè virtutibus ac regio favore insigniter commendatus, ab Innocentio XII.

obtinuit; mox Sacrum biretum è manibus ipsius regis, qui in eo excolendo totus erat, recepit 22. Julii. Cùm regi pro impetratâ purpurâ gratias acturus in aulam se conferret, rex magnificè testatus est, se ex eo purpuræ honore, quo condecoratus esset, plùs gaudii percipere, quàm ipsemet, utpote ab omni ambitu alienissimus inde lætaretur. Statim postea decanus juridicæ facultatis in celeberrima universitate Parisiensi assumptus est: quem enim digniori suffragio Sacra Themis sibi seligeret quàm principem hunc virum? cui nihil magis unquam solemne fuit, quàm suum cuilibet tribuere, quem juris & æqui tam observantem dicunt, ut solos illos jurisperitos sincerissimo affectu complectatur, quos probitatis fama commendat; contrà reliquos cane pejus & angue odio habeat, qui justitiam procrastinando aut malè administrando, lucello turpiter inhiant, qui denique miserorum patronus ipsemet est, quos ad se recurrentes benignissimè fovet, & paterno plusquam affectu complectitur. Anno 1701 Principi Affricano, sacris lustralibus undis abluto sacram Synaxin vir in propaganda religione Zelosissimus distribuit. Anno 1709 cùm gravissima frumenti penuria Galliam urgeret, ad placandam divinam iram, frequentes processiones, in omnem quaquaversus partem sollicitus pastor indixit. Eodem anno ex argentea sua suppellectili, ut regium ærarium sublevaret, numos cudi curavit. Anno 1714 in principe Magnæ Virginis ecclesiâ sacram Hostiam deo primùm libavit, simúlque solemnem missam, super eadem arâ annuè celebrandam, munificè dotavit. Anno 1715 piis, manibus Ludovici XIV. funebria persolvit. Inde â Principe Aureliacensi, in quem ob teneram regis ætatem totius regni administratio reclinabat, consilii ecclesiastici præses denominatus est. Tunc quidem cœlo Gallico aliqua dissensionum nubila sese intendebant, quos suis hic Phœbus radiis ex integro dispulsurus creditur. Certè anno 1720 Mense Martio post complura amicabilia colloquia cum Eminentissimis Purpuratis Rohano & Bissio Galliæ luminibus in charissimos amplexus ibat, non passurus florentissimum regnum in incertô opinionum diutius jactari, aut ullas Gallico soli maculas offundi. Planè Benedictus XIII. novus oriens felicitatis Bosphorus, gallicum cœlum intelligentiæ suæ lumine ex toto animabit, Eminentissimo nostro Purpurato ad eum ceu stellam polarem unicè respiciente, eóque naviculam, diu jactatam, cursu non aberraturo dirigente. Anno 1717 cùm magnus Moscorum Princeps Parisiis aliquamdiu commoraretur, & admirabili prudentiâ suâ neminem non in summam admirationem raperet, etiam Eminentissimus noster Purpuratus, pro summâ suâ in hospites humanitate eundem invisit; Tunc quidem de summis quibusvis rebus Sermonem sapientissimè conferebant, id quisque miratus in altero, quô & ipse vicissim mirantem rapiebat. Planè docti & integerrimi Antistitis laudem ab externo principe retulit, qui felicem regnorum suorum statum tunc denique futurum referebat, si tales Apollines sacris præsiderent. Ao. 1719 Christianissimum regem Ludovic. XV. sacro Chrysmate inunxit, eum ad pugnam adversus hostes quoscunque, quos erinnys in genus humanum immittit, fortiter subeundam animando. Superi tenellos principis artus in Herculeum robur excrescere sinant, ut sacra trophæa per Christianum orbem ubivis locorum explicet. Cùm etiam idem Eminentissimus Purpuratus intelligeret in celeberrimo hospitali Parisiensi, quod invalidorum vocant, ubi regiâ munificentiâ duces æquè ac milites exantlatis belli laboribus exhaustis sustentantur, complures reperiri, qui sacro confirmationis Chrismate inuncti nunquam fuerint, indignum ratus, eos in numerum militum venire, qui militiæ Christi necdum ex toto initiati essent, fortissima exhortatione eos impulit, ut salutari hoc sacramento roborarentur, Christi milites imposterum futuri, cùm terris militare desiissent. Anno 1720 cùm Libitina in urbe Massiliensi strages innumeras faceret, supplicationem Parisiis indixit, & facundissimo ore edocuit, cumulata moralium peccata putridum illum fontem existere, ex quo tot mala, ingenti calamitate in orbem inundantia, unicè profluerent. Eodem anno cùm cupida mortalium mens Missisipiensibus lucris, uno veluti œstro abrepta, mirum caperetur, clericis per totum suum archiepiscopatum graviter interdixit, ne terrestribus hisce curis se implicarent, & satis haberent, ut Ecclesiarum suarum curis sedulo intenti, sua denique suósque unicè curarent; neque enim ignorabat optimus antistes, divitias hamum esse, quo animi etiam probissimorum nunquam non miserrimè inescantur. Anno 1721 *Zelosissimi* hujus Principis operâ in Sacræ Romanæ Ecclesiæ gremium rediit Comes Sperlingus. natione Suecus, maximarum opum hæres, quibus Christum præhabuit. Eodem anno Rhedonibus In Britannia horrendo incendio misere absumptis, eo plurimorum incendio medullitus Tangebatur, & subsidio charitativo miseros non modò ipsemet sublevavit, verùm etiam ut ab aliis sublevarentur, provida per suum archiepiscopatum curâ procuravit. Sub initium hujus Anno 1725 placidissimus hic senex graviter decubuit; ne tamen hic sol tam cito dispareret, pauperum preces effecisse videntur, in quos tam profusa liberalitate fertur, ut tam insignes eleemosynarios, amplissima Gallia paucos enumeret. Dignissimus proinde, quem in sinum Abrahæ Angeli aliquando deportent, cùm facultates ejus in cœlestes thesauros manus pauperum iamdum deportaverint, corde ibi indubiè futuro, ubi thesaurus repertus est.

No.





LAVRENTIUS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS
CORSINUS FLORENTINUS
CREATUS DIE XVII. MAY MDCCVI.

Ioh. Christoph Kolb, excud.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj. Cath.


No. XI.

LAURENTIUS CORSINUS FLORENTINUS.

Laurentius tit. S. Petri in Vinculis Cardinalis Corsinus Florentinus natus est ao. 1652. septimo Aprilis ex illustrissimâ Corsinorum familiâ, quorum celeberrimum apud Florentinos nomen. Inde Religio & sapientia insignes alumnos invenêre, quos innocens laurus & vitæ integritas rebus humanis altè supervexerat, & in altissimo gloriæ solio collocatos mundo spectabiles reddebat. Petrus Corsinus sacræ Themidis doctissimus assecla ao. 1363 ab Urbano V. legatus in Germaniam missus est; legationis cum summâ integritate obitæ proemium purpuram tulit, quâ insignia viri merita idem Urbanus ao. 1378 condecoravit. Is equidem, ut sui perpetuum monumentum exstaret, vitam Pontificum admirabili stylo conscripsit, planè insigni illo tractatu de Ecclesiâ, & literato orbe multum meritus. Nereus Corsinus Apostolicæ Cameræ thesaurarius, Pontificis in regno Galliarum nuntius, legatus Ferrariensis, archiepiscopus Damiatæ in Syria, & episcopus Arretii in Hetruriâ, cùm scientiarum apex esset, ab Alexandro VII. ao. 1666 eandem purpuram obtinuit. Verùm â nemine magis illustrissima Corsinorum familia se nobilitatam, & posterorum immortalitati consecratam hucusque vidit, quàm â Divo Andreâ Corsino, sacræ Carmelitanæ familæ cœlestissimo viro. Hunc precibus â Deo piissimi parentes impetraverant; & ne ingrati essent, mox magnæ matri dicârant. Ergo â Deo datus, & cœlo hâc adoptione veluti redditus, non poterat non maximus evadere. Sacræ Carmelitanæ familiæ institutum amplexus, ad Ecclesiam Fesulanam regendam evocabatur; sed latendi studiô vir humillimus auffugiebat. Cùm ei nihil graviùs videretur, quàm honores portare, quibus si humeros plusquam Athantlæos supponeret, nihil tamen satis dignum pro tanti muneris magnitudine se acturum, vir humillimus sentiebat. Verùm ecce! prodigiosa pueri voce proditus, è latebris excedere cogebatur. Quid multis? Angelus inter homines versatus, tam denique sanctam vitam agebat, ut ab Urbano VIII. Sanctorum fastis adscriberetur. Ejus corpus in Ecclesiâ sui ordinis Florentiæ quiescit, ut magnifica Florentinorum urbs ex vivis Corsinis perpetuò haberet, quos admiraretur, ex mortuis, quos invocaret. Enimvero novum orbem invenerit Americus Vespucius Florentinus, & ex suo nomine dictam Americam, immortalitate facinus consecutâ, jactet. Planè non minùs felicem Florentia se sensit, cùm cives progenuit, qui meritis astra scandebant, quam ubi novum, nec tamen non nisi terrestrem orbem suis apertum inaudiit; Sed vetera hæc sunt decora; descendendum etjam ad nova, quæ in Eminentissimo nostro Purpurato Laurentio Corsino quàm cumulatissimè reperiemus. Est is mitissimi ingenii Princeps, in populi favore summus, quem beneficientiâ in omnes largiter exercita promeretur; cùm etiam magnatum animos exquisitissima humanitate in sui admirationem & amorem rapiat: neminem denique in totius Italiæ ambitu reperire est, qui de tanta virtute non optimè sentiat. Cùm nihil humile faciat, humilitatem tamen vir integerrimus excolit, & laudabilia facere assuetus laudem detrectat. Literas amat; nec enim Apollo musas de-

despicit. Denique super omnia in hoc Principe religio est; hanc semper ut certissimam anchoram intuebatur, quâ lassatam multis difficultatibus navem fortiter sisteret; hâc veluti præceptrice in gravissimis Sacræ Reipublicæ exantlandis negotiis à vero tramite nunquam exerravit; nec etiam Antistes integerrimus exerrare potuit, cùm sacra Religio lucidissimam facem eidem ubivis præferret. Antequam Sacro Purpuratorum collegio adscriberetur, Apostolicæ Cameræ thesaurarium agebat, fidissimus thesauri custos, quem paterna Pontificum cura in totius orthodoxi orbis emolumentum plerumque dispensat, aut in bella adversus infideles gerenda grandes summas expendendo, aut in sacras missiones in utroque orbe obeundas, pene innumerabiles pecunias submistrando, aut proposito etiam pretio maxima orbis ingenia licitando, aut in publica ædificia & templorum structuras copiosissimas opes effutiendo, aut etiam in nosocomia, xenodochia, & adelphotrophia integra gazophylacia exhauriendo. En orbis! quos in usus Roma Sancta tuas denique pecunias expendat; ut oceani instar sit, qui recepta intra se flumina per subterraneos denique meatus multiplicato fœnore in orbem revehat. Ao. 1704. Illustrissimus Corsinus â Clemente XI. in ducatum Ferrariensem ablegatus est, gravissimam litem, quam Cæsarei duces Pontificiis movebant, suâ prudentiâ discussurus, difficillimam nactus provinciam; cùm plerumque, ubi Mars dictator obstrepit, legum apices parùm attendantur. Ao. 1706. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adlectum se vidit; nam Clementi XI â suis virtutibus luculenter commendatus, Cosmum etiam Hetruriæ principem, alterum illum, si sapientiam spectes, Salomonem, prò se intervenientem habuit, â quô commendatum fuisse, eminuisse erat. Tota Florentia, magnifico Corsinorum nomine dudum capta, novam felicitatem sibi enasci credebat, cùm hanc Stellam, patrio rutilantem lumine, Romanis in astris repositam vidit. Idem etiam Eminentissimus Purpuratus Nicomediensem in Asiâ episcopum diu antea nuncupatum se vidit; planè eximius ejus, quô in sacram religionem fertur, Zelus, ultra vastum etiam oceanum charitatis alis extenditur. Quàm ille avido volatu archipelagum transvolaret, suam aliquando Nicomediam amplexurus, & transmisso Hellesponto, alterius Alexandri instar sacrum osculum Asiaticæ telluri fixurus, si Christianas classes felix anchora ad Asiæ oras sisteret? Ao. 1707. 15. Julii Thesaurarii munere se abdicavit, Solis divinis intentus; nec alios, quàm quos ex virtute sibi pararet, thesauros curans. Ao. 1709 cum prudentiam huic muneri parem, & admirandam in negotiis feliciter conficiendis dexteritatem possideret, Pontificis legatus Ferraram destinabatur; eam tamen dignitatem, infirmitatis molestiâ tunc equidem vexatus, princeps humillimus â se deprecabatur. Cui Maximus vir Michaël Angelus de Comitibus, postea sub nomine Innocentii XIII. Pontifex maximus in eâ provinciâ substituebatur, ut ex magnitudine successoris sui dimetiretur, qualis quantùsque ipse denique foret. Ao. 1714 Academia doctorum Quirinalis eum in perpetuum præsidem & Protectorem suum adoptavit; nec immeritò illa sapientiæ sydera ad hunc Phœbum respiciebant. Sic sacer ordo servorum Mariæ ejus non minùs protectionem imploravit & obtinuit; nam quid Parthenius Cliens Mariæ servis negaret? Idem P. P. Franciscanos, quos Minoritas indigitamus, munificentissimus benefactor & Protector clementissimè fovet; quem in suos beneficentissimè impensum favorem Franciscus pauper, humilis; sed Dives Cœlum ingressus multiplicato fœnore rependere videtur; nam rem familiarem tunc ut plurimùm Eminentissimus noster Laurentius augere videtur, cùm in manus pauperum amplissimos thesauros deportat. Anno 1720 cùm Principi Carolo Albano, dignissimo Pontificis ex fratre Horatio nepoti Filius progigneretur, Eminentissimus Purpuratus Magni Hetruriæ Principis nomine eundem è sacro Baptismatis fonte levavit, Deo & Christiano orbi novam creaturam initiaturus, qui omnia sua Deo consecrabat. Enimvero magni Hetruriæ principis in eum amor tantopere semper invaluit, ut in maximis quibusvis negotiis, Hetruriæ principatum concernentibus, eum in aulâ Pontificiâ adhiberi voluerit; Fuit & alius Cosmi temporibus Corsinus, qui ab hoc sapientissimo Nestore in aulam Parisiensem ablegabatur, tantâ sui commendatione eâ legatione functus, ut reversum magnificè princeps remuneraretur. Certè iidem esse Corsini Florentinis videntur, quales olim Athenienses & Areopagitæ suis visi; videlicet prudentiæ oracula, sacræ religionis fulcra, & patriæ suæ singularia Ornamenta. Hinc factum videtur, ut, cum Ao. 1724 in sacro Conclavi de eligendo novo pontifice ageretur, multorum sermonibus Eminentissimus Corsinus in eam spem designaretur; ea enim est tua, Sacra Roma, gloria, ut in spem, quæ non nisi unum capit, plures eximios alas, oceano sapientiæ, non exhauriendo similis. Tunc quidem Eminentissimo nostro purpurato, velut alteri Patroclo etiam jucundum erat, suum pro se Achillem, qui ex Malachiæ effato *Miles in bello*, eóque sacro futurus esset, eò fastigii sublatum, immarcescibili Coronâ utrique, Orsino & Corsino (quam prope paribus) repositâ in cœlis.

No.





Laurentius Fliscus Ianuensis Ianuae Archiepiscopus
S. R. E. Præsbyter Cardinalis
Creatus in Consistorio Secreto die 17. May 1706.

Ioh. Christop. Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

12.

No. XII.

LAURENTIUS CARDINALIS FLISCUS.

LAurentius tit. S. Mariæ de Pace Cardinalis Fliscus Januensis, Archiepiscopus Januensis natus est 11mo. Maii anno 1642. ex illustrissimâ Venetos inter Fliscorum familiâ; quæ etiam nominis sui gloriam per integram Italiam ita extendit, ut Fliscos, qui ignoret, in orbe literato nemo equidem reperiatur; enimvero Lavagniensis comitatus, ab iis per complura sæcula possessus, felicissimo Fliscorum dominio indesinenter felix stetit, & inconcussus, suóque è sinu gravissimos viros, Arte & Marte valentes excussit. Ex hac Illustrissimâ Fliscorum domo Sacra Roma ad triplicem tyaram rara felicitate nobile par fratrum evocavit: Sinibaldum Fliscum, qui Innocentii IV. nomen assumpsit, & Adrianum V. post quinque lustra ab obitu Innocentii in idem solium evectum. Erat Innocentius libertatis Ecclesiasticæ acerrimus propugnator, quam cùm Fridericus II. multis attentatis perditum iret, ille ceu aheneum murum hostilibus ausis sese opposuit: compertô, sibi domi forísque â Friderico insidias strui, in Franciam tendebat; ubi vir imperterritus, nec ullis magnatum minis inflectendus, in Concilio Lugdunensi Friderico jus imperii ac Titulum abrogabat, in ejus locum concurrentibus principum Germanorum suffragiis, Henricum Thuringiæ principem surrogandô, eo quidem rerum eventu, ut Fridericus superis æquè ac mortalibus invisus, ex mœrore contabesceret; Contrà Henricus, cùm Vlmam in Sueviâ obsidione premeret, jactâ inde sagittâ prostratus animam efflaret. Idem Innocentius, ut Eminentissimorum Purpuratorum ordinem augustiorem faceret, rubri galeri insigne primus omnium ann. circiter MCCLV. eis dedit, ut eo colore singuli admonerentur, se ad sanguinis usque effusionem pro ecclesiâ Dei fortiter tuendâ paratos esse debere. Cùm Tartari gens Scytica, totam ferme Asiam usque ad Tanaim amnem, qui Asiam Europámque medius interfluit, victoriis emensi, per Poloniam, Hungariámque populabundi ad Austriam usque pervenissent, Innocentius tantæ pesti obviam eundum existimans, egregios viros è Franciscana, Dominicanáque Familiâ ad efferatas Barbarorum mentes Evangelio mitigandas destinabat; & Metone Tartarorum rege ad Christiana sacra traducto, ingens periculum â Germanorum finibus tunc quidem arcebatur, & Germania servata suam salutem homini Flisco debuit. Idem Innocentius Ludovicum IX. Franciæ regem sanctitate inclytum ad sacrum bellum in Palæstinam pertraxit; ea enim tunc tua, Christianissima Gallia, gloria erat, ut in Barbarorum jugulis innocens ferrum figeres. Eundem Innocentium Trithemio teste literatus orbis solidæ veritatis & doctrinæ parentem nuncupavit. Certè Decretalium Gregorii IX. insignis interpres exstitit, nominis sui & Fliscorum gloriâ, vel hoc solo beneficio, si cetera desint, in Christianum orbem propagato. Nec minus Adrianus V. Fliscorum progenies, rerum gestarum famâ, fastos repleturus fuisset, nisi præmatura mors, magnis invida viris, principem immortalitate dignum trigesimo nono, postquam sacram sedem conscenderat die, mortalium oculis subduxisset. Ex eadem Fliscorum familiâ prodierunt archiepiscopi & mytrati orbis antistites tanto numero, ut centum facilè viros ex solis Fliscis felix Liguria numeret, quos sacra Tyara sacrorum antistites condecorârit. Inter eos imprimis commemorandus venit Nicolaus Fliscus, qui ceu pulcherrimus flos ex amœnissimæ Italiæ horto in Galliam transplantatus sub Ludovico XII. Episcopus (a) Teloniensis factus insigniter floruit; inde cùm unus episcopatus tantum virum non caperet, (b) Forojuliensis unà episcopatus, rarô in Galliis exemplô, eidem adjectus est. Postea ad (c) Ebrodunen-

(a) Toulon, (b) Frejuls, (c) Embrum,

lem archiepiscopatum evocatus, Ravennatium unà Ecclesiam suæ demandatam curæ vidit. Sub eo sacrorum antistite vitia magnorum etiam principum insigniter vapulabant; nam Innocentii IV. Flisci egregius æmulus, fidem soli addictam veritati colebat: in omnibus, partium affectu longè seposito, laudanda laudabat, vituperanda vituperabat; hinc multorum, prout fieri assolet, odia contraxerat, facilè evitaturus, si duplici corde vir fuisset. Tam ingenuæ virtutis imago tantopere Sacræ Romæ arrisit, ut post Hadriani VI. è vivis excessum, aliquorum suffragiis in se euntibus, in spem triplicis tyaræ veniret, tertius ex Fliscorum sanguine Pontifex futurus, nisi in sacris illis comitiis pene in quinquagesimam diem extractis, prorsus admirandâ modestiâ aliorum tunc quidem æmulationem longè distinxisset. Nec minus pro Sacra Religione, gladio fortiter tuendâ, generosus Fliscorum sanguis nunquam non ebuliit. Scipio Fliscus, cùm Rupella a. 1573. arcta obsidione à Sacræ ligæ Principibus circumcingeretur, suam fidem sacræ religioni æquè ac Galliarum Regi Carolo IX. egregiè probavit. Hugo Fliscus, ejus vestigiis probè insistens ann. 1621. sub Ludovico XIII. montis Albani obsidioni ita interfuit, ut prostrata unà mœnia & hugonoticam sectam intueretur. Tot illustrium sago togáque heroum sanguis Eminentissimus noster purpuratus Laurentius Fliscus est, princeps omni virtutum genere exornatissimus, moribus probus, veritate sincerus, ingenio excultus, affectibus compositus, affatu comis, gratiâ facilis, effectu potens. Hoc pulcherrimo tramite, & tritis à majoribus vestigiis cùm gloriosè incederet, brevi palæstram nactus est, ubi ingenua ejus virtus ad perfectionis ideam probè efformaretur. Nam Alexander VIII. ottobonus, summâ in hoc gentili suo prudentiâ perspectâ, eum Romam ad se evocatum, compluribus muniis in aulâ Romana præesse voluit; quibus egregiè exercitatus, & veluti è Schola Alexandri prodiens, nuntius Pontificius Viennam Austriæ denique ablegabatur, ubi Germaniæ Salomoni Leopoldo, qui natam in peregrinis gentibus sapientiam suâ in aulâ magnificè reverebatur, ita probabatur, ut eô ministro sacræ Reipublicæ negotiationes nunquam non feliciter absolverentur. Inde ann. 1690. ab eodem Alexandro VIII. ejus insignibus meritis mirè capto, ad Avenionensem ecclesiam evocabatur: ibi eadem sapientiæ commendatione se Galliæ probabat; & quandoquidem præsulem omnibus numeris absolutum exhibebat, plebs Avenionensis, verbo & exemplo ab hoc integerrimo antistite suo uberrimè pasta, nihil ægrius ferre visa est, quàm cùm eum in Italiam revocatum, à se discedentem videret: etenim Genua Patria, suo viduata pastore, hanc virtutem, apud se natam, suum in solium reposcebat; neque ille flagrantibus patriæ votis repugnare sustinuit, sui videlicet muneris esse ratus, ut pro spiritu, quem primo omnium ibi hauserat, multiplicato fœnore animarum salutem patriæ rependeret. Anno 1701. cùm Mars in Europâ cruentissimo, si unquam aliàs bello classicum caneret, à sede Pontificia Parisios Nuntius ablegabatur, ut Angelus pacis futurus, Marti ferrum, quod jam strictum tenebat, è manibus excuteret; verùm desperatam tunc quidem provinciam agebat, silentibus inter arma eloquentiæ legibus, nec Ciceroniana eloquentiâ tantum valiturâ, ut maximus ille Pompejus adversus Cæsarem arma deponeret. Cùm Ann. 1714. Augustissima Imperatrix Elisabetha Guelferbitana felicibus austriacis alaudis Viennam Austriæ redux properaret, hanc Germaniæ Palladem, Genuam delatam, grandævus hic antistes tam exquisitâ, suóque dignâ oraculo oratione excepit, ut pulcherrimos planè aureæ eloquentiæ, non senescentis flosculos, è suâ Musarum penu, multis coram stupentibus, expromeret; nec tantopere superbis surgentem ædibus Genuam mirata est tanta Imperatrix, quantùm admirabundo suspensa obtutu in vivo hoc virtutum & sapientiæ palatio hæsit. Ex toto illo tempore optimus hic senio, sacris aris, irremisso in Divos cultu, semper adstitit, sacram religionem semper tutissimam anchoram expertus, quâ lassatam quibuscunque difficultatibus navem, tutò sisteret. Eâ duce & veluti præceptrice, summi viri virtus à destinata metâ nunquam aberravit; nec etiam aberrare potuit, cùm Sacra Religio facem perpetuò præferret. Enimvero in eo alterum veluti Janum, suúmque conditorem Janua agnoscit; fundârit enim altis mœnibus conditor Janus magnificam urbem; eam certè Eminentissimus purpuratus, idémque Januensis Episcopus sanctissimis legibus firmat. Fuerit ille bifrons, in præterita sagaci consilio retrospiciens, & futura altâ sapientiâ præcipiens. Omnium etiam temporum hominem, nulla ipsius injuria, Eminentissimum nostrum purpuratum ex merito dixeris, cùm ex solido prudentiæ præscriptu, hodiernum diem magistrum futuri credat. Aureum sub Jano sæculum felix Janua vixerit; Etiam Eminentissimus noster purpuratus, cùm aureum gratiarum imbrem in cunctos depluit, nemini non aureus videtur. Virtutes denique omnes, quæcunque suis nominibus inclarescunt, Jano regnante, per Italiam floruerint; etiam sacerrimus hic antistes non modò virtutibus omnibus domicilium apud se præbet, sed ne ab intestato excedat, vivam virtutum suarum imaginem, toti imitandam Liguriæ, posteris transmittere allaborat.

No.



THOMAS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS RUFFUS NEAPOLITANUS
CREATUS DIE XVII. MAY. MDCCVI.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Caes. Maj.

13.

No. XIII.

THOMAS RUFFUS NEAPOLITANUS.

THomas tit. S. Mariæ trans tyberim Cardinalis Ruffus Neapolitanus Episcopus Ferrariæ natus est Ann. 1663. 15. Septembris ex illustrissimâ Ruffòrum in regno Neapolitano familiâ. Est enimvero, cur regnum Neapolitanum longè felicissimum reputem, cùm tot sydera, Christiano orbi benefica, inde exorta reperiam. Sola Campania, quæ rara unius ditionis laus, quatuor Pontifices Maximos, eósque sanctorum fastis adscriptos, enumerat, Soterem videlicet, Hormisdam, Silverium, & Honorium, quos veras denique Campaniæ delitias jure meritissimo nuncupaveris. Urbs Beneventana progenuit pontifices maximos Victorem II. & Gregorium VIII. Asculum in Apulia dedit Nicolaum IV. Regia denique Neapolitana urbs edidit præter Bonifacium V. Sanctis annumeratum, Urbanum VI. Bonifacium IX. Joannem XXII. Paulum IV. & Innocentium XII. Pignatellum. Si denique singulos sacræ Romanæ Ecclesiæ Eminentissimos purpuratos, quos magnifica Parthenope in lucem edidit, enumerare vellem, vel sola penè innumerabilium virorum nomina, integrum librum conficerent. Nobis in uno hæsisse satis erit, ex quo ideam, quales denique reliqui fuerint, judiciô non aberraturô, capiemus. Est is Eminentissimus Cardinalis Thomas Ruffus Neapolitanus, venerandum principibus æquè ac civibus nomen, cùm utrobique summum amorem sibi conciliârit. Quem certè omnium domina ac regina Ratio summum efformavit; & quandoquidem beneficæ naturæ plurimùm debet, usu tamen & exercitatione magis magísque crevit. Qui viriliter cuncta gerens, suavem tamen gravitati comitatem aspergit; Populi imprimis commoda tam sollicitâ curâ nunquam non promovere visus, ut princeps plane popularis habeatur. Amplam etiam Gazam, quam liberaliter astra indulserunt, tunc denique optimè collocatam reputat, dum vel ecclesiarum necessitates subsidium efflagitant, vel magnifica hospitalitas liberalitatem provocat, aut pauperum depressa sors misericordiam elicit. In suis officialibus ad veram justitiæ trutinam cuncta exigit; ea videlicet ulnâ, quâ justitia cuncta rite dispensat, rerum-publicarum felicitatem dimensus. Demum inter bellorum turbida, & difficillima sacræ reipublicæ tempora, cùm suus unicè esset, in neutram unquam partem, omnibus æqualis, inflecti se passus est, dignus, qui omnium favorem retulerit, cùm cunctorum offensam providâ curâ princeps sagacissimus declinârit: planè cùm ad pacem omnia referret, nullis discussam tempestatibus integerrimæ mentis quietem unquam vidit. Antequam ad sacræ purpuræ honorem deveniret, apud Innocentium XII. summum Camerarium (quem mæstro di camerâ nuncupant,) agebat. Mox ob perspectam in exantlandis summis quibusvis negotiis prudentiam, ad magnum Hetruriæ principem Pontificius nuntius mittebatur, quem is insigni humanitate, & suavi facundia facilè in sui amorem unà & admirationem trahebat. Iisdem artibus Florentinæ etiam nobilitatis studia facilè sibi conciliavit; nec minora plebis in eum studia ferebantur, quæ profusa in cunctos, egenos imprimis, liberalitas, promerebatur. Tot commendatum meritis Innocentius XII. Nicæ archiepiscopum dixit, ceu una pars orbis tanto viro non sufficeret, sed alterâ manu occidentem, orientem alterâ contingere deberet. Dicta Nicæa Bithiniæ urbs est, ubi jamdum anno 325. œcumenicum Christiani orbis concilium celebrabatur, cui 325. episcopi, ex toto Christiano orbe collecti, interfuê-

terfuêre. Eadem urbs inſigni Chriſtianorum principum ſocordiâ ann. 1340. in Turcarum manus venit, Tyrannorum aliquamdiu ſedes facta, quæ Priùs pietatis & ſanctiſſimarum ſanctionum domicilium fuerat. Hujus itaque urbis aliquando Archiepiſcopus denominatus Eminentiſſimus Ruffus feriis procul dubio votis non ſemel ſuſpirârit, ut ea princeps Bithiniæ urbs facta ſub tributo, & videns gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum è faucibus impiæ tyrannidis Eriperetur, & qualis ipſe ſacrorum rex eſſet, talis univerſus denique ſuus grex evaderet. Ann. 1706. decimo ſeptimo Maii ſacro purpuratorum collegio â Clemente XI. adlegebatur. Statim poſtea ingens rerum converſio in regno Neapolitano exorta eſt, Carolo III. ancillante fortunâ, & Marte decidente, illud regnum ad ſe attrahente; nec Eminentiſſimus noſter purpuratus, utpote ex Neapolitanis dynaſtis inter principes unus, quíque paci omnia tribuebat, diu anceps hæſit, an novum regni poſſeſſorem ſuo in ſolio agnoſceret, ſed ſtatim magna procerum comitante catervâ, Eminentiſſimum Cardinalem Grimanum, qui Cæſareis rebus ſummâ cum poteſtate in aulâ Romanâ præerat, adibat, ſua erga novum regem, quem cœlum, ſors dederant, obſequia conteſtaturus. Poſtea ſummus Pontifex in remunerandis hujus principis meritis totus fuit; cùm enim ſumma quæque in eo perſpiceret, regendíſque unicè populis natum, ne unquam â ſacræ reipublicæ negotiis tam vivida vis ingenii feriaretur, eum Ann. 1709, ſuum legatum in Romaniolam deſtinabat. Ne quære, qua ſui commendatione commiſſam provinciam adminiſtrârit, cùm nemo denique civium fuerit, qui non mitiſſimum ejus regimen perpetuum optârit. Ann. 1714. Wallachiæ principiſſa Cantacucena, cum gemino filio, quem crudelis ſors ſibi reliquum fecerat (nam maritus cum quatuor liberis maſculis in publico Conſtantinopolitano foro tyranni juſſu carnificis manu obtruncatus fuerat) Romam auffugiens, ab Eminentiſſimo Purpurato, calamitatem etiam jacentem reverito, ſæpius opiparam habebatur. Apud eam Princeps religioſiſſimus nullam non operam impendit, ut principes filios, ſi quò minus ipſa vellet, â Græcorum erroribus abſtractos, in Romanæ Eccleſiæ ſinum ire permitteret, ut corpore magna ſui parte capti, animarum libertatem conſequerentur; ejus etiam rei ſpes aliqua facta dicitur; ſed promiſſa græca ſcilicet fide exſoluta fuêre. Eodem anno Carolum Albanum Clementis XI. Pontificis Maximi ex fratre Horatio non degenerem nepotem ſacris connubii fœderibus cum Thereſia Borromæa lectiſſimâ principiſsâ conjunxit; quòd quidem conjugium vel inde cœlo auſpice initum videbatur, quòd Carolus â ſanctiſſimo patruo optima reipublicæ feliciter adminiſtrandæ principia hauſiſſet; contrà ſelectiſſima conjux Borromæorum ſanctitatem, hæreditario veluti jure in ſe translatam poſſideret. Ann. 1717. Eminentiſſimi Purpurati paſtorali ſollicitudini epiſcopatus Ferrarienſis demandatus eſt: ejus loci eccleſiam maximis ſuis expenſis renovari, ac ſplendidè exornari curabat; politioris etiam literaturæ eximius fautor, ſtudioſæ juventutis ſeminarium largiter ſuppeditatis pecuniis illuſtrius reddidit; nec quicquam omiſit, quò minus Ferrarienſes intelligerent, hoc novo Episcopo ſuæ ſibi felicitatis ſydus exortum fuiſſe. *Anno* 1721. ab *Innocentio XIII.* Legatus Bononiam mittebatur; ibi iterum in eo excolendo nobilitatis æquè ac plebis ſtudia miro conſenſu conſpirârunt, cùm nemo reperiretur, qui ſe ab ejus munificentiâ aut beneficâ dextra intactum ſentiret. Statim ac in urbem intraverat, pretium carnium, quod plus juſto excreverat, in charorum ſibi civium ſolamen diminui curavit. Cùm etiam paucorum ſordido quæſtu frumenti caritas per urbem fieret, urbi laboranti de ſubvectionibus ex Romaniolâ & agro Ferrarienſi faciendis, paternâ curâ proſpexit. Idem publicas ſupplicationes per urbem Bononienſem indixit, deum exoraturus, ne peſtifera lues, magnis ſtragibus miſeram Maſſiliam exhauriens, in Italiam irreperet. Sordidis hominibus, & ad nihil denique natis, quàm ut numerus eſſent, & fruges conſumerent, Bononienſem urbem magna ex parte alleviavit; ſic rapinas & furta unà ſuſtulit, & civibus incolumitatem procuravit. *Alearum* luſum, quo divinum Numen horrendis blaſphemiis nunquam non ad graviſſimam vindictam provocatur, ſub graviſſimarum pœnarum interminatione inhibuit. Demum in omnibus officialibus ſummam integritatem, & nullo emptibilem pretio fidem ſemper exquirebat, omni peculatu procul abeſſe juſſo. *Ann.* 1721. ab Electione *Innocentii XIII.* Bononiam redux, è geſtatoriâ ſellâ caſu præcipitatus, læſionem non modicam in facie excepit; ne tamen periculoſus lapſus eſſet, ſuperi viro, ſacræ reipublicæ utiliſſimo, cœleſtes videlicet *Atlantes* ſuccollârunt. Ceterum Eminentiſſimus hic purpuratus Ordinis *S.* Baſilii Protectorem & fautorem munificentiſſimum ſe exhibet, eos facilè alumnos paternâ curâ complexus, qui â terris avocatas cogitationes, in vitâ ſolitudinariâ aſtris unicè affigerent; nam Phœbus eſt, qui luceat omnibus: qui cuncta refocillando, ſolas ſteriles vitiorum herbas calore ſuo enecet.



HORATIVS PHILIPPVS S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS SPADA LVCENSIS
NVNCVPATVS S. HONVPHRII EPISCOPVS AVXIMI
CREATVS DIE XVII. MAIJ MDCCVI.

Joh. Christoph. Kolb exc. A.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

14


No. XIV.

HORATIUS PHILIPPUS SPADA LUCENSIS.

HOratius Philippus, Auxinensis episcopus, Cardinalis Spada Lucensis natus est Anno 1659. 21. Decembris ex nobilissimâ apud Lucenses Spadarum familiâ, cujus gentilitia sedes villa Spadia est, haud procul oppido Brisigella ad radices Apennini sita. Decantatissima hæc familia tres Sacræ Romanæ Ecclesiæ purpuratos (quorum quidem mihi numerum inire licuit) videlicet ut trinum perfectum efficerent, dedit. Primus eorum fuit Bernardinus Spada, ab Urbano VIII. Anno 1626. eo purpuræ honore insignitus. Erat is vir facundiâ summus, utpote in Rhetoricis Famianum Stradam, notum eloquentiæ lumen præceptorem sortitus: pulcherrimo historiarum studio tam tenaciter inhærebat, ut historicos authores pene nunquam è manibus, nedum è mente dimitteret: tribus Pontificibus Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. suam sapientiam ita commendaverat, ut singulis medullitus in amoribus esset. Gallicani Cleri, universitatis Parisiensis, ac Sorbonnici collegii motus, cùm Sacræ Sedis nuntium in Galliâ ageret, ex mente Pontificis feliciter composuerat. In villa sua Tiburtina graviter ægrotus, Romam deportari voluit, fortè cum celeberrimo Cardinali Baronio sentiens, Cardinalem in agro mori non decere: mortem non nisi januam salutis nuncupaverat; hinc mirâ vultûs serenitate, velut ad triumphum iret, vitâ excessit; candidum cygnum credidisses, suis occinentem fatis. Ejus mortem sacra Roma lachrymis & ingenti elatæ virtutis desiderio prosecuta est; verùm hunc hiatum, sacræ reipublicæ mœnibus veluti impressum, brevi suppleverat alter ex illustrissimâ hac Spadarum familia Purpuratus Joannes Baptista, nova sacræ Romæ æquè ac Luccensium gloria. Hic sub Gregorio XV. Urbano VIII. & Innocentio X. maximorum quorumvis munium curriculum ita percurrebat, ut summâ prudentiâ, virtute, doctrinâ, fide ac integritate, planè admirabilis, ab Innocentio X Sacram denique purpuram obtineret, quam ei multorum spes pene cum lanugine destinârat; ad quam tamen seriùs venisse in gloriam ducebat, utpote eximiis meritis diu antea præoccupatam. Quantùm ille de literato orbe promeritus sit, satis exinde colligi potest, quòd ejus solertissimâ industria factum fuerit, ut tria volumina legalium responsorum, & discursus juridici, ab avunculo suo Joanne Spada immortalis nominis viro concinnati, publicis typis commissi fuerint, in quibus infallibiles ex intimis juris medullis aphorismos reperias, ut vel sacra Themis Spadas fuisse, lætari queat. In gloriosos hujus Joannis Baptistæ Spadæ, Flaminiæ aliquando præsidis honores, â gratis Ravennatibus in publicô forô magnifica statua erecta est, quâ impressis solidissimo marmori literis contestabantur, Totam Flaminiam, tantô virô â se discedente ingemiscere: summos videlicet, quos adamâsset: infimos, quos non despexisset: divites, quos non expilâsset: pauperes, quibus sua erogârit: seculares, quorum concordiæ studuerit: Religiosos, quibus nunquam defuerit: omnes denique, quos ingenti annonæ penuriâ misericorditer servârit. Tertius ex illustrissimâ Spadarum familiâ purpuratus accessit Eminentissimus noster Horatius Philippus, qui ingenitas majoribus suis dotes tam abundanter in se exhibuit, ut de suo multum, ne absque fœnore inclyta Spadarum familia unquam esset, superadderet. Solem videlicet imitatur Eminentissimus hic purpuratus, utpote qui proprio orbem lumine, non emendicatis aliunde radiis illustrat. Enimvero Phœbus iste, ad suum sacrarium maturè aspiravit; & sacratioribus disciplinis imbutus, in supremam unicè regionem, abstractus à terris, efferebatur, ut pleno lumine cunctis luceret. Neque etiam hoc sapientiæ lumen summos Ecclesiæ Hyerarchas diu latere potuit, qui aulam Romanam, hâc virtute irradiatam quandocyus volebant. Ante omnes Innocentius XII. in eo condecorando totus fuit; cui pene familiaritatis nexu associatus fuerat. Etiam moriens Horatium ad se advocari jusserat, credo ut mortalis lectulus cathedra ultimùm perorantis evaderet. Planè Hotatius Philippus ex sanctissima

Innocentii XI. scholâ, & doctissimo Innocentii XII. Palladio tantus denique discipulus prodiit, qui immortalis nominis magistros quàm proximè adæquaret. Evasit ille acerrimi princeps judicii, omnibus religionis & sapientiæ absolutus numeris: in proferendis sententiis virili gravitate & circumspectione utitur: ut liberè cuncta enuntiet, virtus in causâ est, nullius mancipata, præter se solam, obsequiis: summus difficultates admirandâ mentis solertiâ probè enodare edoctus est. Hinc ob excellentes animi dotes complures Pontifices in sui amorem suaviter illexit; & præcipuis urbis congregationibus nobile membrum annumeratus, ubivis sacrum magistratum tam sobriè prudentérque gesserat, ut in se nihil unquam reperiri passus sit, in quo reprehendi circumspecta ejus industria potuisset. Paulò ante Innocentii XII. excessum nuntius Pontificius Coloniam Agrippinam venit. Sed grandia mox intervenerant, quæ hujus viri facundiam exposcebant, negotia; nam cùm post Caroli II. Hispaniarum regis obitum Europæorum principum animi, pro tam ampla hæreditate sibi vindicandâ, in cruentissimum, si quod unquam omni retro hominum memoriâ gestum reperitur, bellum exardescerent, ocyus Viennam Clementis XI. jussu properabat, ut omnem in id lapidem moveret, ne Mars Germanus ferrum, in ingens magnæ Europæ partis excidium, si armorum consilium procederet, stringendum, è vaginâ exereret; sed vel auream eloquentiam ingens ille bellorum strepitus obruebat; nam amplissimæ Monarchiæ possessione deturbata Austria, in solis armis remedium quærebat; & plus Mars in armis promittebat, quàm â sterili pace tunc quidem sperari poterat. Inde Horatius in Poloniam conversus, non minùs difficilem provinciam ibi nactus erat; nam in eo regno ad rerum exitium omnia tunc spectabant, gothico ferro latè dominante, & regni proceribus ad Suecicum auxilium, nullo sacræ religionis intuitu, respicientibus, inde suæ libertatis præsidium quæsituri, unde periculum unicè enascebatur; hinc pro summâ suâ facundia regni primatem Razioscovium precibus minísque aggrediebatur, ne rerum Suecicarum studio in ultimam calamitatem, dum in novum regem eligendum procerum suffragia ibant, miserandam Poloniam comitiorum ipse præses præcipitaret; sed surdis tunc canebatur non jam fabula amplius, sed luctuosissima catastrophe, innumeris postea subsequentibus cladibus comprobata. Inde ad reliquos Poloniæ proceres conversus, quotquot averso â legitimo rege suo animo erant (nam plerosque, eósque mentis sanioris idem turbo non abstraxerat) facundissimus Cicero veluti in Catilinas perorabat, utpote qui patriam suam noxiis conatibus perditum irent. Ultima zelosissimi antistitis ex Poloniâ abeuntis verba, pleno mentis integerrimæ æstu ad regni proceres excussa, ea denique fuère. *Cùm planè perspiciam, quod vos, quotquot hîc adestis, regni proceres, vestræ sententiæ, perperam conceptæ, mordicus adhæreatis, & quod inde consequitur, coeco veluti impetu in pernitiem ruatis, paternis sacræ sedis monitionibus insuper habitis, me etiam, Pontificis ad vos mandata ex muneris mei ratione deferente, planè spreto; ergo hinc denique discedam, ne tristissimo portentosæ sobolis aspectu, quem vestra consilia, à recto deviantia parturiunt, mei acerbius ever berentur oculi* Portentum postea fuit regnum, gemino capite imposito deforme. Eam liberrimam hujus antistitis vocem gravatè tulerat rex Sueciæ, & qui cum eo stabant, Poloniæ proceres; sed laudanda potiùs venit maximorum Pontificum industria, qui ejusmodi sapientiæ lumina in omnes quaquaversus orbis plagas immittunt, ne sacra religio quidpiam detrimenti capiat; Denique, cùm rex Sueciæ quæreret, quo jure Pontificis legatus novam electionem interturbaret, nec minùs ex illo quæri tunc quidem poterat, quo demum jure ille legitimè electum, & ritè inauguratum regem suo solio dejiceret, & in alieno regno detestandum cunctis exemplum faceret, quod in suo perpetratum haud dubiè abominaretur; albescentes modò cæsorum ossibus circa Pultavam campos consulat, & satis inde dignoscet, immensis cupiditatibus Divinum Numen obstare. Planè per pontificios nuntios, qui prorsus egregii unus post alterum subsidio discissæ factionibus Poloniæ immittebantur, unicè effectum videbatur, ne sacræ religionis navis, gottico vento perflante, his anchoris suffulcientibus, in præceps abriperetur. Ipse etiam Stanislaus Lescinkius (quod in Suecico ciente multi admirabantur) ingenuè professus erat, se malle salvo religionis cultu, quem Sueci in multis diminutum ibant, deposito regno privatum vivere, quam eo vel minimùm infracto, in Polonico solio regnantem conspici. E Poloniâ redux factus Horatius eam suæ nuntiaturæ, gnaviter obitæ, mercedem retulit, quam sacra Roma eximiis ingeniis post multiplices pro se exantlatos labores plerumq; rependere assolet; videlicet in sacræ Romanæ Ecclesiæ Purpuratum à Clemente XI. 17. Maii *An.* 1706. adoptabatur, effusissimo Luccensium gaudio, qui se in purpuratis Spadarum honoribus gloriosos reputabant. *An.* 1710. Eminentissimus Purpuratus primum lapidem in hospitali sancti Michaelis Romæ posuerat, qui suam nempe gloriam in necessitatibus pauperum sublevandis quærebat, quos veluti suos ex asse hæredes, largissima stipe nunquam non refocillabat. *An.* 1713. Eminentissimo Purpurato Marescoto, integri sæculi Phœnici, in honorificentissimo Secretarii munere, in sacri officii Congregatione obeundo, successor dignissimus surrogabatur. An. 1721. post excessum Clementis XI. sacro conclavi pro eligendo novo Pontifice ita interfuit, ut ad summum pontificatus apicem ipsemet perventurus crederetur, nisi summum senium, & perpetuis vexatum infirmitatibus corpusculum insignibus meritis obicem posuisset. Inde ad Auxinensem Ecclesiam, cui vigilantissimi pastoris curâ præest, se contulit, uberrimo solidæ doctrinæ & eximiarum virtutum pabulo subditam plebem roborando; re verâ Spada, seu gladius, (ita enim Hispannicè hoc nomen sonat) dicendus, qui cùm tanquam imbrem mittat eloquia sapientiæ suæ, gladio verè ancipiti in corda audientium penetrat, & felices reddit, quoscunque his denique ex armamentario virtutum depromptis telis innocuè lædit.

No.



[illegible]



PHILIPPUS ANTONIUS S.R.E. PRESB. CARDIN.
GUALTERIUS URBEVETANUS
CREATUS DIE XVII. MAIJ. MDCCVI.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

15

No. XV.

PHILIPPUS ANTONIUS GUALTERIUS URBEVETANUS.

PHilippus Antonius Gualterius tit. S. Chryſogoni Cardinalis, Urbevetanus Imolæ ſeu fori Cornelii in Romaniola Epiſcopus natus eſt An. 1660. ex antiquiſſimâ apud Urbevetanos Gualteriorum dynaſtiâ, qui Hetruscæ nobilitatis, eruditionis ac diſciplinæ viri patriam ſuam lucidiſſimo virtutum ſuarum ſplendore magìs magíſque illuſtrârunt. Floruit antiquiſſima hæc Gualteriorum ſtirps urbe veteri, Perenni illuſtrium virorum ſobole plusquam ſexcentis annis; nec etiam ſumma Purpuratorum dignitas nunc primum in illuſtriſſimam hanc familiam illata eſt; verùm purpureo in cœlo lucidiſſimum aſtrum jamdum An. 1654. micabat Carolus Gualterius, in id faſtigii ab Innocentio X. ob inſignem, quâ pollebat, doctrinam evectus. Quantùm is dicto Innocentio X. ex gente Pamphilia in amoribus fuerit, luculento ſatis argumento eſſe poteſt, quòd in graviſſimis ſacræ reipublicæ temporibus in partem omnium negotiorum plerumque adhiberetur, cunctáque ad cameram Apoſtolicam, & Pamphiliam gentem ſpectantia, ſagaciſſimæ ejus curæ commiſſa fuerint. Firmianam Eccleſiam, inter omnes, quotquot ſunt in Piceno agro religionis antiquitate & diœceſeos amplitudine digniſſimam, regendam ſuſceperat, quam ſynodo coactâ optimis ſtatim legibus muniebat; verùm curis & longo ſenio denique fractus, receptui cecinit; Jannoto tamen Gualterio, ſuo ex fratre nepoti, pontificis indultu eam ipſam eccleſiam regendam permiſit, ne eam ex toto, cùm in magno nepote ſuperviveret, deſtituere videretur. Cùm idem Carolus Gualterius Plautillâ Guarinaciâ illuſtri Romanâ fœminâ progenitus fuerit, quæ neptis erat Cardinalis Silvii Antoniani, qui elapſo ſæculo omnibus miraculo erat, quo certe ingenio major vixiſſe non viſus eſt, rem lectori non ingratam, nec præter Gualteriorum decus præſtitero, ſi de ſtupendo illo ſapientiæ lumine pauca aliqua in medium afferam; nec enim prætermittenda videntur ingentia majorum decora, quæ illuſtri ſanguinis prærogativa ad ſeros nepotes nunquâ interrupta gloria tranſierunt; eo quidem magìs, quòd noſtra Auguſta aliquam ſibi partem in Silvio Antoniano exornando vindicare videatur, quandoquidem Otto Truchesius S. R. E. Cardinalis & Epiſcopus Auguſtanus, cùm ſummam in Silvio indolem deprehenderet, in eo juvando & excolendo totus fuerit. Is ipſe Silvius vixdum decennis adoleſcentulus, cùm ad teſtudinem fidibus luderet, ad ſtuporem audientium carmina, â ſe extemporaneè, in quamcunque velles, materiam confecta, ſuaviſſima voce decantabat. Hujus rei experimentum capiebatur in celeberrimo convivio, quod Cardinalis Piſanus compluribus ſuis clariſſimis collegis dederat. Ibi Cardinalis Alexander Franciſcus Farneſius faſciculum florum Silvio adoleſcentulo ea lege tradiderat, ut ad illum ex aſſidentibus, compoſito concinno carmine deferret, quem aliquando futurum ſummum Pontificem crederet. Silvius ſtatim Cardinalem Mediceum adibat, & in ejus laudes ſuaviſſimè extemporaneis verſibus decantabat. Mediceus ſibi ludum dari putans, & rem ex compoſito fieri, pene ira excandeſcebat; ſed Cardinalibus perſanctè affirmantibus, â ſola ejus adoleſcentuli ſtupenda indole eos verſus momentô citiùs prodiiſſe, & Mediceum invitantibus, ut & ipſe propoſito quocunque obvio argumento rem experiretur, Mediceus alio argumento, quodquod primò occurrebat, Silvii genium periclitabatur; quod ab eo tam gravi verborum & ſententiarum pondere præſtitum erat, ut Mediceo penè in ſtuporem rapto, omnis dubitatio exempta fuerit, qui poſtea ſub nomine Pii IV. in ſolium Petri evectus, Silvium ad ſe accerſebat, brevi ſummis viris annumeratum. Eloquentiâ tam potens erat, ut nemo unquam Ciceronianam facundiam propiùs accedere viſus; græcas etiam literas tam probè callebat, ut natus Athenis credi poſſet. Purpuram à Clemente

mente VIII. obtinuerat, ut moribus candido, rubedo non deesset; de quo conscientiæ ejus arbiter post ejus obitum sanctè affirmaverat, nunquam toto illo multorum lustrorum tempore, quo intemerati ejus viri confessiones excepisset, lethalem ab eo culpam suas ad aures depositam fuisse. Hunc suum ex stirpe materna maximum antecessorem cùm Eminentissimus noster Purpuratus Philippus Antonius Gualterius sortitus sit, ejus etiam insignes virtutes ita æmulatur, ut quàm proximè assequi videatur. Si illum solem dicere velis, nostrum Eminentissimum Philippum Antonium Heliotropium nuncupes, qui eò actiones suas dirigat, unde præclarè vivendi leges accepit. Si stellam polarem Silvium dicas, suis perpetuò affixam astris, Philippum Antonium prudentissimum pariter nauclerum nuncupes, qui eò cursum dirigat, unde sydus sibi tam amicum refulgeat. Verbô, si prototypon Silvium dicas, in quo virtutum omnium imago resplendeat, huic planè conformem effigiem in Eminentissimo Philippo Antonio conspicies, qui suas actiones juxta illius normam sapientissimè ordinat. Is enimvero princeps amabilis est, qui placidissimos sereno vultu mores cunctis exhibet. Admirabili æquitate, sincerissima virtute, indefesâ solertiâ, eximiâ prudentia, & consiliorum gravitate Philippus Antonius usque adeo inclarescit, ut æquè largo regiarum virtutum cumulo paucos magis dotatos reperias. Aulas quascunque accessit, in sui amorem obvertit, cùm humanitate vix ullum ante se relinquat; & quandoquidem pleno pectore sapientiam hausit, â nemine non prudentûm summopere æstimatur. Nec etiam absimili curâ sacræ reipublicæ negotiis in multis obitis legationibus invigilabat, dignus quem Ecclesia, dignus, quem Principum aulæ in suum adoptârint. Primò omnium, sapientiâ pro eo suffragium ferente, Avenionem legatus Pontificius missus est, ut rebus Romanis per Gallias velut è propinquo sollicitè studeret. Statim Gallia hoc sydus venerabundo nutu suspexerat, utpote non alio lumine, quàm quod virtus accenderat, illustratum. Cùm itaque genti, apud quam agebat, undequaque acceptissimus esset, ab Innocentio XII. sub finem septingentesimi sæculi ad aulam Parisiensem ablegabatur, ut in illâ humanæ sapientiæ regiâ suas artes pro sacrâ republicâ ad amussim exereret. Ejus rei peragendæ ratio brevi oblata est; Nam Carolo II. Hispanniarum rege è vivis excedente, nihil propiùs videbatur, quàm ut cruentissimo bello integra Europa involveretur, duobus potentissimis Europæ Monarchis amplissimam eam hæreditatem ad se trahentibus; Tunc quidem Gualterius ex mente Pontificis optima pacis consilia Regum Maximo suppeditavit; sed ille victoriis veluti innutritus, grandem hanc causam, Marti decidendam, unicè commiserat. An. 1701. summis suis meritis id consecutus erat, ut ad Episcopatum fori Cornelii (Imolam vocant) evocaretur, quem ille sapientissimis mox legibus firmavit. Inde An. 1701. nullius invidiâ, cunctorum in eum pronâ voluntate, ad purpuræ honorem venit, quæ non decentiùs defluit nisi ex humeris, sacræ reipublicæ necessitatibus tantùm succollantibus. Postea in Romaniolam Pontificis legatus missus est, & cùm Cæsareus miles An. 1708. per ejus fines regno Neapolitano infunderetur, sedulâ Eminentissimi Purpurati curâ luculenter providebatur, ne status Ecclesiasticus per militarem licentiam, quæ non semper ducum suorum satis imperia respicit, quidpiam detrimenti caperet. An. 1709. 14. Octobr. Episcopatus Tuderensis (est ea urbs à Spoletio versus occasum solis haud procul Tiberis ripâ) denominatus est. An. 1710. Gallia hujus viri cumulatissima merita remuneratura principem Abbatiam S. Remigii, eóque ob vicinas Lutetias jus pene indigenatûs, in eundem transtulit. Anno 1713. è portu Liburnensi in dictam Galliam solvit, Christianissimi Regis desideriis facturus satis, qui ingenti hujus tam præclari viri iterum videndi desiderio tenebatur, quem sub initium hujus sæculi suâ in aulâ versatum, ceu Apollinem, dum publicè perorabat, oracula fundentem, cum admiratione nunquam non suspexerat. A Ludovico omnibus regiæ benevolentiæ signis exceptus, eam etiam eximiæ prudentiæ suæ, Regi sapientissimo luculenter exhibitæ, mercedem retulit, ut Abbatiam S. Victoris in Galliis obtineret, ipsemet non paucorum, qui ei spei imminebant, futurus victor, eò gloriosior, quò apud Gallos meritis excellentior; nam Protectoratum Galliæ aliquamdiu summa sui commendatione gesserat, dum lis componeretur, quam Eminentissimo Purpurato Ottobono lex Veneta movere videbatur, ab alienigenarum quorumcunque principum obsequiis apud se natos removens, quæ tamen lex Assueri videbatur, lata pro omnibus, non pro te, sacra Purpura. Nec minùs â Jacobo Francisco Eduardo, Jacobi II. Stuardi filio, Eminentissimus Gualterius in Protectorem Angliæ amplissimo meritorum ejus diplomate declaratus est; hinc An. 1716. ad Apostolicam sedem lætum pro se nuntium ferebat, prædictum principem ad Scotos, qui pro eo in patrium solium evehendo in armis stabant, felici navigatione appulsum; verùm brevi ea felicitas tenuit; nam infelix princeps, suis perpetuò fatis agitatus, penè eadem celeritate, qua appulerat, mâre relegebat, id saltem fortunæ beneficium debebat, quòd ventos tam validè à puppi ferientes nactus sit, ne qua hostica celox, quarum complures tantæ prædæ inhiabant, è fuga retraheret, ultimam fortassis è Stuardorum sanguine victimam futurum. An. 1717. Eminentissimus hic purpuratus dictum principem Jacobum Romam delatum iis denique obsequiis, ceu regio in solio sederet, cum integrâ Româ excepit; videlicet eximia ejus principis virtus in sui admirationem neminem non rapit, qui orthodoxæ religioni indefesso studio adhærescens, suis denique fatis & motibus terrestrem Angliam relinquens, ad cœlestem illam unicè respicit. An. 1719. idem Princeps cum Mariâ Clementinâ Sobieskiâ, Jacobi Ludovici Sobieskii & Hedvvigis Elisabethæ Palatinæ filiâ matrimonii fœderibus junctus est, quam lectissimam principem vel hostes affirmant; utpote quæ sapientiâ Palladem, Majestate Junonem, & gratiis Venerem referat. Ex quo matrimonio Eminentissimo Purpurato Gualterio exultante, gemina proles virilis enata est: Carolus Odoardus Ludovicus A. 1720. 31. Dec & Henricus, Benedictus, Odoardus, Elfridus, Ludovicus A. 1724. 13 Mart. ille Walliæ princeps, hic Eboracensis Romæ dictus. Pari modo Eminentissimus Purpuratus Gualterius inexsplicabili gaudio neonatum Austriæ & Asturiæ Principem, prosecutus est, utpote Austriam in se beneficam, suæque admiratricem sapientiæ nunquam non expertus. Sic Eminentissimus Gualterius Italiam, Galliam, Austriam, orthodoxam in quantum est, & esse potest Angliam, & multas alias orbis Christiani plagas, sacris unà curis complectitur, omnibus omnia factus, cùm neutris desit.

No.



IOSEPH S.R.E. PRESBYER CARDINALIS
VALLEMANUS FABRIANENSIS
CREATUS DIE XVII. MAY. MDCCVI.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

16.


No. XVI.
JOSEPHUS VALLEMANUS FABRIANENSIS.

JOsephus tit. S. Mariæ Angelorum Cardinalis Vallemanus Fabrianensis in lucem prodiit An. 1648. in urbe Firmana, quæ in Piceno agro sita est, & Archiepiscopatûs honorem sibi adjunctum habet. Eadem porro urbs religionis antiquitate, suæ dioeceseos amplitudine, & principatûs vetustissimo titulo ante omnes, quotquot in Piceno agro reperiuntur, memoranda venit; verùm eam, compluribus licet Pontificiis & Imperatoriis privilegiis ornatissimam, non minùs antiquissima Vallemanorum Familia illustrat, cujus tanta per integram Italiam merita existunt, ut sacræ æquè ac civilis reipublicæ Athlantes nunquam non visi sint, quibus succollata multarum provinciarum felicitas inconcussa steterat. His novum gloriæ additamentum accedit Eminentissimus Cardinalis Josephus Vallemanus, vir omnium judicio summus, & quem non vulgares Musæ, quas ille â teneris in consortium admisit, ad altissima quæque jam dudum destinabant; cùm pulcherrimas insuper virtutes scientiis jungeret, in arce sanctitatis ac sapientiæ nemini non aliquando collocandus videbatur. Planè prompti consilii, excelsi animi, admirandæ eruditionis, profundissimi judicii, summæ in proferendis sententiis gravitatis, ac incorrupti in omnibus actionibus candoris principem cuncti deprædicant; qui cunctis benefacere, penè in naturam traxit; hinc non modo pronos populi amores Suavi quadam violentiâ, & aureo beneficentiæ hamo ad se attraxit; verùm etiam, quantùm in animis plebis princeps popularis dominatur, tantum apud viros principes, aulis natus dynasta favoris sibi conciliavit; nam largiter & hospitaliter, & prolixâ humanitate, ac sumptuoso decôre proceres excipiendo, eam denique virtutem cunctis exhibet, quam dignam viro principe magnificentiam omnes indigitamus. Igitur isthoc Anconitanæ nobilitatis gemma, tot secum decora afferens, Roma insignium virorum fautrix ascivit; quæ certè suam in eo gloriam repositam existimat, si pro pulcherrimâ corollâ, quam sacro capiti circumponat, ejusmodi fragrantissimi virtutum flores exquisitissimo selectu segregentur. Vallemanum itaque Clemens XI. Pontifex Sapientissimus, solam virtutem suo dignatus suffragio, in summis amoribus semper habuit; certè cùm rerum omnium exactissimam cognitionem ac indefatigabilem in exequendo solertiam in eô nunquam non expertus esset, omnium denique consiliorum suorum participem & Administrum esse voluit; & quandoquidem Carolo II. Hispanniarum rege è vivis sublato, atrocissima belli tempestas per integram Europam exorta fuisset, ubi integerrimus Hyerarcha Scyllam inter & charybdin deprehensus non nunquam hærebat, cùm paterno affectu favorem in cunctos quidem æqualiter dispensaret; sed cùm omnibus studeret, neutris aliquando satisfaceret: prudentissimis Vallemani consiliis strenuè adjuvabatur; hinc ut eum suo veluti lateri adhærentem perpetuò haberet, Pontificii Palatii præfectum, (quem Majorem Domus nuncupant) denominavit; qua quidem præfecturâ dignissimus judicabatur, qui suæ dudum domui præclara cum laude & intemeratâ famâ præfuisset. Inde Athenarum Archiepiscopus â Clemente denominatus est. Ea etiam urbs, qualis ipse denique esset, satis eloquebatur; nam uti Athenæ sapientûm domicilium, sapientiæ Prytaneum, Schola Græciæ, communis omnium hominum ludus literarius, Græcia Græciæ, anima, Sol, & oculus Græciæ nuncupabatur, ita nullos satis ex condigno titulos reperiam, quibus Josephi Vallemani, suis videlicet Athenis dignissimi, laudes sufficienter expromam. Solonem agit, prudentissimis legibus, quibus subditi probè

 infor-

informentur, suggestis. Theseus est, aureum vellus è Colchide referens, cùm insigni beneficentiâ aureum gratiarum imbrem in cunctos depluat. Platonem exhibet, cùm quibus moribus gentes vivant, facem ipsemet præferat. Demostenem orbi veluti restituit, cùm facundo oris eloquio in sui admirationem cunctos rapiat. Aristotelem propè accedit, altè recondita sapientiâ omnia pervestigando. Verbo; Apollo est suis Athenis, suóque dignissimus Olympo. Ut in exteris principum aulis, res Romanas dynasta tam sapiens, sumo cum fructu curaret, Internuntius Apostolicus ire in Hispaniam â Clemente jubebatur. Gerebatur tunc summa armorum & animorum contentione atrocissimum illud bellum inter Carolum III. Austriacum, & Philippum V. Andegavensem, utroque amplissimam Hispanniarum Monarchiam ad se trahente. Credidisses Julium Cæsarem stare adversus Magnum Pompejum, & in Ibericô solô de orbis imperio dimicari. Primo omnium Vrbs Barcinonensis in Caroli III. manus devenerat. Cujus fortunam integra mox Catalonia secuta erat. Postea Hispanorum & Gallorum exercitus, cùm Barcinonem recuperare niteretur, pro speratâ victoriâ decumanam cladem referebat. Inde Arragonia & Regnum Valentiæ victoribus patuerat. Imò Germanus miles eodem victoriæ impetu ad Mantuam Carpetanorum usque progrediebatur, regiâ Aulâ, ut impendentem tempestatem declinaret aliquantum egressâ. Postea fortuna ad Hispanos reversa, quàm comutabilis esset, exhibebat. Et toto illo intermedio tempore Sagacissimus Vallemanus se talem exhibuit, qui in variantibus illis bellorum vicibus, sua tamen Probissimi Ministri Statione dejiciendus nunquam esset. Plane Clemens XI. probe gnarus, quantum operæ sibi in difficillimis Sacræ Reipublicæ temporibus ejus Viri solertissimo ingenio, & intemeratâ fide præstitum esset, eum sacro Purpuratorum Collegio A. 1706. 17. Maij cum novendecim aliis magni nominis Viris â se adlegendum putavit, & tunc quidem id Eminentissimo huic purpurato singulare accidit, ut è tanto numero solus & unus â Maximo Pontifice in scrinio pectoris reservaretur; nec nisi anno plusquam integro evoluto, videlicet prima Augusti anni Millesimi septingentesimi Noni, quæ dies Augustum pariter futurum innueret, publicè promulgaretur. Ex quo longiori partu (nam maxima quæque tardiùs excrescunt) dignoscere licuit, Josephum Vallemanum sumum futurum, quem tamdiu Maximus Pontifex sacrato, priusquam effunderet, pectore gessisset. A. 1709. Fratres sancti Francisci (quos conventuales nuncupamus) in suam protectionem gratanter susceperat; quì enim beneficam manum denegaret Ordini insigniter pio & docto, ac geminis hisce alis, pietatis videlicet ac doctrinæ astra propemodum contingenti. Nec minùs An. 1714. post pium excessum Cardinalis Carpegnani Collegii Sancti Bonaventuræ in urbe Bonnoniensi Protector assumptus est, perpetuus doctorum fautor futurus, ut quis ipse denique esset, omnes inde dimetirentur. An. 1715. ardentissima febri correptus pene pro conclamato habebatur, ipsis Medicis longioris vitæ spem acerbâ sententiâ præscindentibus. Hinc omnibus sacris fortissimus Christi Athleta strenuè munitus mortis horam intrepidè expectabat; nam talis fuerat ejus vita, quæ mortem neutiquam formidaret. Verùm liberalissimæ eleemosynæ, pro ejus incolumitate in manus pauperum deportatæ, orbi pretiosam hujus principis vitam indubiè redemerunt. An. 1716. Giacomus Assisii episcopus è vivis excessit, ultimis tabulis liberaliter testatus, quanti Vallemanorum nomen & sapientiam faceret. An. 1719. Joannem Dominicum Vallemanum ex diuturno morbo Florenziis decumbentem amisit, & amissum ingemuit; cùm Hetruscâ in aulâ sumâ gratiâ valentem nemo non conspexisset, Vallemanum omnes agnoscerent, utpote Religione & Sapientia in oculis totius urbis conspicuum. An. 1721. Sacrum Conclave novum orbis orthodoxi caput unà electurus intrabat; nec deerant, qui sacram Tyaram votis eidem destinabant. Ipse tamen ingenti gaudio exultare visus est, cùm Sacra Sors supra Cardinalem Michaëlem Angelum de Comitibus caderet, quem non modo arcto sanguinis nexu, sed intimâ etiam, quæ maximorum ingeniorum conspiratio est, familiaritate contingebat. Post Innocentii XIII. excessum, cujus regimen quàm honorificum, tam breve exstiterat, suo facilè unà suffragio in Vincentium Mariam Ursinum ibat, cujus eximiam vitæ sanctimoniam, eo utique solio dignissimam, non semel facundo ore deprædicare auditus est. Verùm etiam in illa electione Vallemani nomen ceu Pontificis futuri, ad nos exteros delatum est. Is est enim Sacer Purpuratorum Senatus, ut quot proceres, tot Reges numeret; & si ex Dionis effato, victor sui animus verè Rex suo in solio dominans nuncupari posfit, pro Eminentissimo nostro Purpurato pronuntiata sententia est, utpote quem continentissimum, affectibus probè compositum & miræ moderationis Principem Ancona patria deprædicat, Hispania experta est, Roma Sancta, veritatis magistra, testimonio omni exceptione majori suffragatur.

No.





Christianus Augustus è Ducibus Saxoniæ
Episcopus Iaurinensis, S.R.E. Presb. Cardinalis
Creatus in Consistorio Secreto die 17. Maÿ 1706.

17.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Majest. *Ioh. Christ. Kolb excud. Aug. Vind.*

No. XVII.


CHRISTIANUS AUGUSTUS E DUCIBUS SAXONIÆ.

CHriſtianus Auguſtus è Ducibus Saxoniæ, Archiepiſcopus Strigonienſis, Epiſcopus Jaurinenſis, Regni Hungariæ Primas, necnon Sacræ Cæſareæ Majeſtatis in Comitiis Ratisbonenſibus Plenipotentiarius, natus eſt in Saxoniâ 9 Oct. An. 1666. Princeps eſt, vix ulli noſtro ævo ſapientiâ & rerum agendarum probatiſſimâ ſolertiâ ſecundus; quem noſtræ Germaniæ ſplendidiſſimū gemma merito dicamus, cùm clariſſimo virtutum ſuarum ſplendore omnium oculos mirè perſtringat. Facilis alloquio, gratus aſpectu, & ut in verbis ponderoſus, ita in operibus efficax, attrahendis hominum voluntatibus unicè factus videtur. Quas prorſus inſignes dotes, naſcendi velut ſorte hujus Principis animo infuſas, eximium religionis Studium longè exſuperare videtur, cùm in eô haud quicquam mortalium ulli concedat. Hinc Eminentiſſimum hunc Purpuratum juſtum, ſapientem, magnanimum, religioſum, ac munificum tota Germania deprædicat, Hungaria hominem licet exterum ſincero affectu complectitur, Sacra Roma hoc Germaniæ decus ambabus veluti ulnis ſtringit. Undetrigeſimum annum agens, admirabili deſuper lumine illuſtratus eſt, ut tenebras inter & lucem dignoſceret, & eò navem, in incerto errorum fluctuantem appelleret, unde certa ſalus. Videlicet ad Sacræ Romanæ Eccleſiæ gremium, quam tantæ intelligentiæ princeps non poterat non veram agnoſcere, mirifico animi zelo ſeſe applicuit. Certè Magni Wittegindi progeniem ſeſe dignoverit, qui à Carolo Magno prœlio victus, animo eſſe liber occœpit; & cùm mite Chriſti jugum everſis idolis ſubiret, improbitatis vincula diſcuſſit. Felicem enimvero Saxoniam deprædicem, quæ tot, tantóſque ſoles noſtra hac ætate ſuo in Horrizonte conſpicit. Legimus in Avilæ atque Illeſcæ hiſtoriis, quòd cùm alter ille Carolus, quem quintum indigitamus, in Fridericum Saxonem An. 1546. moveret, Sacra trophæa iterum in Saxoniâ fixurus, illo quo prœlio decertatum fuerit die, ſol defixus inter aſtra ſubſtiterit, repetito veteris ævi miraculo, ne victoriam Cæſaris, properata nocte interciperet. Soles mihi eſtis, quotquot ad Sacræ Romanæ Eccleſiæ gremium rediiſtis, Saxoniæ Principes, qui veſtrâ cœli ſtatione nunquam dimovendi, orthodoxi orbis incrementis nunquam non lucebitis. Eris ſemper Auguſtus Friderice Auguſte, quem ſuo in ſolio regnantem Polonia adorat. Eris Auguſtus, tanto parente non degener hæres Friderice Auguſte regia ſoboles, in Sarmatico ſolio, quò tuæ te virtutes dudum vocant, aliquando reponende. Eris nunquam non Auguſtus Chriſtiane Auguſte Eminentiſſime Purpurate, quem ſuum Salomonem Germania credit. Eris Auguſtus, tanto Patruo digniſſime nepos Chriſtiane Auguſte Princeps Neoſtadienſis, tener ſurculus, ſed in maximas ſpes adoleſcens; cùm in ipſo Luciferi exortu plenum in meridie Phœbum exhibeas. Vos omnes, nomine & omine Auguſti, Soles eritis, veſtrarum virtutum radios undequaque diſpenſaturi. Sed ut eò, unde me publicæ felicitatis contemplatio abduxit, revertar, Chriſtianum Auguſtum, nobiliſſimum orthodoxæ Eccleſiæ membrum factum, expanſis protinus ulnis Sacra Mater Eccleſia amplexata eſt, honorificentiſſimis dignitatibus in eum cumulatiſſimè congeſtis. Hinc Metropolitana Eccleſia Colonienſis eum in ſummum Præpoſitum adoptavit; nec non Eccleſiæ Saliſburgenſis, Eiſtadienſis, Ratisbonenſis, Leodienſis, & Monaſterienſis aliis poſt alia temporibus hoc principum gemma ſuis Eccleſiis aſſociârunt. In eo etiam exornando Imperator Leopoldus, inſignium virorum admirator & dotator munificus totus fuit; hinc Viennam Auſtriæ vixdum appulſum, Jaurinenſi Eccleſiæ in Hungariâ præeſſe voluit, majoribus etiam dignitatibus tanti principis merita brevì poſtea condecoraturus. Nec minus Clemens XI. immortale orthodoxis nomen,

pro

pro eximio suo in principes religiosos studio, Sacro Purpuratorum Collegio eundem *An* 1706. 17 *Maii* annumeratum voluit; ad quam etiam dignitatem à Friderico *Augusto* Poloniæ rege intensissimè commendatum se vidit, licet alio, quam quod propria virtus afferebat suffragio, tam pius Princeps non indigeret; neque id etiam prætermittendum videtur, quòd Cardinalitia dignitas primò omnium in eum è Saxonum Ducibus congesta dicatur. Post Collonizii è vivis excessum *Archiepiscopus Strigoniensis* à Leopoldo Imperatore denominatus est. Fuerat is *Archiepiscopatus* olim non per Hungariam modò, sed Europam propemodum universam celeberrimus; nec etiam hodiedum suo splendore multùm excidit: certè regni totius *Primatem*, Legatum natum, & summum Hungariæ Cancellarium congestis titulis nuncupant, quisquis eo in solio residet. *Accedit*, quòd providâ Leopoldi *Imperatoris* curâ Archiepiscopi Strigonienses jure veluti hæreditario *Sacri Romani* Imperii Principibus annumerentur, ne qui in sacris per Hungariam promovendis indefesso studio desudant, dignitatis gradu ulli secundi habeantur. Enimverò Hungaria mox sensit prudentissimi Antistitis paternam curam; nam in maximis motibus, cùm in civile bellum gens inquies erumperet, regni gubernacula Eminentissimus Purpuratus ita moderabatur, ut ne ipsi quidem hostes in eo unquam reperirent, quod reprehenderent; adeò nefasta bella exosus, in pacis consilia unicè semper incubuit, pacem maturiùs impetraturus, nisi à sana mente æquè ac legitimo Principe vecordes Malecontenti, maleferiato Ragozio antesignano excidissent. Nec minùs de Ecclesiâ Coloniensi, cujus administrationem, suo videlicet præsule viduatæ, jamdum *An.* 1703. agebat optime meritus est; sed meritorum suorum proemium pene captivitatem tulerat; nam immissus in urbem clanculum hostium manipulus, (seu veriùs prædatores dicas, nulla publica authoritate instructos,) in eo erat, ut principem ex urbe surreptum Gallis tradderet. Tam egregio, si superis placet, facinori cœlum obstitit; nam re à quodam subcenturione *Jacobo* Coulono Limburgensi detecta, è suis, quibus abscondebantur latibulis extracti prædatorum plerique, meritissima cruce, prædonum supplicio fracti sunt; contra subcenturioni Coulono annua pensio centum florenorum à grato principe assignabatur, cujus etiam recommendatitiis literis Imperator facilè dedit, ut Coulonum, in suam militiam translatum, protribunum diceret. *An.* 1707. Eminentissimus Purpuratus sacris operabatur, cum solemnibus Sponsalibus Maria *Anna Austriaca* Joanni I. Portugalliæ & *Algarbiæ* Regi, *Augustissimo Imperatore Josepho* pronubum agente, jungeretur. Eadem felicitatis sors Eminentissimo huic Purpurato anno penè insecuto obtigit, quando auspicatis nuptiis benedicebat, inter Augustissimum Hispanniarum *Monarcham* Carolum III. nunc Orbis Romani potentissimum Dominum & Elisabetham Christinam Guelferbytanam contractis, Augustissimo Imperatore Josepho pariter sponsi absentis vices in solemni illa desponsatione obeunte; quod maximum par conjugum Deus ter optimus Maximus conservet, & longa prole fœcundet. *Mense* Octobri ejusdem anni Ecclesiam sancti Petri in urbe Viennensi solemni ritu inauguravit. Ecclesiæ illius octavo post Christum natum sæculo prima fundamina jacta sunt. Fundatorem agnoscit Carolum Magnum, multis è Saxonibus relatis victoriis inclytum Cæsarem. Quis igitur sacris ejusmodi coeremoniis peragendis aptior deligi potuit, quam ex vetustissima Wittegindi progenie princeps Saxo? Pene lachrymis immaduerint religiosissimi *Antistitis* oculi, cùm seriò secum revolveret, eundem *Carolum* Magnum Saxoniæ suæ *Apostolum*, & hujus, quam ipse noviter consecraret, Ecclesiæ exstructorem exstitisse. Quantùm optârit, ut ea sacra in patriâ sua adhucdum florerent, quæ Caroli Magni pietas induxit, sed effusus ex Eislebianis paludibus novator intervertit. Planè orthodoxæ religionis studium in eo principe tam eximium est, ut Sancta Mater Ecclesia de tali filio, sibi regenerato, unicè congaudeat. In regno Hungariæ pro sacra religione tuendâ aheneum murum adversariorum conatibus se semper objecerat; & quamvis Helveticæ professionis homines inde quiritarent, dignissimum tamen zelosissimum hunc *Antistitem* reputo, qui talium hominum odium incurrerit. Est adhuc, quod illi in acceptis referat sancta *Mater* Ecclesia; nam *Mauritius Augustus*, quem modò ex Saxoniæ Principibus Neostadiensem nuncupant, ejus imprimis sedulissimâ curâ ad orthodoxa sacra transibat, & hoc cœli beneficium, per Eminentissimum patruum in se transfusum agnoscit. *An.* 1709. ex mandato Clementis *XI.* Romæ 17. *Augusti* emanante graviter detonuit in religiosos quoscunque & Clericos, qui rebellium in Hungariâ partibus, quocunque demum titulo aut prætextu adhærescebant, eos beneficiis quibuscunque, si in damnatâ hac rebellione insordescerent, privando, & incapaces ad qualiacunque ordinis aut Religionis ministeria obeunda declarando. Valuit ea comminatio prudenter adhibita, ut melior pars ad sacratiora castra transiret. *An.* 1712. Cæsaream aulam cum viginti octo nobilissimis Hungariæ proceribus accesserat, facundissima oratione, cujus in eo summa vis, Imperatori ab omnium hominum memoriâ maximo persuadens, ut ad regni Hungariæ insignia capessenda, Posonium quamproxime accedere vellet. *Ipsemet* postea sacrato Caroli vertici *An* 1712. 22. *Maii* regiam coronam imposuerat, quam gloriosiùs ante Carolum regum nemo multis retro sæculis gerere visus; utpote cujus dominatus totam, quà latè patet, Hungariam complectitur. Discedens *Imperator* pretiosissimum annulum, cui extraordinariæ magnitudinis adamas includebatur, digito Eminentissimi Purpurati ipsemet inseruit, perpetuum *Austriaci* in eum affectus futurum monumentum. Postero anno *Augustissimam Imperatricem* eodem Hungariæ in solio Purpuratus *Antistes* collocaverat, gaudio sibi geminato, quod nobilissimum par conjugum, quale ipsemet felici hymenæo conjunxerat, ex se veluti regnans in Hungariæ solio videret. Remansit tunc & aliud *Austriacæ* pietatis Symbolum Strigonii; nam regales vestes, quibus regium par in solemni coronatione quam splendissimè induebatur, Principali Ecclesiæ Strigoniensi, cui à sancto *Martino* nomen, piissimâ munificentiâ consignabantur; Quæ regia donatio hoc insigni & aureis filis expresso chronologico denotabatur: CaroLVs seXtVs IMperator aVgVstVs, hIspano CathoLICVs, aC VngarIæ apostoLICVs reX. a Vestes sVas regaLes VngarICas, qVIbVs oCCasIone CoronatIonIs In CIVItate PosonIensI peraCtæ InDVCebatVr, pro eCCLesIastICo ornatV benIgne ContVLIt &c. &c. Digna plane *Austriaca* hæc pietas est, quam Divus *Martinus*, hic pauper & modicus, sed coelum dives ingressus multiplici fœnore rependat. Enimvero Eminentissimus Purpuratus, ut Augustissimæ domui Masculum hæredem impetraret, publicas preces alta voce ipsemet præibat; & licet anxia vota cœlum hucusque suspenderit, attamen sperare licet, futuro anno illud Lucæ c. 1 explendum. Et eCCe ELIsabeth Cognata tVa & Ipsa ConCepIt fILIVM In seneCtVte sVa. *Anno* 1716. Eminentissimus Purpuratus ad Comitia Ratisbonensia *Cæsaris* Plenipotentiarius ablegatus est. Qualem se in eâ legatione gesserit, publica *Imperii* monumenta vel me tacente satis eloquuntur; nam blanda oris suavitate, concinno decôre, atque in omnium amores se insinuante benevolentiâ tantum effecit, ut aptissimum instrumentum visus sit, qui in illo discordantium sæpè opinionum Euripo, tranquillitatem conservaret, & grande Imperii corpus, tot membris diffusum, desideratissimæ unitatis compage conglutinaret, dignissimus, cui per meliorem valetudinem liceat, turgidam tot meritis ætatem in Nestoreos annos extendere.

No.





CAROLUS AUGUSTIN9 S.R.E. PRESBY-
TER CARDINALIS FABRON9 PISTORIENS.
CREATUS DIE XVII. MAY MDCCVI.

Iohann Christoph Kolb excud. A. V.
Cum Gratia et Priv. Sacr. Caes. Maj.

18.


No. XVIII.


CAROLUS AUGUSTINUS FABRONUS PISTORIENSIS.

Carolus Augustinus tit. S. Augustini Cardinalis Fabronus Pistoriensis natus est An. 1651. 18. Augusti Pistoriæ in Hetruriâ, quæ urbs inter elegantissimas totius Italiæ numeratur, ab Italis linguâ vernaculâ *Pistoia la benè Stratta* nuncupata. Ad ejus mœnia ex veterum monumentis Catilinam, famosissimum illud per malè facta nomen, quem Ciceroniana facundia ex urbe Romana ejecerat, penitus debellatum fuisse constat. Felicem enimvero Pistoriam! quæ noctis, quæ pene ultima Romanæ Reipublicæ luxit, tenebras discussit: quæ decantatissimum illum Ciceronis Mastygem, Stygi transmisit: quæ putrida reipublicæ membra, nobilissimum corpus aliàs infectura, uno veluti ictu amputavit. Verùm hæc ipsa urbs se multò magis inde nobilitatam sentit, quòd complures viros progenuerit, quibus Succollantibus orbis Romanus stetit: qui, si non cruore & gladio, atramento certè & calamo rem Romanam egregiè tuebantur: quibus Catilina fuit, quisquis temerario ausu in Christiana Sacra insurgeret, aut luctuosam errorum sementem regnis immitteret. Quos inter laudatos, principem facilè locum obtinet Clemens IX. Pontifex Maximus, homo Pistorius, ante suam in summum orbis caput electionem Julius Rospigliosus dictus, qui pro tribus illis, quibus Universalem Ecclesiam rexerat annis, totidem sydera longè illustrissima, astris dicam an orbi dedit. Cùm videlicet Divam Rosam Peruanam Ordinis S. Dominici, Petrum de Alcantarâ Hispanum Minoritam, & Magdalenam de Pazzis virginem Carmelitanam Florentinam Sanctorum fastis inferret. Is ipse Angelus pacis futurus, pacem inter potentissimos Europæ principes, Galliarum & Hispaniarum reges Aquisgrani restituit, ut laboranti Cretæ conjunctis Christianorum viribus succurri posset; licèt potentissima illa Saguntus tunc quidem perierit, cùm nostri consultarent, aut non nisi modicis, & plerumque tardis auxiliis, nec animis benè cohærentibus, ad communem opem ferendam accederent. Ea videlicet Christianorum principum vel sanguineis lachrymis deploranda insania non nunquam existit, ut malint pro modica terræ portiuncula civilem sanguinem & domesticas cædes miscere, quàm communem hostem, suis pene jugulis incubantem, fortibus armis retundere. Longè dispar fuerat Clementis & laudabilissimorum ejus antecessorum cura, qui pro solâ Cretâ servandâ pene Gazam pontificiam exhauserant; hi vos, quicunque estis, Christiani principes coram magno illo tribunali appellabunt, si quidem segniùs ad commune incendium restinquendum accurristis; aut quod turpius est, arma, manus, consilia immanissimo Orientis tyranno aliquando jungere non erubuistis. Certè tam altus dolor ob Cretam amissam Clementis IX. Christianissimum pectus penetraverat, ut tam tristi nuntio paulo post intermoreretur. Eadem tristissima sors obtigerat Vincentio Rospigliosо Pistorio, Clementis IX. ex Fratre Camillo nepoti, qui Pontificiarum triremium archithalassus, in dictæ Cretæ auxilium mittebatur. Sed cùm grandis illa expeditio fructu careret, tanto infortunio supervivere non sustinuit, brevi postea ex animi ægritudine, inde conceptâ denatus. Eadem Pistoria (ut ejus urbis felicitatem prosequar) fœcundissimo suo sinu effuderat Jacobum itidem Rospigliosum, qui in Salamanticensi Academiâ in omnibus liberalibus scientiis egregiè institutus, mirâ ingenii felicitate ad invidiam usque eluxerat: qui Parisios ad Ludovicum XIV. Galliarum regem An. 1667. missus prima pacis illius semina jecerat, quæ anno post insecuto inter utrumque regem Galliarum & Hispanniarum inita est. Inde non minùs prodiit Felix Rospigliosus, dignissimus, quem Clemens IX. Felicis patruus in Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem maturatò assumeret; cùm tamen Sanctissimus Pater, ne eum honorem carni & sanguini tribuere videretur, meritissimum nepotem, quoad vivebat, præteriret, ejus Successor Clemens X. ne sua tam candidæ virtutis alumno deessent prœmia, ad Purpuram Felicem An. 1673. demum vocavit, cui gloriosius erat, priùs summo eo apice dignum judicatum fuisse, quàm quidem eò provectus fuerit.

Demum labente hoc sæculo Pistoria iterum duobus apud se genitis præclarissimis viris splendidissimam purpuram texuit, videlicet Eminentissimo nostro Purpurato Carolo Augustino Fabrono, de quo hic post præclarissimos gentiles suos sermo; præter Joannem Baptistam Ptolomæum Societatis Jesu, cujus præclara gesta suo loco referemus. Eminentissimus equidem Fabronus per summæ sapientiæ suæ suffragium in id dignitatis unicè ascendit; adeò ut fortunæ, aut nascendi sorti parùm, aut nihil, eximiis suis meritis omnia debeat. Ecclesiasticas disciplinas sublimiores tam altè imbibit, ut exhausisse Sacros Codices videatur: prudentia ea in ipso elucescit, ut illâ veluti sequestrâ, optimam denique partem nunquam non eligat: humanitas in eo summa est, quibus cunctorum erga se affectus mirè attrahit: Religionis studio tantùm excellit, quantum ipse ceteris omnibus: eâ denique in gravissimis quibusve negotiis exantlandis solertiâ semper fuit, ut opus aggressum esse, & ultimam eidem coronidem imposuisse, unius instar in eo nunquam non habitum fuerit; Hinc cùm Innocentius XII. grande quidpiam in eo suspicatus fuisset, aliis post alia officiis exercitum, utriusque signaturæ Referendarium, munere in doctissimum quemvis cadente, agere jubebat; quô Sacræ signaturæ Officio ipse pariter prorsus insignis omnium commendatione efficiebatur. Postea Congregationis de propaganda fide Secretarius factus, tum demum religiosissimas manus lubentissimè admovit, cùm de sacro religionis cultu ad amussim observando, mandata expedienda essent; quæ plerumque, hoc confectore, tanta celeritate per utrumque orbem volitabant, ut liquido dignosceres, eum videlicet plumis usum fuisse, quibus ceu velis auligantibus in remotissimas oras remigaret. An. 1697. Russorum aliquot primi nominis dynastas opiparam suis in ædibus excepit; videlicet longè dissitis gentibus exhibiturus, humanitatem erga peregrinos in principe orbis urbe, humanitatis sede, neminem nunquam desideraturum. An. 1704. in Jansenismum, è Belgio penitus eliminandum totus incubuit, non passurus ullas è maligno hoc incendio scintillas in altiores flammas erumpere; & pro summâ suâ sapientiâ probè gnarus, hæresin ex erebi castris militem quemdam esse, cui si in principio obstes, facilè excludas; sed intra munimenta receptum difficulter ejicias. Erat is Jansenius hujus corruptelæ author *An.* 1585. Lerdami in Hollandiâ natus, patriam nactus, hæreseos postea receptatricem: Fabri filius erat, suæ faber fortunæ pessimus. Vltrajecti Sacræ Theologiæ vacaverat, ipse postea, cùm nimium sibi sapere videretur, ultra rejiciendus. *Apud P. P.* Societatis Ecclesiasticis disciplinis imbuebatur, albi ovi corvus pessimus. *A* Philippo *II.* Hispaniarum rege *An.* 1635 Yprarum Episcopus denominabatur, felicior futurus, si in privata sorte consenuisset, nec in publicam perniciem pessima ejus dogmata unquam erupissent; quæ certè ab Eminentissimo Cardinali *A*ugustino Fabrono egregiè semper vapulârunt. Credo *A*ugustinus hic noster Divum illum *A*ugustinum â summâ injuriâ vindicare voluerit, cui suum de gratiâ tractatum Jansenius perperam inscripsit. Ecce Catilinam illum! quem Eminentissimus noster Fabronus, homo Pistorius, sibi oppugnandum unicè duxit, Ciceronianâ in eum veluti è rostris facundiâ perorans, & infelices segetes relictas penitus evellens *An.* 1706. 17. Maij â Clemente *XI.* hoc Ecclesiæ decus & ornamentum in purpuræ honorem advocabatur; Dux idem post pia veluti militiæ rudimenta adversus novatorum quorumcunque noxia dogmata proterenda futurus. *S*tatim patentem campum cum novo hoste viriliter congregiendi nactus erat; nam Quesnello insipida sua dogmata per Galliam periculosa novitate disseminante, telæ pessimè cœptæ filum ipse ocvus abrumpere connitebatur. Planè cùm Clemens XI. *An.* 1715. in Quesnelli testamentum novum, & plusquam novum detonaret, Religiosissimus hic antistes in gravissima hac causâ cum gentili suo Eminentissimo Purpurato Joanne Baptista *P*tolomæo egregiè suam zelosissimo *P*ontifici operam locârat, dignissimus, qui gloriosissimus in arenâ pugil coronam gloriæ referat. Eodem an. Clemens *XI.* iisdem Eminentissimis Purpuratis Fabrono & *P*tolomæo comitantibus, ad Scholam, quam vocant, sapientiæ pervenit. Trinum perfectum ad suum Palladium delatum sacratioris illius Collegii Professores tunc quidem credebant; redierant illi, postquam decantatissimam illius Palladii Bibliothecam accuratè inspexissent, ipsimet librorum imposterum futuri materia. Sub idem tempus Theses Theologicæ sub *A*uspiciis Eminentissimi nostri *P*urpurati Fabroni apud R. R. *P. P.* Dominicanos, quos is singulari affectu utpote sapientiæ magistros nunquam non complexus est, defendendæ proponebantur, ipso Eminentissimo Purpurato, subtilissimo argumento in medium allato, in sui admirationem præsentium quemvis convertente. *An.* 1721. Innocentius XIII. neoelectus Pontifex ejus honoribus dedit, ut ad Ecclesiam S. *A*ugustini, Eminentissimi *P*urpurati curæ commissam, eo comitante sese conferret. Tunc quidem summus Pontifex *C*lericos Regulares *A*ugustinianos illius Ecclesiæ ad sacrum pedum osculum Clementissimè admisit, commendatósque ab Eminentissimo *P*urpurato suæ certos gratiæ perpetuo voluit. Enimvero sacri hujus Ordinis *P*rotectorem Eminentissimus Purpuratus eò proniùs agit, quòd hos sapientiæ alumnos doctissimus ipsemet non possit non intra gratiæ suæ sacrarium admittere. Eodem an. tertia die Septembris res mira contigit, unde cœli in Fabronum curam dignoscere liceat; nam subito coorta horribilis tempestas, complura hinc inde fulmina, Româ trepidante, excusserat. Unum Ecclesiæ Lateranensi supercecidit; quam tamen lambere potiùs quàm penetrare visum, ultra minas non sævijt: alterum in instructissimum conclave Eminentissimi *P*urpurati vi validâ impingebatur; ut tamen lauriferum hoc caput, seu sapientiæ *A*pollinem fulmineus ignis tangeret, provida cœli cura, in cujus manibus sortes nostræ sunt positæ, neutiquam permisit. Sic dum tristis *A*tropos elapso anno pretiosum vitæ filium abrumpere tentabat, Æsculapius inventus est, qui *P*rincipem Christianæ Reipublicæ necessitatibus percommodum servaret; quandoquidem in nostro Orbe errorum hydras fortiter debellat; in altero *Indicæ* Congregationis Præfectus, dilatato Christi dominatu, idola subvertit.

No.





PETRVS S.R.E. DIACONVS CARDINALIS
PRIOLVS VENETVS
CREATVS DIE XVII. MAIJ MDCCVI.

[redacted] Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Gratia et Priv. Sac. Caes. Maj.

No. XIX.
PETRUS PRIOLUS VENETUS.

PEtrus titulo S. Marci Cardinalis Priolus Venetus Episcopus Bergamensis natus est An. 1650. 15. Septembris ex illustrissima Venetos inter Priolorum familiâ, quæ togâ ságóque clarissimos viros orbi dedit. Illustrissima hæc familia originem ex Hungariâ trahit, quam patriam sedem, perpetuis jactatam bellorum injuriis, tutioribus Venetiarum insulis, utpote adversus qualiumcunque hostium vim egregiè communitis, commutaverat. Satis constat, Priolos jamdum anno â partu Virgineo millesimo nonagesimo septimo Venetæ nobilitatis albo inscriptos fuisse; hinc per complures annorum myriades antiquissima Priolorum stirps maximis incrementis apud nobilissimam gentem invaluit; immò majoribus in dies factis, non interrupta rerum benè agendarum serie inclarescit. Ex hac Priolorum familia ad ducale fastigium tres evectos constat, quorum felicissimo regimine effectum, ut in summis amoribus Priolorum nomen Venetiis hodiedum maneat. Primus ex iis, cui ea ducalis dignitas obtigit, Laurentius Priolus erat, cujus honoribus â Serenissima Republicâ dabatur, ut lectissima ejus conjux Iulia, ex Dandalorum illustrissima stirpe, orbis, ut ajunt, imperio ob eximias dotes digna (nam cunctas ferme linguas, quas Oriens & Occidens discretissimas callet, cum summa venustate loquebatur) in ducale unà solium reponeretur. Idem Laurentius summopere allaboraverat, ut Imperatorem Ferdinandum II Paulo III. Pontifici Maximo conciliaret; nam Sanctissimus Pater ægerrimè ferebat, quòd Imperator Ferdinandus An. 1552. tractatibus Passauiensibus subscripsisset, in quibus Protestantibus per Germaniam cavebatur, ne religionis causâ quidpiam molestiæ iis crearetur, dum imperialibus comitiis pax firmaretur, & religionis disidia æquâ demum lege componerentur. Quamvis Ferdinandus etiam cum lachrymis eas leges, quas bellorum dura sors extorserat, consignâsset, religiosissimus tamen Pontifex eam rem seriò improbabat, quasi Imperator nimium authoritatis sibi assumendo, in tam ardua causâ, cujus judicatura ad solam Romanam Curiam pertineret, falcem in alienam messem immisisset. Post excessum Laurentii Prioli in eodem fastigio Hieronymus Priolus, frater fratri raro apud Venetos exemplo successerat; videlicet optimè se facturos crediderant, si quos egregia indoles virtutibus æquasset, dignitatis etiam prærogativâ geminos redderent. Hieronymi regimine Venetiæ vel inde ut plurimùm nobilitatas se sensere, quòd Paulus IV, Pontifex Maximus eo tempore Venetæ Reipublicæ legatis insignem prærogativam *della sala regia*, ut vocant, concesserit, vi cujus iis plane honoribus in aulâ Romanâ imposterum exciperentur, quibus coronatorum capitum primi nominis legati excipi solerent. Tertius ex Priolis, qui ad reipublicæ gubernaculum, patriis virtutibus regendum adsciscebatur, Antonius fuerat, qui tantus in civium amoribus erat, ut ab eo solo regi votis ardentissimis desiderarent; quorum etiam intensissimis desideriis per patritiorum suffragia ob eximias Antonii dotes facilè satisfactum. Eo ad regimen vixdum admoto, horrenda conspiratio adversus rempublicam erumpebat, quæ tunc quidem in acie, ut ajunt, novaculæ posita erat. Conspirantium adversus patriam consilia eò tendebant, ut instructissimum armamentarium, flammis admotis in auras evibraretur, patritiorum nobilissimus quisq; crudeliter enecaretur, urbs splendidissima in eo rerum tumultu diriperetur; demum ut Hispani, urbem penitus subjugaturi, intra portas admitterentur. Ea fuit Antonii Prioli felicitas, ut immanem hanc tempestatem, gravissima calamitate in rempublicam detonituram, solertissimâ vigilantiâ discuteret, quo solo nomine Priolorum nomen, gratâ, neque unquam intermoriturâ memoriâ Venetis, pene ex faucibus mortis ereptis, sanctum perpetuò erit. Nec tamen intra solos hos Duces stiterat sacratum Priolorum nomen. Est, cur Benjaminum Priolum commemorem, omnium scientiarum apicem, qui sæculi sui prodigium visus, mera sapientiæ oracula fundebat, qui denique plures ferme linguas callebat, quàm multi alii enu-


merâ-

merârint. In Galliâ degebat, quò proavus ejus Antonius, patriâ sede mutatâ, transmigrârat; sive eum Galliarum regni amœnissimus genius, sive liberior vivendi ratio (nam Calvinismum tristi temporum vertigine abreptus profitebatur) eò illexerit. Sed culpam parentum melior soboles corrigebat. Venerat ad pacem Monasteriensem cum legatione Gallica Benjaminus hic Priolus, quò pacis pertractandæ difficultas selectissima undequaque ingenia advocârat. Ibi occasionem nanciscebatur cum Pontificio nuntio Chisio, cui se suavissimis moribus commendabat. frequentibus sermonibus coeundi; & cùm *Chisius* præter hæresin in homine nihil execraretur, ut eam quoque spinam ex ejus animo evelleret, summopere allaborabat. Fortibus arietibus concussus murus, jam tunc saniori doctrinæ propiorem aditum promittebat; discessum tamen tunc equidem est, re non penitus confecta. Nec etiam in sua sobole ad meliores partes attrahendâ Venetiæ deerant; sed per Grimanum, suum in aulá Lutetiarum nuntium auream catenam tam insigni viro donum transmiserant; credo equidem, Gallicum illum Herculem (erat enim famosissimus belli dux, & Gallicarum copiarum in valle Tellina inclytus archistrategus) hâc aureà veluti coronà revincturæ; reponere tamen plerumque solebat, tunc se demum Catholicum futurum, cùm Chisium Roma summum *Pontificem* crearet. Rem acu tetigerat; nam Chisium Roma sedentem in solio Petri intuebatur, Alexandri VII. nomine assumpto; & ipse eodem planè tempore desuper illuminatus, Orthodoxam fidem amplexus erat, multum sibi gratulante *Alexandro Chisio*, quòd tantus vir, quo hæresis in Gallia dudum triumphabat, ad Ecclesiæ gremium rediisset; certè ceu suum *Jacobus* Benjaminum ad se venientem suavissimo affectu amplexus erat. Ejus etiam conversio efficacissimis Cardinalis Barberini hortatibus utplurimùm debebatur: quidni enim tam solidæ sapientiæ viris arietantibus sapientissimus ipsemet manus daret? suóque reditu inclytam Priolorum familiam, de Benjamino suo reperto immensis gaudiis exultantem, illâ qualicunque unius ex majoribus culpâ absolveret? Et absolverat luculenter; septenâ videlicet prole, eáque postea egregiâ, unà secum ad orthodoxa sacra traductâ. Filiorum natu maximum Colbertus regius quæsitor, famosissimum Gallicarum rationum nomen, ad suas ædes transtulit, ut in iis, ceu politicæ disciplinæ plantario magnus excresceret: natu minor *Martem* secutus, inter prætorianos regi charus habebatur: tres filias sanctius institutum monialium claustris addixerat: duæ, cæque virtutibus non minus conspicuæ in reginæ Gynecæo educabantur; adeóque septenâ prole Deo reddita felicem dicas, immò *Felicitatem* ipsam Benjaminum Priolum. Quid jam de tot, tantisque S. R. E. Cardinalibus ex illustrissimâ *Priolorum* familiâ commemorem? Ex quibus Laurentius *Priolus* legationibus cum summâ laude ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum, *Philippum* II. regem Hispanniarum, Henricum II. regem Galliarum, & Franciscum Hetruriæ Ducem obitis, vel solus Priolorum nomen immortale posteris reddidit; cujus eximia merita remuneraturus Clemens VIII. sacram Purpuram *An.* 1596. in eum transtulit. Mathæus *Priolus* id patriis legibus dabat, ut Ecclesiâ Bergomensi ultro se abdicaret, ne Serenissimo parenti sua dignitas obstaret, in Venetorum Ducem assumpto. Hinc Gregorius XV. ne insignis viri vacua abirent merita, eum ad Purpuræ honorem vocavit An. 1622. *Aloysius Priolus* eo Sacræ *Purpuræ* honestamento à Clemente *XI.* 18. Maii Ann. 1712. condecoratum se vidit, quam tamen mors triennio post in pullum converterat, meritissimum de Christianâ Republicâ virum, & longiores spes de ipso conceptas unà in tumulum præcipitandò An. 1715. 15. *Martii*. Omissis S. Marci Procuratoribus *Joanne* Priolo *An.* 1453. *Petro Priolo* An. 1482. Francisco *Priolo An.* 1522. Ludovico Priolo *An* 1524. Antonio *Priolo* An. 1528. Nicolao Priolo *A.* 1545. Hieronymo Priolo *A.* 1557. Ludovico Priolo *A.* 1570. *Joanne* Francisco Priolo *A.* 1582. &c. &c. gradum faciam oportet ad Eminentissimum nostrum Purpuratum Petrum Priolum, in quem hæc majorum suorum decora ita transfusa videmus ut tamen de suo plurimum addiderit. *Antequam Sacrâ Purpurâ* condecoraretur, Venetæ Reipublicæ nomine *Auditorem* in Rotâ Romanâ agebat eâ sui commendatione, ut Sacræ Themidi, jus suum cuilibet tribuendo, ad assem satisfacere videretur. *Inde* in *Clericum* Cameræ *Apostolicæ* assumptus, *Purpuratorum* fastigio propiùs admovebatur. Denique *Clemens* XI. *An.* 1706. 17. *Maii* tot suis meritis commendatum, sacro Purpuratorum Collegio annumeratum voluit. Cùm Sanctissimus Pater eum promulgaret, iis verbis usus est: *Declaramus etiam Cardinalem Petrum Priolum Cameræ nostræ Apostolicæ Clericum, ac felicis recordationis Alexandri P. P. VIII. Prædecessoris nostri pronepotem, cujus memoriæ notum omnibus est, quantum debeamus.* Videlicet Clemens XI. vir ob incomparabilia merita dignissimus, qui in omnium animis gratâ memoriâ perpetuò vivat, è Scholâ *Alexandri* VIII. prodierat. Prædictus *Alexander*, antequam sacrum solium scanderet, Petrus Ottobonus nuncupabatur, & tanto in Joannem Franciscum *Albanum* (postea Clementem XI.) amoris affectu tenebatur, ut eum suas in ædes translatum vellet; posteaquam cathedram *Petri* ascendisset, Albanum post obitum doctissimi *Cardinalis* Slusii in Secretarium Brevium Apostolicorum creavit; quandoquidem linguam latinam nemo eò elegantiùs loquebatur. Et erat tunc *Albanus* triginta annorum; & jam tunc in illo virilium annorum exortu plenum in meridie solem orbi exhibebat. *Postea* idem *Alexander* virum incomparabilem *An.* 1690. 13. Februarii Purpuratorum *Collegio* associavit, suum in *Pontificatu* Successorem, Innocentio XII. intermedio, futurum. Ergo Sanctissimus Pater Clemens XI. beneficia in se *Alexandri* VIII. altâ mente repôsta conservans, ea sibi in dignissimo ejus nepote Petro Priolo aliquantùm compensanda ducebat; quem ceu suum in amoribus, quoad vixit, habuit. *Cùm* Eminentissimus hic Purpuratus An. 1708. ad Episcopatum *Bergomensem* â Serenissimâ Venetorum Republica evocaretur, tantùm dilecti Clientis desideriis summus Pontifex facilè dedit, ut suis eum manibus in Episcopum consecraret. *An.* 1715. ejus domum tristis casus afflixerat; nam Comes *Mantova*, ejus â stabulis præfectus, cùm in ædibus Principis Columnæ festivi lusus celebrarentur, ex alto suggestu deciderat, biduo postea non modico Eminentissimi luctu extinctus. *An.* 1720. Eminentissimus hic Purpuratus Cardinali Badœo morienti adstitit; nec ante discessit, quàm ille mortales exuvias deponeret. Eodem anno Romam advolabat, sanctissimum *Patrem*, cujus sacro pectori medullitus inhærebat, veluti ultimum visurus. Tunc etiam Titularis suæ Ecclesiæ S. Marci in urbe Romana possessionem capiebat, hunc suæ Reipublicæ Tutelarem Sanctum toto pectore nunquam non complexus. *In* eâdem Ecclesia Rottam Venetum in Episcopum Bellunensem consecrabat. *Ad* publicam *Audientiam* â sanctissimo *Patre* advocatus, octo curribus, magnifico comitatu, ac Veneto splendore Quirinale ingressus est, suavissimi amoris basiis exceptus; redux factus, Pontificis *jussu* lautis omnis generis cupediis condonabatur. Huic liberalitati & Pontificiæ in se benevolentiæ larga donaria, ab Eminentissimo Purpurato in famulitium *Pontificis* congesta respondebant. *Clemente* XI. è vivis elato, idem gratiæ aditus apud *Innocentium* XIII. meritissimo Principi patebat. Nec minus *Benedictus* XIII. hominem Venetum intimo amore complectitur, probè memor, eâ in urbe prima suæ fundamina magnitudinis posita; cui plùs quàm patriæ debeat, cùm cœlis vivere, sacrâ Religione hic assumptâ, noviter cœperit. *Plane* paterno dignissimum affectu Eminentissimum Priolum judicat; utpote quem Religione summum Bergomum deprædicat, in forensibus negotiis exercitatissimum Roma experta est, ingenuæ Nobilitatis dotibus præclarum Venetiæ loquuntur.

No.

merârint. In Galliâ degebat, quò proavus ejus Antonius, patriâ sede mutatâ, transmigrârat; sive eum Galliarum regni amœnissimus genius, sive liberior vivendi ratio (nam Calvinismum tristi temporum vertigine abreptus profitebatur) eò illexerit. Sed culpam parentum melior soboles corrigebat. Venerat ad pacem Monasteriensem cum legatione Gallica Benjaminus hic Priolus, quò pacis pertractandæ difficultas selectissima undequaque ingenia advocârat. Ibi occasionem nanciscebatur cum Pontificio nuntio Chisio, cui se suavissimis moribus commendabat. frequentibus sermonibus coeundi; & cùm *Chisius* præter hæresin in homine nihil execraretur, ut eam quoque spinam ex ejus animo evelleret, summopere allaborabat. Fortibus arietibus concussus murus, jam tunc saniori doctrinæ propiorem aditum promittebat; discessum tamen tunc equidem est, re non penitus confecta. Nec etiam in sua sobole ad meliores partes attrahendâ Venetiæ deerant; sed per Grimanum, suum in aulâ Lutetiarum nuntium auream catenam tam insigni viro donum transmiserant; credo equidem, Gallicum illum Herculem (erat enim famosissimus belli dux, & Gallicarum copiarum in valle Tellina inclytus archistrategus) hâc aureâ veluti coronâ revincturæ; reponere tamen plerumque solebat, tunc se demum Catholicum futurum, cùm Chisium Roma summum *P*ontificem crearet. Rem acu tetigerat; nam Chisium Roma sedentem in solio Petri intuebatur, Alexandri VII. nomine assumpto; & ipse eodem planè tempore desuper illuminatus, Orthodoxam fidem amplexus erat, multum sibi gratulante *A*lexandro *C*hisio, quòd tantus vir, quo hæresis in Gallia dudum triumphabat, ad Ecclesiæ gremium rediisset; certè ceu suum *J*acobus Benjaminum ad se venientem suavissimo affectu amplexus erat. Ejus etiam conversio efficacissimis Cardinalis Barberini hortatibus utplurimùm debebatur: quidni enim tam solidæ sapientiæ viris arietantibus sapientissimus ipsemet manus daret? suóque reditu inclytam Priolorum familiam, de Benjamino suo reperto immensis gaudiis exultantem, illâ qualicunque unius ex majoribus culpâ absolveret? Et absolverat luculenter; septenâ videlicet prole, eáque postea egregiâ, unà secum ad orthodoxa sacra traductâ. Filiorum natu maximum Colbertus regius quæsitor, famosissimum Gallicarum rationum nomen, ad suas ædes transtulit, ut in iis, ceu politicæ disciplinæ plantario magnus excresceret: natu minor *M*artem secutus, inter prætorianos regi charus habebatur: tres filias sanctius institutum monialium claustris addixerat: duæ, cæque virtutibus non minus conspicuæ in reginæ Gynecæo educabantur; adeóque septenâ prole Deo reddita felicem dicas, immò *Felicitatem* ipsam Benjaminum Priolum. Quid jam de tot, tantisque S. R. E. Cardinalibus ex illustrissimâ Priolorum familiâ commemorem? Ex quibus Laurentius Priolus legationibus cum summâ laude ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum, Philippum II. regem Hispanniarum, Henricum II. regem Galliarum, & Franciscum Hetruriæ Ducem obitis, vel solus Priolorum nomen immortale posteris reddidit; cujus eximia merita remuneraturus Clemens VIII. sacram Purpuram *An.* 1596. in eum transtulit. Mathæus Priolus id patriis legibus dabat, ut Ecclesiâ Bergomensi ultro se abdicaret, ne Serenissimo parenti sua dignitas obstaret, in Venetorum Ducem assumpto. Hinc Gregorius XV. ne insignis viri vacua abirent merita, eum ad Purpuræ honorem vocavit An. 1622. *A*loysius Priolus eo Sacræ Purpuræ honestamento â Clemente *XI.* 18. Maii Ann. 1712. condecoratum se vidit, quam tamen mors triennio post in pullum converterat, meritissimum de Christianâ Republicâ virum, & longiores spes de ipso conceptas unà in tumulum præcipitando An. 1715. 15. *M*artii. Omissis S. Marci Procuratoribus *J*oanne Priolo *An.* 1453. Petro Priolo An. 1482. Francisco Priolo *An.* 1522. Ludovico Priolo *An* 1524. Antonio Priolo An. 1528. Nicolao Priolo *A.* 1545. Hieronymo Priolo *A.* 1557. Ludovico Priolo *A.* 1570. *J*oanne Francisco Priolo *A.* 1582. &c. &c. gradum faciam oportet ad Eminentissimum nostrum Purpuratum Petrum Priolum, in quem hæc majorum suorum decora ita transfusa videmus ut tamen de suo plurimum addiderit. *A*ntequam Sacrâ Purpurâ condecoraretur, Venetæ Reipublicæ nomine *A*uditorem in Rotâ Romanâ agebat eâ sui commendatione, ut Sacræ Themidi, jus suum cuilibet tribuendo, ad assem satisfacere videretur. *I*nde in *C*lericum Cameræ *A*postolicæ assumptus, Purpuratorum fastigio propiùs admovebatur. Denique *C*lemens XI. *An.* 1706. 17. *M*aii tot suis meritis commendatum, sacro Purpuratorum Collegio annumeratum voluit. Cùm Sanctissimus Pater eum promulgaret, iis verbis usus est: *Declaramus etiam Cardinalem Petrum Priolum Cameræ nostræ Apostolicæ Clericum, ac felicis recordationis Alexandri* P. P. *VIII. Prædecessoris nostri pronepotem, cujus memoriæ notum omnibus est, quantum debeamus.* Videlicet Clemens XI. vir ob incomparabilia merita dignissimus, qui in omnium animis gratâ memoriâ perpetuò vivat, è Scholâ *A*lexandri VIII. prodierat. Prædictus *A*lexander, antequam sacrum solium scanderet, Petrus Ottobonus nuncupabatur, & tanto in Joannem Franciscum *A*lbanum (postea Clementem XI.) amoris affectu tenebatur, ut eum suas in ædes translatum vellet; posteaquam cathedram Petri ascendisset, Albanum post obitum doctissimi *C*ardinalis Slusii in Secretarium Brevium Apostolicorum creavit; quandoquidem linguam latinam nemo eò elegantiùs loquebatur. Et erat tunc *A*lbanus triginta annorum; & jam tunc in illo virilium annorum exortu plenum in meridie solem orbi exhibebat. *P*ostea idem *A*lexander virum incomparabilem *An.* 1690. 13. Februarii Purpuratorum *C*ollegio associavit, suum in *P*ontificatu Successorem, Innocentio XII. intermedio, futurum. Ergo Sanctissimus Pater Clemens XI. beneficia in se *A*lexandri VIII. altâ mente repôsta conservans, ea sibi in dignissimo ejus nepote Petro Priolo aliquantùm compensanda ducebat; quem ceu suum in amoribus, quoad vixit, habuit. *C*ùm Eminentissimus hic Purpuratus An. 1708. ad Episcopatum Bergomensem â Serenissimâ Venetorum Republica evocaretur, tantùm dilecti Clientis desideriis summus Pontifex facilè dedit, ut suis eum manibus in Episcopum consecraret. *An.* 1715. ejus domum tristis casus afflixerat; nam Comes *M*antova, ejus â stabulis præfectus, cùm in ædibus Principis Columnæ festivi lusus celebrarentur, ex alto suggestu deciderat, biduo postea non modico Eminentissimi luctu extinctus. *An.* 1720. Eminentissimus hic Purpuratus Cardinali Badœo morienti adstitit; nec ante discessit, quàm ille mortales exuvias deponeret. Eodem anno Romam advolabat, sanctissimum *P*atrem, cujus sacro pectori medullitus inhærebat, veluti ultimum visurus. Tunc etiam Titularis suæ Ecclesiæ S. Marci in urbe Romana possessionem capiebat, hunc suæ Reipublicæ Tutelarem Sanctum toto pectore nunquam non complexus. *I*n eâdem Ecclesia Rottam Venetum in Episcopum Bellunensem consecrabat. *A*d publicam *A*udientiam â sanctissimo *P*atre advocatus, octo curribus, magnifico comitatu, ac Veneto splendore Quirinale ingressus est, suavissimi amoris basiis exceptus; redux factus, Pontificis *j*ussu lautis omnis generis cupediis condonabatur. Huic liberalitati & Pontificiæ in se benevolentiæ larga donaria, ab Eminentissimo Purpurato in famulitium *P*ontificis congesta respondebant. *C*lemente XI. è vivis elato, idem gratiæ aditus apud *I*nnocentium XIII. meritissimo Principi patebat. Nec minus *Benedictus* XIII. hominem Venetum intimo amore complectitur, probè memor, eâ in urbe prima suæ fundamina magnitudinis posita; cui plùs quàm patriæ debeat, cùm cœlis vivere, sacrâ Religione hic assumptâ, noviter cœperit. *Plane* paterno dignissimum affectu Eminentissimum Priolum judicat; utpote quem Religione summum Bergomum deprædicat, in forensibus negotiis exercitatissimum Roma experta est, ingenuæ Nobilitatis dotibus præclarum Venetiæ loquuntur.

No.





VLYSSES IOSEPH S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS GOZZADINVS BONONIENSIS
CREATVS DIE XV. APRILIS MDCCIX.

[redacted] *Ioh. Christ. Kolb exc.*

Cum Gratia et Priv. Sac. Caes. Maj.

No. XX.

ULYSSES JOSEPHUS CARDINALIS GOZZADINUS.

ULysses Josepus tit. S. Crucis in Jerusalem Cardinalis Gozzadinus Bononiensis, Episcopus Imolensis natus est Bononiæ 10. Octobris An. 1650. Is ex nobilissima Gozzadinorum familiâ gentilitias virtutes, ex Bononiâ doctorum patriâ sapientiam prorsus admirandam hausit. Hoc gemino virtutis æquè, ac sapientiæ remigio in altissimum gloriæ Oceanum maximus hic Ulysses provehebatur; nam in facultatibus Philosophicis æquè ac juridicis, tum etiam Theologicis tam admirandos progressus fecerat, ut pene neminem in urbe, orbis etiam doctissimâ, ante se relinqueret. Latinè castissimè loquitur. Ore nunquam non oracula fundit. Calamo difficultates quascunque subtilissimè discutit; cùm vitæ inculpatæ tenor accedat, est, cur in aulâ Romanâ brevì inclaruerit; neque enim tantæ intelligentiæ lumen oculos Romanorum, utique non luscos diu latere potuit. Inprimis Innocentius XII. in solertissima hujus viri operâ multum spei reponebat, quem pene moriens Theodosiæ Archiepiscopum nominavit, ut ad majora ascensuro viam ocyus panderet. Sita est Theodosia (quam modo Jaffam nuncupant) in Taurico Chersoneso. Emporium est, totius Tartariæ facilè princeps, unde Constantinopolin usque variæ merces exportantur. Ea urbs à Machomete II. Christiani nominis flagello (nam captâ Constantinopoli Orientale Christianorum imperium extinxerat) Genuensibus A. 1475. extorta fuerat; jam Ponto Euxino latè dominatur, efficitque, ne Moscorum naves ex Tanai & Mæotide palude per Bosphorum Cimerium in mare nigrum infundantur, & terrorem latè ad Constantinopoleos usque mœnia spargant. Planè eo tempore, quo Azovium in Moscorum manibus erat, sola Caffa obstabat, ne Bosphoro Cimerio superato, Christianorum naves ante ipsa Constantinopoleos mœnia hostibus stupentibus sese videndas præberent; immò navium aliquot, eas angustias præterlapsæ, Constantinopolitanis in conspectum venêre. Christianorum eâ in urbe maxima multitudo est, qui tamen ignorantiæ suæ tenebris involuti fidem, antiquitùs tradditam, ni Superi providerant, planè dedidiscunt. Prospicit tamen, quantùm potest, Sacra Roma, Zelosos Missionarios in eas Orientales plagas in miserorum solamen alios post alios immittendo, ne tot innocentes animæ, in media Barbarie destitutæ, miserè pereant. Ex quadraginta supra unum templis, quas Turcæ, cœli provisu, Christianis indulgent, Arminii triginta & duo, Græci duodena, & ii, qui fidem Romano-Catholicam profitentur, non nisi unum possident; Pari modo ex quater mille ædibus, quibus urbs ampla constat, facilè octingentæ à Christianis inhabitantur. Et hos denique ceu suos, sub Turcarum sæva tyrannide gementes incolas Eminentissimus noster Purpuratus Gozzadinus Theodosiæ Archiepiscopus respicit, in hanc ille urbem oculos, mentémque advertit, inde Constantinopoleos mœnia quasi prospectat, tunc denique se felicissimum sensurus, si *Salutare Dei* in iis regionibus sibi conspicere detur. Sub Clemente XI. in aulâ Philippi V. regis Hispanniarum Apostolicum nuntium sedulissimo studio agebat; & inde revocatus (nam Sacræ Reipublicæ necessitates tantum virum sibi vindicabant) longum sui desiderium Ibericæ nationi reliquerat. Rex ipse, perhonorificis literis ad Clementem

N datis,

datis, ingenuè professus est, se sedi Pontificiæ eô etiam titulô magnoperè obstrictum teneri, quòd virum ad se allegâsset, qui suis, & totius nationis desideriis, utpote sapientiâ summus, unicè fecisset satis; & in quo nemo bonus quispiam reperiret, quod reprehenderet. Romam redux factus, brevium Apostolicorum, quæ ad principes scribuntur, Secretarius â Clemente denominatus est; & in maximè arduo munere, ac periculosissimis Sacræ Reipublicæ temporibus, quando inimicus Mars totam latè Italiam pervagabatur, animo tam probè composito suam ipse provinciam obibat, ut circumspectissimo Hyerarchæ, & cum eo Europæ Principibus universis undequaque satisfaceret; Pontificis in eum favor eò magis elucescebat, quando Eminentissimo Purpurato Pauluzio aliquantum absente, ejus in Secretariatus Statûs (ut vocant) munere vices gnaviter & cum laude obivit. Iis itaque insignem meritis Clemens XI. grandium ingeniorum fautor & remunerator eximius ad Purpuram dudum commeritam Ann. 1709. 15. Aprilis vocavit. Pontificis oratio, hunc novum Collegam Sacro Collegio proponentis, hujus tenoris fuit: Ad majorem Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ utilitatem & decus, Fraternitatum Vestrarum numero adscribere intendimus Venerabilem fratrem Josephum Ulyssem Gozzadinum, Archiepiscopum Theodosiæ, Brevium nostrorum, quæ ad Principes scribuntur, Secretarium, cujus virtutes longa jam familiari experientiâ nobis probatæ, vobis pariter satis prospectæ sunt. &c. &c. Sacro Collegio adlectus, mox Romam, ingenti bellorum metu concussam, sapientibus ipse consiliis adjuvit; nam cùm Germanus miles, nescio quas injurias prætexens, in Statum Pontificium infestus irrueret, Optimus Pontifex ingruens bellum non gladio, quem prudenter intra vaginam reconditam haberi voluit; sed solertissimo suorum consilio facilè discussit. Anno 1714. 16. Februarii â Clemente Legationi Romaniolæ præficiebatur, quæ jam per quadriennium vacaverat, Eminentissimo Purpurato Ruffo inde ad Legationem Ferrariæ revocato. Fuerat tunc Sanctissimus Pater in eô publicis præconiis condecorando, iterum totus; cujus ea verba, fatidico videlicet ore prolata excipiebantur: *Se de ejus fide, doctrinâ, prudentiâ, atque integritate plurimùm in Domino confidere.* Iis tunc coloribus Eminentissimus Purpuratus velut in tabulâ â gravissimo Censore Clemente, in suis ad unguem omnia exigente, depingebatur, multò felicior, cùm sic viva virtutum suarum imago omnium animis repræsentabatur, quàm si fragilis vultus, Appellæo etiam penicillo expressus, in posterorum quàm diutissimè conspectu exstaret; nam eximias has animi dotes nulla dies aufferet, nulla ætas corrodet, nullus livor diminutum ibit. Eodem anno 20. Augusti in publico Consistorio Apostolicæ sedis de Latere Legatus ad Elisabetham Parmensem, Regis Philippi V. Sponsam, ex Italia discessuram deputabatur, *ut nova Regina* (verba erant summi Pontificis) *in ditione Sacratæ sedi etiam quoad temporalia subjectâ, in quâ nata & educata fuisset, adhuc commoranti, Apostolicam Benedictionem deferret, Regale connubium gratularetur, nec non faustum ac prosperum in Hispanniam iter, aliáque omnia, cælesti accedente Benedictione, apprecaretur &c. &c.* Hanc sibi impositam provinciam gnaviter obiturus Eminentissimus Purpuratus, nihil operæ intermisit, ut Pontificiam Majestatem gentibus, maximo numero ad eam nuptiarum solemnitatem Parmam undequaque accurrentibus, faceret palam; Enimvero comitatu perquam numerosissimo urbem ingrediebatur, ipsemet equo vectus generoso, tantóque sessore superbo: â dextris Eminentissimum Purpuratum Aquavivam regiarum nuptiarum Procuratorem, â sinistris Parmæ ac Placentiæ Ducem Franciscum Farnesium habebat. Antonius Farnesius Germanus Ducis frater quàm proximè præibat. Aderant cum suo Episcopo Reverendissimi Capitulares, quos integer Clerus, & sacer Religiosorum cœtus longo agmine insequebatur. Nobilium Dynastarum ad festivam hanc pompam condecorandam tanta multitudo affluxerat, quantam ægrè integra urbs Parmensis, ampla licèt & splendida capiebat. Quamvis sub imenso pondere pene ædes fatiscerent, nullum tamen infortunium festivam diem obfusca-

obfuscavit. Umbellam, tanto Pontificis Legato destinatam, octoni nobilissimi proceres, gratissimum onus, sustinebant. Ubi ad Basilicam deventum est, hymnus Ambrosianus, tormentis undequaque reboantibus, decantatus est, tam concinna Musices suavitate, quantam quidem ab Italis exspectare possis, utpote palmam eo in genere aliis nationibus longè præripientibus. Inde in Ducis Palatium ad cœnam opiparè instructam itum, Eminentissimo Purpurato, quâ est humanitate, gratum supercilium ita undequaque dispensante, ùt nemo se neglectum, nemo præteritum sentiret. Biduo abhinc nuptiarum solemnia exquisitissimâ pompâ peragebantur; ubi quidquid in Hispania magnificum, aut in Italiâ decorum, quodam nationum certamine proferebatur. In medio pavimento ex adverso Sacræ Aræ magnificentissimum subsellium pro regia Conjuge, & Serenissimo ejus parente Parmæ ac Placentiæ Duce regis Hispaniarum pronubo elevabatur. Eminentissimi Legati subsellium â dextris erat, sublimiter exstructum. In opposito latere sinistro Eminentissimus Purpuratus Aquaviva, & pone illum Princeps Antonius Farnesius auro instratas sedes occupaverant. Princeps Mater Dorothea Sophia Palatina in odeo subito opere exstructo, & aureis tapetibus exornato, cum illustrium fœminarum Gynecæo spectatum stabat. Postquam ab Urbinatium Prolegato Ludovico Anguiscola Pontificium Diploma, quo dispensatio in quarto consanquinitatis gradu inter Neosponsos continebatur, altâ voce recitatum fuisset; nec minùs â Prolegato Ferrariensi Gerardo Giandemairio Procuratorium Philippi V. omnibus coram productum inspiceretur, Regia Sponsa â quatuor Episcopis ad Aram deducebatur, principe Parmensi, Philippi V. ut diximus pronubo, iisdem deducentibus, ponè insequente. Mox Eminentissimus Purpuratus Gozzadinus sacris nuptiis benedicebat; imensa, illa etiam die, multitudine hunc actum avidis oculis hauriente, ita ut planè dubium relinqueretur, an Hispana illa Pallas (nam sapientissimam & plurimarum linguarum Principem nemo nòn dignoscit) ad se videndam plures allexerit, aut Eminentissimus Purpuratus, qui toto denique incessu Apollo patuit, plures in se obverterit. Reducem factum Clemens XI. paterno affectu complexus est, & suo munere examussim defunctum, publico præconio condecoravit. Enimvero qualis, quantúsque Gozzadinus sit, inde dimetiaris licet, quòd post excessum Clementis XI. in primo scrutinio non paucis in eum Patrum suffragiis iretur; nec tamen vir cœlestis Angelum sibi præpositum indoluit: sed suo etiam suffragio Michaelem Angelum de Comitibus, virum meritissimum, in id fastigii unà reposuit. Inde ad suam Fori Cornelii Ecclesiam frequenter excurrebat, ut suas oves optimus pastor nunquam non præsens pasceret; & licet expertissimum Principem grandia in aulam Romanam negotia nunquam non revocant, ambidextrum tamen in omnibus agit, utpote qui unâ manu aras, alterâ forensia Sacræ Reipublicæ negotia, utrobique summus pertractat. Planè Eminentissimus hic Purpuratus Ulysses Josephus verè Ulysses est, cùm Ecclesiam sibi comissam, suam videlicet Penelopen arctissima charitate nunquam non complectatur. Ulysses est, cùm victor sui animus nullos fluctus, qui mundi pelago superincumbunt, reformidet. Ulysses est, qui fallàcia mundi illicia ceu auribus obduratis, Syrenum dolos facilè despiciat. Ulysses est, cum virtuosissimum ejus pectus nulla improba Circe vitiorum veneno in orbem latè dominans, unquam expugnârit. Ulysses est, qui feliciter enatato mundi pelago, gravidam imortalibus meritis navem, aliquando ad æternæ felicitatis portum, suam nempe Ithacam, fortunatissimo cursu appellet.

No.

No. XXI.

HANNIBAL ALBANUS URBINAS.

HAnnibal Albanus tit. S. Clementis Cardinalis Albanus Urbinas, sacri Romani Imperii Princeps, Camerarius Apostolicus, Archipresbyter Basilicæ Vaticanæ natus est Ann. 1682. 15. Augusti, die videlicet Divæ Virgini assumptæ sacra; ipsus etiam prorsus eximiis animi dotibus vix non in cœlos efferendus. Quantus ille in nostrâ Germania, quantus in Hyperboreâ Poloniâ, quantus suâ in Italiâ existit? Jactent veterum monumenta historiarum, tres aliquando Horatios Romanos cum tribus Curiatiis Albanis compositos, victoriam reportâsse; verùm ego audacter sententiam pronuntio, versâ modò in contrarium aleâ, per tres magni nominis Albanos, hoc equidem sæculo Romanæ felicitatem Reipublicæ stetisse; videlicet Clementem XI. Albanum, & tanto Hyerarchâ dignissimos Nepotes Hannibalem & Alexandrum Albanos, de quo utroque nostra etiam ut plurimùm congaudet Germania, utpote sacri Romani Imperii Principibus creatis. Quantus qualísque Clemens XI. Albanus fuerit, beneficiis edoctus rescit orbis. Alexandrum Albanum postea comemorabimus, qui optimis consiliis Sacram Rempublicam Romanam suffulciendo plus effecisse videtur, quàm Alter ille sui cognominis Alexander, integrum Asiaticum orbem debellando. In præsens Hannibalem Albanum describendum assumimus; non jam terrorem, qualis Punicus ille, Romanorum futurum; sed quem suam Italigemam, & coronam dicunt. Nam Princeps est, omni virtutum genere cumulatissimus, in quo nec invidia quidem reperiat, quod reprehendat. Si Sapientiam spectemus, argumentum confectum est, eum Italorum abstrusæ rerum intimarum cognitioni undequaque respondere. Si exercitatam forensibus negotiis solertiam; tot regum & principum aulas nostrâ hac ætate pauci obiverint, aut negotia, tot tricis impedita, exantlârint. Si dotes demum quascunque, viro Principe dignas, exigas, in eo viro compendium quoddam regiarum virtutum reperies, quas vel ipsa Roma Sanctitatis & Sapientiæ Magistra admiratur. Jamdum Anno 1702. luminis sui fulgore Romam illustraverat, tunc quidem Canonicatum in Basilica Divorum Apostolorum Petri & Pauli obtinendo, qui Divi jam ex tunc illum ad Sacram Purpuram, utpote suo sanguine longè illustriùs quàm Tyrio murice intinctam, evocare visi; forte aliquando (nam multa sunt reservata fatis) ad sumum apicem perventurum, quò eum eximia sapientia evocat, illustrissimus sanguis suffragatur, Clementis XI. suma in Ecclesiam merita comendant, hausta tot legationibus experientia dignissimum effecit, & Sacra Religio, cujus propagandæ miro nunquam non zelo exardescebat, rem conficiet. Jacobo II. Angliæ Rege è vivis sublato, suæ specimen facundiæ cum stupore Albanus edidit, cùm publica funebri oratione, elegantissimè concinnata, ejus Regis laudes complecteretur, qui cœlis transmissus Angliæ rex verè dici potest, & meretur. An. 1704. Sapientissimus hic doctæ Palladis alumnus Sacrosanctæ Theologiæ, nec non juris utriusque lauream, gratulante sibi de tam solidæ sapientiæ alumno Clemente XI. adeptus est; & ut in forensibus negotiis vivacissima indoles moxdum exercitaretur, in Protonotarium Apostolicum vir meritissimus adsciscebatur; quo in munere tam stupendos brevi progressus fecit, ut Clementem XI. Magnum, in Nepotibus, utpote sapientiæ prodigiis, futurum Maximum omnes



ANNIBAL ALBANUS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS ET CAMERARIUS URBINAS
ARCHIPRESBYTER BASILICÆ VATICANÆ
ET CONGREGATIONIS FABRICÆ PRÆFECTUS
CREATUS DIE XXIII. DECEMBRIS MDCCXI.

I. Christoph Kolb exc.

Cum Gratia et Priv. S.C.Maj.

21.

nes ominarentur: adeò ille à laboribus ferias ſib nunquam indixit, ſed graviſſimorum negotiorum molem etiam cum guſtu ſuſtinuit. Calcar addidit tum ingenitæ virtutis nobilitas, tum etiam Clementis XI. ſedula hortamenta, qui properè in Stadio currentem ſanctioribus ſtimulis magis magiſque in dies exagitabat, ut è ſua Scholâ prodeuntem Nepotem videret, qui arte & induſtria ſummus aliquando evaderet. Cùm ſum̃a viri prudentia arduis quibusve negotiis digerendis omnino maturuiſſet, viſum eſt Sapientiſſimo Pontifici, in exteras Principum aulas chariſſimum Nepotem dimittere, ut nata Italis Sapientia, longè diſſitis non minùs gentibus ſpectandam ſe exhiberet. Prima ei Provincia An. 1709. in aulâ Viennenſi obtigit, ut ubi caput eſſet rerum, ſuorum poneret rudimenta laborum. Enimvero ſplendidus hic ſol grato mox obtutu Aquilinis oculis ſe probabat; licet tunc ſub ignoto Schemate, & Comitis â Sancto Martino nomine aſſumpto, latere voluiſſet, cunctis tamen ocyus apparuit, qualis revera fuit, id eſt, â Religione & Sapientiâ vir com̃endatiſſimus. Soli indigi, quos, quaquaverſus incedebat, largis donariis refocillabat, Martinum ſenſere. Negotia, ab eo in Germania feliciter pertractata, tanti momenti erant, ut Sacra Reſpublica habeat, unde ſibi de tanto Viro gratuletur. In Aulâ Viennenſi apud Auguſtiſſimum Imperatorem Joſephum piiſſimæ memoriæ in id unicè intendebat, ut ne in Tractatibus Gertrudisbergenſibus, quæ ad ſopiendum graviſſimum Europæ bellum propediem inſtabant, quicquam concluderetur, quod ſacræ fidei & Eccleſiæ juribus contrarium eſſet: in id tunc Albanus nervos omnes intendebat, ne ſi res ſecus accideret, Eccleſia, prout jam ſæpiùs factum, iteratò ingemiſceret: *Ecc, in pace amaritudo mea amariſſima.* Antequam ad ſacram hanc Provinciam obeundam â Clemente XI. dimiſſus fuiſſet, Divo Sanctiſſimi Patris Oraculo ad Eminentiſſimos Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in Conſiſtorio Secreto An. 1709. 22. Julii habito hæc de Albano ſententia prolata eſt. *Hæc porro* (jura videlicet Pontificia) *nos ipſi iisdem Principibus, majori quâ poſſumus, animi contentione ſuaſuri, allegare decrevimus ad chariſſimos in Chriſto Filios noſtros Joſephum Romanorum Regem in Imperatorem electum, aliòsque Reges, nec non ad cæteros Principes, quibus fas erit, dilectum filium Annibalem, noſtrum ſecundum carnem ex Fratre Germano* (Horatius nuncupabatur) *nepotem, ac Cameræ Apoſtolicæ Præſidem, qui graviſſimum hoc negotium non tam apud illos, quàm aliàs, ubicunque opus fuerit, urgere valeat. Ibit igitur ipſe* (pergebat Sanctiſſimus) *non in curribus, neque in equis, ſed in Nomine Domini. Ibit Reipublicæ, Eccleſiæ, Religionis, adeòque noſtram, atque hujus ſacræ ſedis cauſam acturus. Ibit quocunque injunctum ſibi ejusmodi munus vocabit: ad ipſum etiam locum, in quo tractationes pacis habendæ erunt, profecturus, ſi, & quomodo hoc ipſum, & Apoſtolicæ ſedis dignitas pati, & Orthodoxæ fidei rationes, in quibus vera dignitas ſita eſt, poſtulare videbuntur. Ibit demum benè eductus Pontificium Regnum, ad inſtar Regni Chriſti, non aliud, quàm Crucis Regnum eſſe; minimè proinde petens in eo ſedere vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram: Calicem tamen laborum, quem nos ei propinamus, alacriter bibiturus.* Et enimverò amarum/hunc calicem exhauſit luculenter; & ſatis ſupérque expertus eſt, quàm difficilem Provinciam Nuntius Pontificius per Germaniam ſuſtineret, qui cauſas Religionis pro munere ſibi incumbente, pertractaret. In Aulâ equidem Viennenſi nihil erat, quod in Religionis ſtudio, Piæ Auſtriæ ingenito, Nuntius Zeloſiſſimus deſideraret; verùm alibi locorum, ceu in incerto diſſentientium opinionum Euripo, ſpes deprehenſa hærebat. Viennâ Albanus in Saxoniam movit, & exquiſitiſſimis Dresdæ exceptus honoribus, multa ſimul apud Regem nihil non feliciter agebat. Primò cùm in tractatu Altranſtadienſi, Auguſtum inter Poloniæ & Carolum Sueciæ Reges inito multa contineri viderentur, quibus graviſſima non minùs Orthodoxæ fidei quàm Eccleſiaſticæ libertati detrimenta inferebantur, ea omnia nulla & irrita declaraverat. Neque etiam Auguſtiſſimus Poloniæ Rex Auguſtus abnuebat, prædictum tractatum pravâ operâ, ac mala fide Com̃iſſariorum ſuorum præproperè initum, ceu irritum agnoſcere; prout etiam ſuo in Poloniam regreſſu, irritum voluit. Dein jam ex tunc Albanus telam illam ſtrenuè ordiebatur, ut in Orthodoxa Sacra Regium Poloniæ Principem Fridericum Auguſtum traduceret; non alieno ab eo conſilio Auguſtiſſimo Parente; qui ſuam eâ ſuper re fidem diſertis verbis ſacræ ſedi obſtringebat: prout etiam ſtatim abhinc pii ac probi viri, qui prædictum Principem Orthodoxæ Religionis præceptis ac ritibus imbuerent, eidem adjungebantur. Aliquo tempore poſt prædictus

O Prin-

Princeps Augustus Fridericus in Italiam abibat; ubi tandem optatissimum tam novæ institutionis, quàm itineris sui fructum percepit; Nam in Urbe Bonnoniensi in manus Joannis Baptistæ Salerni Societatis Jesu Presbyteri (nunc Eminentissimi Sacræ Romanæ Ecclesiæ Purpurati) coram Cardinali Casono piissimæ memoriæ, tunc Apostolicæ sedis Bonnoniæ Legato die 27. Novembris anni millesimi septingentesimi duodecimi post maturam ac diuturnam plurium mensium deliberationem, solâ agnitæ veritatis ratione excitatus, solo æternæ salutis suæ desiderio incensus, Orthodoxa Sacra amplexus erat. Tertium, quod tunc feliciter Albano cesserat, in eo consistebat, quòd ejus rogatu, & suavissima suggestione Regem Augustum permoverit, ut in Civitate Lipsiensi ad usum Catholicorum in illa degentium Ecclesiam aperiri jusserit; beneficio, quod vel Magnus ille Wittekindus, primus per Saxoniam Orthodoxus Princeps, Albanis debeat. Tam fausto rerum successu in aulâ Saxonicâ beatus Albanus, oculos in Antonium Udalricum, Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem conjecerat; ut postquam Deo Innocentis Juvenis Principis animum transcripsisset, novam hostiam grandævum Principem, vocatum Germaniæ nostræ Nestorem, superadderet. Et curâ omnino indefessâ propositum scopum attigerat. Planè Maximi Pontificis Clementis XI. oraculum in consistorio habito die decima nona Maij An. 1710 Hannibalis Albani operæ ejus rei tam feliciter confectæ successum magna ex parte attribuerat: nam postquam effatus fuisset, *Altefatum Principem Antonium Udalricum, Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem, inclytæ suæ stirpis longè omnium principem & caput, magno non tam annorum quàm singularum animi dotium numero spectabilem senem, ob illustrissima regiarum affinitatum decora præclarum, ob excelsa ac non vulgariter eruditæ mentis ornamenta præstantem, nullo præcipitis consilii incitamento commotum, nulla ingenii levitate sive inconstantiâ impulsum, nulla temporalis sui commodi illecebrâ allectum: post diuturnam complurium annorum deliberationem, post prævisum ingruentium sibi discriminum ac molestiarum gravissimum cumulum, sola agnitæ veritatis ratione excitatum, solo supernæ gratiæ illustratione perfusum, solo demum animæ suæ salutis desiderio incensum Catholicam Religionem ac fidem amplexum fuisse*, mox subjungebat: *à Dilecto Filio Annibale Albano suo secundum carnem nepote, oblatam sibi opportunitatem Orthodoxæ Religionis causam agendi, neutiquam omissam fuisse.* Denique cum Duce Lotharingiæ Leopoldo grande etiam negotium felicissimè transegerat Albanus; nam cùm per eum Ducatum Codex publicatus fuisset, quem Leopoldinum dixere, in quo variæ constitutiones pro justitiâ administrandâ continebantur, quibus multa tamen hinc inde immista reperiebantur, unde Ecclesiæ immunitas non parum lædebatur; hinc prædictus codex Leopoldinus per literas Pontificias, in formâ Brevis datas, meritò reprobabatur; Quæ contentio solertissimâ Albani operâ eum denique finem sortita est, ut codex Leopoldinus, in iis, quæ ad Ecclesiastica jura spectabant, ab ipso Duce, suum per hoc studium erga sacram Sedem professo, haud gravatè aboleretur. Ultimum Albani in Germaniâ negotium in eo versabatur, ne cùm Carolo VI. Regium Imperii Diadema Francofurti imponeretur, in iis, quas Cæsaream Capitulationem vocant, legibus quidquam innecteretur, unde sacra fides noxam pateretur; nec in eo etiam negotio spei falsus fuit, Carolum immortalis gloriæ Imperatorem talem expertus, qualem integer Orthodoxus experitur orbis; Videlicet Fidelissimum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Advocatum & Patronum. Ex Germania in Italiam redux factus Albanus, Purpurâ omnibus condecorandus videbatur; Solus Clemens XI. qui eam unicè dignitatem asserere poterat, in eò negotiò hærebat; licet integer Cardinalitius Ordo meritissimum Virum, votis & precibus Collegam adsciseeret. Absterritus videbatur Maximus Pontifex Constitutione Innocentii XII. quâ certa disciplina, quæ quoad Nepotes, aliósque Consanguineos Romanorum Pontificum ad Cardinalatum promovendos servanda præscribebatur; ne videlicet alii ex iis ad eam sublimem dignitatem assumerentur, quam quibus eximia ad id merita suffragarentur. Sed quid hæreret Optimus Pater in viro, quem sapientia, Pietas, Religio dudum eò evocârant. Addidit tamen (dignoscite Clementis XI. tenerrimam conscientiam) *se cælestem Luminum Patrem suppliciter rogare, ut si quod agere meditaretur, memoratæ Constitutioni, quam usque ad extremum vitæ spiritum inconcussè observare statuisset, & tunc iterum Deo & hominibus sponderet, quoquo modo repugnaret, seu aliàs in suæ, aut etiam in ipsius Nepotis animæ periculum cessurum esset, ut omnipotens dominus adhærere faciat linguam suam faucibus suis, nec de hac re edendum de more decretum pronuntiare valere.* Pronuntiari tamen Hannibalem Albanum in Consistorio An. 1711. 23. decembris habito Deus voluit, Sacri Proceres exorabant, tota Roma gratulabunda lætabatur. Certè centum suprà sedecim currus numerabantur, qui Neocreatum Purpuratum ad Vaticanum euntem honoris ergo comitabantur. Ann. 1712. Horatius Albanus, Serenissimus Annibalis Parens è vivis elatus, copiosam se lugendi materiem Amantissimo filio præbuit. Postea Poloni tam benignum Sydus, cujus salutiferos influxus jam dudum experti erant, suum in Protectorem adoptârunt; ut nam & cum eo serenâ mentis, & Pacis, & amicabilis concordiæ statione consistere didicissent. Ann. 1719. Regio Princeps animo, Sacri Romani Imperii Princeps Caroli VI. patentibus literis declarabatur; cui utinam similes omnes haberemus, & orthodoxum Imperii reflorescereт ejusmodi Syderibus cœlum. Ann. 1721. Clemens XII. rebus humanis ereptus, majori luctu vir nunquam satis deplorandus, involvisset Orbem, nisi in Nepotibus, in tantam spem adolescentibus superviveret. Vivant felices, & Albanam gloriam, unde primùm tua, Roma, felicitas emersit, virtutibus æquent.

No.



Ludovicus Picus de Mirandula Patriarcha Constantinopolitanus Sacri Palatij Apostolici Præfectus S.R.E. Præsbyter Cardinalis creatus a S.S. DN. CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio Secreto habito post Semipublicum in Aula Ducali Palatij Vaticani die 18. Maij. 1712. et in simili Consistorio Secreto in Palatio Quirinali die 26. Septembris eiusdem Anni Publicatus.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj. — Joh. Christoph Kolb, exc. A. V.

No. XXII.
LUDOVICUS PICUS DE MIRANDULA.

Ludovicus titulo S. Sylvestri in Capite Cardinalis Picus de Mirandulâ natus est An. 1668. Ex principe Ducum Mirandulanorum familiâ, quam ex se compluribus præclaram sæculis, ipse novo veluti sydere ad cœlum Mirandulanum addito, orbi magis spectabilem reddidit. Et quis non Principes Mirandulanos orbis Mirabilia nuncupet? Si historiarum fastos pervolvamus, originem statim mirabilem, & portentosam Serenissimæ hujus familiæ reperiemus. Constantini Magni ex filio Constantio neptem, quam Euridem vocârunt, Manfredo Aulico innupsisse ajunt. Utrumque in Italiam delatum, Mirandulano Principatui initium dedisse; Nam in eo loco, ubi nunc urbs Mirandula conspicitur, sede exstructa, Eurides Puerpera trinos eodem partu Masculos, Constantini nepotes progenuit, quos Picum, Pium, & Papazum cognominatos constat; videlicet dociles cum Picis, Pios clarâ nominis significatione, & Papazos, seu Patres Patriæ in posteris futuros. Sub Imperatore Henrico VII. Lucemburgico majoribus incrementis invaluerat stirps jamdum ab origine clarissima; nam Franciscus Picus apud eum Imperatorem tantâ gratiâ valebat, ut per ejus absentiam Imperatorius per Italiam Vicarius, vir belli & pacis artium scitissimus, An. 1312. declararetur. Sed summa fortuna maximo viro invidiam peperit; nam Rimaldus Bassarinus, Montis ferrati Comes, ex Bonacossis oriundus, qui suam originem ad Palæologos Constantinopolitanos Imperatores referebat, invidiæ livore in transversum actus, eam Constantini Magni progeniem, ceu pro Constantinopoleos mœnibus pugnaretur, cruento bello appetebat; cui tam tristis catastrophe finem imposuerat, ut Franciscus Picus cum filiis captus inediâ in carcere interiret; & ne unquam Picorum nomen resuscitaretur, hostium furor urbem Mirandulanam penitus everterat; sed debita vindicta statim sceleris authores secuta erat; nam â Nicolao Pico, Francisci filio, quem sors reliquum fecerat, devicti Bonnacossi, eodem supplicii genere, cujus ipsi exemplum fecerant, enecabantur. Inde urbs Mirandulana reædificata, nullo tamen mœnium ambitu tunc equidem incincta. Post eum Joannes Picus, sub Sigismundo Imperatore, florere opibus cœpit; eidem etiam Imperatori tam acceptus, ut non modo Concordiæ Comes An. 1414. ab eo diceretur, verùm etiam vicario nomine præesse Italiæ, velut avitâ dignitate juberetur. Ejus Filius Joannes Franciscus Picus, bellicâ laude præclarus, Principum Mirandulanorum nomen latiùs propagavit; & ut sibi ab exterorum vi tutum munimentum compararet, nova urbi Mirandulanæ munimenta circumdedit. Galleottus Picus ab eo progenitus, diversis â patre studiis abibat; nam cùm ille præter Martis classica vix alium unquam sonum auribus haussisset, hic libris perpetuo affixus, soli Palladi operabatur, ob incomparabilem doctrinam sæculi sui Phœnix dictus: plane si Joannem Franciscum Picum Romulum infesta feliciter arma tractantem dicere velimus, hunc Galeottum Numam Popilium dicamus oportet, qui insuper habito armorum strepitu, in pacis studia unicè incubuit. Filium reliquerat Joannem Franciscum Picum, sui simillimum; qui sapientiæ prodigium nemini non visus, linquam Græcam, & quas pene integer Oriens eloquitur, apprimè callebat. Verùm cùm literis, ceu suo olim Promotheus Caucaso, perpetuò affixus hæreret, armorum strepitum, contra se excitatum, non admodum adverterat; juxta suam videlicet decempedam cunctos dimensus, fidem ab omnibus exspectabat, quam pauci reddebant: Hinc invidorum malis artibus obsessus, cum suâ Pallade exulare jussus est. Ea videlicet modò vivimus tempora, ut Saturno è suo Latio cum aureâ sua ætate expulso, nisi ferrum impigrè stringas, ætate hac ferreâ, parùm scientiarum auro efficias; nec tamen omnino protritum jacuit hoc scientiarum gemma; Nam Julius

lius II. Pontifex Maximus & Maximilianus I. Romanorum Imperator, jacentem hanc virtutem reveriti, armis sociatis in solium reposuerunt; verùm cùm ille sui securus, ad avitam unà sedem & literas revertitur, hostes non minùs ad inimicas machinas & dolos revertuntur: Hinc Anno 1533. inimicorum manipulus noctu clam in urbem irrepserat; quorum tumultu excitatus Princeps Optimus, in templum confugit: ibi Crucifixi Imaginem arctè complexus, ab immissis Sicariis, Religione loci neutiquam retardatis, obtruncatus erat, filiis ejus Alberto & Paulo eodem supplicii genere finientibus. Inclytam stirpem pene intercisam resuscitabat Ludovicus II. Picus, quem Bellica laude præclarum, Primum Concordiæ Marchionem Maximilianus II. dicebat, paternâ culpâ Galeotti II. qui cædis in Joannem Franciscum author exstiterat, claritudine filii penitus expiatâ. Fridericus Picus ejus Ludovici filius, Principis titulum primus omnium in ditionem Mirandulanam intulit, qui Rudolpho II. tantùm in amoribus erat, quantùm vix ullus alius. Cùm improles decederet, Principatus ad Alexandrum Picum ejus fratrem jure successionis devolvebatur. Eum Ferdinandus II. primum Mirandulanorum Ducem Anno 1619. creabat; Et inde Ducatus Mirandulanus ex parvis initiis (si quidem parùm sit, Constantini Magni Progeniem esse) ad summum apicem accrevit. Alexandro I. Pico, Alexander II. Magnus Magno successerat; Alexandri II. proles Mascula Franciscus Picus erat, ex Anna Beatrice Estensi Principissâ procreatus. Huic Francisco Pico, ne stirps Mascula Picorum omnino intermoreretur, filius obtigit Franciscus Maria, natus Anno 1688. matre Anna Camillâ principissâ Borghesiâ. Hoc necdum trienni, fatis concedebat Franciscus Pater; Hinc Magna ejus Amita Brigitta, dum impuber adolesceret, rerum summâ potiebatur. Interim gravissimum in Italiâ bellum, quod pro Hispannicâ Monarchia obtinendâ, Maximi Europæ Principes summâ armorum collisione, gerebant, enascebatur. Mox in Ducatum Mirandulanum Galli, Tutrice Brigittâ in sua verba coactâ, irruperant. Verùm Gallorum pertæsa, Germanis advocatis, Gallos ejecerat, utpote quos nunquam bono animo admisisset. Postea Franciscus Maria rerum Potitus, Gallis propior videbatur; quos per integram Insubriam victricia arma circumferentes, pene admitti oportebat. Suboluerat ea Machinatio Cæsareanis, qui eò intentiore curâ pro Mirandulanis mœnibus stabant. Verùm Gallorum viribus per Italiam in imensum auctis, Cæsarei, omnibus maximorum heroum muniis ritè obitis, Mirandulanam urbem A. 1705. 11. Aprilis hostibus cedebant, quibus ejus oppugnatio urbis per complures menses multo sanguine stiterat. Postea Taurinensis clades fulminis instar Gallorum per Italiam res prostraverat; quo quidem prœlio Eugenius, Germani fulmen Jovis, plùs unâ die effecisse videbatur, quàm per complures annos confici posse, spes hominum vel maxima præceperat. Galli penitus, ea in regione debellati, lucri instar reputabant, quod honorifico abscessu, à Germanis facilè indulto, Italiam desererent. Inde una dies Ducatus Mediolanensem, Pedemontiacum, Montisferrati, Mantuanum, Mirandulanum &c. &c. è Gallorum manibus ereptos, victoribus transcripserat. Nec tamen suo juri repetundo, Mirandulanus deerat; sed misso ad Pacem ultrajectinam legato, vindicias agebat. Etenim cùm ille partes Hispani Regis aperto affectu secutus esset, Mars Germanus hunc Ducatum sibi vindicabat; quem Mutinensium Dux, intemeratæ in Imperatorem fidei centum & septuaginta pistoletorum millibus redemerat. Nec tamen in Pace Vltrajectinâ quicquam, præter promissa, quibus læsis qualitercunque fieret satis, impetratum est. Hinc in Pace Badensi Actio Repetundarum iterato instituta, actore Doliolo; Neque tamen is præter verba, aliquid tunc quidem retulerat. Interim Franciscus Maria Picus in Aula Madritensi degit, fidelissimus Regis Minister, & qui spem tunc quidem frustratam, aliunde

liunde sollicitat. Planè spes magna affulget, pacis fœderibus inter Maximos Europæ Principes Carolum VI. Romanorum Imperatorem & Philippum V. Hispaniarum Regem modò initis, ad sua perventuros, quicunque sua, ut sua, asseruerint. Sed ad Eminentissimum Purpuratum nostrum Ludovicum Picum Mirandulanum, sermo redeat, necesse est. Is majorum suorum decora referens, à Clemente XI. cujus affixus amoribus unicè hærebat, anno 1712. die vigesimâ octavâ mensis Maji, Sacro Purpuratorum Collegio annumerabatur; cui dignitati capacissimum spiritum, & quibusvis consiliis sive ineundis, sive expediendis æquè promptum ac parem afferebat. Episcopatum etiam Sinigagliæ in Urbinatium Ducatu obtinuit, ut providam solliciti Pastoris vigilantiam, circumspectissimæ mentis sapientiæ adjungeret. An. 1722. Ad Urbinates Legatus ab Innocentio XIII. missus est, quam sacram Præturam ita administravit, & hodiedum administrat, ut felicitatem unà secum intulisse videatur; adeo populo promptus, Nobilitati blandus, & Sacro Clero religiosus existit. In eo etiam magnopere admirandus est Eminentissimus Purpuratus, quòd acerbos casus, quos fortuna haud paucos tulit, infractâ animi patientiâ pertulerit. Sic cùm princeps Cellamare, cui Mater sua Anna Camilla Borghesia extincto Francisco Pico innupserat, in urbe Gaetana, adversam fortunam nactus, An. 1707. in manus Cæsareanorùm incidisset, ipse ceu animo liber, ejus captivitati ita indoluit, ne tamen de sua Magnanimitate minimùm sibi decederet. Joanni Pico amantissimo Fratri, ardentissima febri in urbe Bonnoniensi An. 1710. extincto, dolore non nisi virili parentavit. Francisci Mariæ Pici infortunium, cùm Mirandulano Principatu belli injuriâ excideret, ísque ad Ducem Mutinensem, devolveretur, ita tulit, ut cœli destinationi, & futuris temporibus cuncta permitteret. Prædictus Franciscus Maria Picus modò in aulâ Madrittensi, Regis gratiâ præpollens vivit, quem fortuna, non uno infortunio satiata, bis infelicem reddidit. Quippe An. 1723. 14. Jun. subito coorta tempestas, vehementem procellam exciebat; unde aucti amnes, transcensis ripis, præsentem omnibus mortem intentabant. Erat tunc Maria Theresia Philippi Spinolæ Ducis sancti Severini filia, eadémque Francisci Mariæ Pici conjux lectissima, ac omnium virtutum splendore longè illustrissima, in amœnissimo horto Comitis de Ognate, quem tenuis rivulus præterfluebat, postea in imensum auctus. Eodem magna pars nobilitatis, ex æstivis caloribus se refocillatura, convenerat, nescia, quàm tristis vesper serenam lucem exceptura esset; nam auctæ momento citiùs aquæ, mortis horrorem omnibus incutiebant; multis elapsis, non paucos submersos Hispania ingemuit, qui seriùs tempestatem, tam subito impendentem, declinabant. Eos inter Maria Theresia fuerat, quæ in superius sacellum ascendens, inter ardentissimas preces, & Crucifixum complexa, supereminentibus undis miserandum in modum suffocata est. Hos aliósque adversos familiæ Casus Eminentissimus noster Purpuratus eâ, quæ Christianum Principem decet, magnanimitate tulit, certâ spe veluti præcepta, suæ domui iterum fortunam, non nisi in sua mobilitate constantem, reflorituram. Sic à Francisco Pico amissum principatum, Nicolaus filius recepit. Sic Joannem Franciscum Picum expulsum Maximilianus I. restituit. Sic Mirandulanus Ducatus iterum pene amissus, à Maximiliano II. Ludovico Pico firmatus est. Ceterum Eminentissimus noster Purpuratus suis in insignibus præsefert Aquilam; nam soli cœlo affixus, altùm volat: Gruem; nam suma vigilantia Pastorem ovium agit: Latrunculorum ludum, fortunam ludens ipsemet quamlibet: demum coronatùm Leonem; nam fortissimus unà & vigilantissimus pro Sacrâ Republicâ Leo, coronam in cœlis meretur imarcescibilem.

No. XXIII.
JOANNES ANTONIUS DE VIA BONNONIENSIS.

JOannes Antonius tit. S. Calixti Cardinalis de Viâ Bonnoniensis, Episcopus Ariminensis, nobile Sydus, in urbe Bonnoniensi Anno 1660. 23. Octobris exortum est. Quem postea ad plures exteras provincias Pontificium Legatum missum, Poloni ceu stellam Polarem intuebantur, Austria in Orientalibus plagis Bosphorum venerabatur, sua denique Occidentalis Italia Hesperum credebat. Tam nobilem Virum Bonnonia genuit, Polonia perfecit, Austria incrementum dedit. Magnum dixerunt Sarmatæ, Majorem Vindobona, Maximum Italia. Polonis Regem dedit, Austriam sedi pontificiæ arctiùs obstrinxit, Italiæ partem Magnam beneficiis complexus est. Id quibus perfectum artibus fuerit, non est, cur quæramus. Causa in promptu est; cùm Sapientiâ Magistrâ summa quæque perfecerit, cui facem Religio prætulit, cujus studiô unicè semper enituit. Urbanitatem si quis quærat, est, cur huc appellat. Si Oracula velit, eum consulat. Si procedere in bonâ Viâ velit, Joannis Antonii de Viâ consiliis utatur. Eum Maximis quibusve rebus peragendis unicè natum, forensibus negotiis quandocyus exercitandum, Innocentius XII. Pontifex Maximus censebat; cui Soli suum lumen magnâ ex parte hoc Sydus debet; licet favor humanus nullas sibi partes ibi vindicârit, sed destinatio Pontificia solos viros, Religione summos, ad summa quæque secreverit. Ibat igitur An. 1697. felicibus avibus in Poloniam Joannes Antonius, in illo dissentientium opinionum freto felices ventos inflaturus. Fridericus Augustus Saxoniæ Elector, Religionis paulò ante amplexatæ merito, apud complures prævalebat; sed Archiepiscopus Gnesnensis, idémque regni Primas, propiori affectu in Gallum Principem, Ludovicum Franciscum Contyum ferebatur, & eodem veluti œstro plures secum in transversum agebat. Gallicarum pecuniarum gratus torrens per Poloniam currebat magìs quàm serpebat. Planè constat, Poloniam gurgitem inexplebilem esse, cui vix unquam satisfacias. In Regum suorum electionibus suffragia utilitate metiuntur; & nisi cupream eorum monetam argenteâ mutes, vix aliquid apud homines pecuniosos efficies. Modò non exarescat fons ille argenteus, quo riganda ac temperanda plerumque sunt comitia, spes tua in salvo erit. Rege Casimiro Anno 1668. abdicante, â Principe Condæo unam præpotentem fœminam pro suffragio sibi procurando quadragenûm florenorum millibus emptam fuisse constat; Nec minus Carolus Lotharingus, cui aliàs tot eximia sua decora suffragabantur, undecies centena Rhenensium millia profuderat, ut Rex Poloniæ esset. Tot tunc pecuniæ in instabilem illum Euripum incertâ spe projiciebantur. In ultima electione Joannes Antonius Davia pro Friderico Augusto ita stabat, ut multùm Saxonia habeat, quod Daviæ debeat. Eo tempore Princeps Contyus haud procul Dantisco in monasterio, quod Olivam vocant (& Pacis etiam Olivam Anno 1660. prætulerat) morabatur, ut Polonis se vocantibus cum milite Gallico, qui non infrequens affluxerat, præsto esset. Tam propè erat, ut in comitiis Warsoviensibus Rex diceretur, ut pene jam dictus crederetur, præfestinis nuntiis in Galliam avolantibus. Verùm aliter Superis visum, qui Wittekindi progeniem neo-Catholicam in id solium vocabant. Eam


etiam



IOANNES ANTONIUS S.R.E. PRESB.
CARDINALIS DE VIA BONONIENS.
CREATUS DIE XVIII. MAY. MDCCXII.

Ioh. Christoph Kolb exc. a.V.

Cum Privil. Sacr. Cæs. Maj.




IOANNES ANTONIUS S.R.E. PRESB.
CARDINALIS DE VIA BONONIENS.
CREATUS DIE XVIII MAY MDCCXII.

etiam in rem Joannes Philippus, Passavienfium Episcopus, ex Comitibus Lambergiis, Cæsaris Legatus, vires omnes, & Sapientiam in se non vulgarem intendebat; Et Davia ac Lambergio ceu gemino Ariete admoto, succussus est ille oppositionis murus, & in Augustum suffragiis itum. Cùm uterque præter Principem suorum clarissimam mentem nihil egisset, illorum tamen Polonorum odia incurrebant, quibus mala mens, saniora consilia excusserat. Post eam electionem deploranda Polonia in civilia bella usque adeo exarserat, ut abominando gentibus exemplo, rite electus & inauguratus Rex ab illegitimo conciliabulo, cui Suecus armatus præsidebat, Anno 1704. 11. Julii throno dejiceretur. Huic torrenti, omnes æquitatis limites transcendenti, intrepido studio Maximus Nuntius sese opposuit; & quandoquidem ad Archiepiscopum Gnesnanum Regni Primatem novi inauguratio regis pertinebat, Pontificias literas & minas produxit, quibus Archiepiscopus disertis verbis ab eo actu exercendo suspendebatur; unde ille exterritus, Dantiscum profugit, id saltem solatii paulò post nactus, ut miseriis Poloniæ, quarum ille fax & author exstiterat, intermoreretur; felicior futurus, si pro tremendi muneris sui ratione Archiepiscopus idem, & Purpuratus, patriam suam servatam maluisset, quàm cùm inter ejus ardentia busta sui splendorem nominis quæsiit. Sed cœlum estis, Eminentissimi Proceres, cui una nebula, quin purum maneat, non officiat. Postea Posnano Episcopo, qui primas sibi à Primate partes vindicabat, idem fulmen intentatum; & cùm ille, insuper habitis minis Pontificiis, tamen ab opere non destitutus videretur, ab Rege Augusto Warsoviæ interceptus, contumaciam captivitate luebat. Rex tamen Augustus pro sumo suo in sedem Romanam studio Pontificiis juribus facilè concessit, ut mytratus captivus Daviæ, Pontificio Nuntio, ocyus extradderetur; qui eum, suo Secretario Merendâ addito, Romam deduci curavit, ne sydus illud inquies & procellosum Sarmaticum cœlum novis turbinibus involveret. Planè toto Nuntiaturæ suæ tempore Davia imortalem sibi apud Polonos, qui patriam servatam quàm perditam mallebant, gloriam inibat; nam adversus omnia adversariorum machinamenta, spretis malevolorum minis, nec odia curans, aut ullam potentiam reformidans, solam justitiam ante mentis oculos habens, inconcusso studio semper steterat, & pro Sacri muneris sui ratione adversus omnes, *quos oportebat redargui, & qui universas domos subvertebant, in doctrina sanâ, in integritate & gravitate verbum sanum & irreprehensibile loquebatur.* Anno 1705. ad Nuntiaturam Viennensem redibat, quam Provinciam jamdum An. 1700. suma cum laude administraverat, haud facilè avocandus, nisi sumæ Poloniæ necessitates, quæ tunc in lubrico stabat, tantum virum sibi vindicâssent. Jam illo tempore ea felicitas Daviæ obtigerat, ut Neoprogenitum Austriæ Principem, Leopoldum, Josephum, Joannem, Thaddæum, Narcissum, Antonium, Xaverium, Philippum sacris lustralibus undis ablueret; licet paucorum mensium interjectu cum eo Principe, Austriæ spem longam unà elatam, Christianus Orbis ingemuerit; qui universim ita sentit, *idem fore Orthodoxæ Religionis, & Austriacæ fatum potentiæ.* Post illum Ann. 1701. regiam sobolem Mariam, Amaliam, Josepham, Antoniam, Theresiam, Cordulam eadem salutiferâ undâ Christo initiaverat; quæ modo Bavariæ Hæreditario Principi Carolo Alberto in lectissimam conjugem obtigit, Austriacis Aquilis cum Boicis Leonibus felici fœdere nexis. Subinde postquam Maximus Nuntius Davia, Pontificis non minùs, quàm ipsius Imperatoris voluntate, secundò Viennam venisset, eum gratiæ locum apud Jovem Austriacum obtinuerat, qualiscunque â viro tam probatæ sapientiæ exspectari poterat. Enimvero perplexus temporum status, cruentissimo tunc equidem per Europam bello ingravescente, vel circumspectissimum virum exigebat; nam licet Roma, quidquid aliter ageret, haud satis benè agi posse crederet, difficile tamen erat, cùm vel maximè sequestrum & partium Medium sumus Pontifex ageret, ut utrique Parti placeret, quæ totum volebat. Quocunque se verteret sapien-

pientissimus Pater, omnia maximis circumsepta difficultatibus reperiebat. Si huc respiciebat, navem charybdis absorptum ibat; si illuc inclinaret, scyllarum vorago stragem minitabatur. Ad hæc Mars Germanus æquè ac Gallicus illo tempore ditionem Pontificiam non tam peragrabatur, quam suam ibi sedem figere visus. Dum unus intrabat, alter sequebatur: cuicunque hospitium denegabat, hostem faciebat. Sæpè etiam factum, ut privatæ Ducum aut militum injuriæ in causam communem traherentur. Super omnia ea res maximi momenti ventilabatur; cùm Philippo V. in Regem Hispanniarum agnito, Carolus III. eandem nuncupationem sibi vindicaret. Et cum his angustiis, quæ ad Sacram Sedem pertinebant, Pontificii per Europam Nuntii universi luctabantur; adeò ut viros omni exceptione majores, cunctos meritò dixeris, qui eo tempore sub hac incude sudabant. Tunc prudentissimus Davia, ut offensæ Aulæ tempestatem aliquantùm declinaret, Neostadium abibat; tam gratus Cæsari, ut ab invitissimo dimitteretur: mox iterum revocandus; nam ei nubi discutiendæ aptissimus videbatur. Et Serenum factum est cœlum, hujus sy- deris interpositu. Hoc etiam silentio prætermittendum neutiquam videtur, Marchionem Daviam, Eminentissimi Purpurati Germanum Fratrem, qui Germanum Martem sequebatur, tam celebribus adversus Gallos per Italiam excursionibus inclaruisse, ut hostium terror factus fuerit. Prope erat, ut An. 1702. octavo Junii Ducem Vendomium, Gallicorum armorum Herculem, suis in castris insigni strata- gemmate interciperet. Ejus tentorium haud procul Pado flumine fixum stabat; hinc Davia assumpto strenuo militum manipulo, secundo amne devehebatur; Et primas hostium stationes facilè fefellerat, se Gallos ægros in Nosocomiis curandos deducere simulans. Fraudem adjuvabant transfugæ Galli, qui ejusdem linguæ commercio popularibus suis suspecti esse haud merebantur. Exscensione facta, non nisi octuaginta passibus â Ducis tentorio miles Cæsareus aberat; cùm eorum unus sclopeto temere an dolo exploso, rem prodidit, & Gallis undequaque accurrentibus, magnum Davia beneficium fortunæ debebat, militem innoxium retrahere potuisse; Nec tamen Magnis Fata invida viris tam inclytum Heroem sinebant esse grandævum; nam cùm brevi postea in hostem duceret, & in fronte agminis consistens, cunctos ad pugnam animaret, sclopo, ut insignibus armis conspicuus erat, trajectus illicò occubuit; Marte tam grandi tunc quidem hostiâ placato; nam ex plebeiis neque unum quidem interiisse constat. Sed ab eo Heroe, ad Fratrem Togatum Josephum Antonium Daviam retrogrediendo, eum meritis summum, sacrâ purpurâ sibi cohonestandum Clemens XI. ducebat, ut qui in partem maximam laborum quàm longissimo tempore venerat, in arenâ gloriæ aliis non inferior haberetur. Erat tunc Arimini Episcopus, quæ maritima urbs est, in Romaniola sita, quam nunc vulgo Rimini vocant. Eum Episcopatum integerrima probi Antistitis laude administrabat. Ergo An. 1716. 12. Maij Cardinalis Præsbyter renuntiabatur, ingens sacræ Purpuræ decoramentum futurum, unde ipsi splendor non minùs conciliaretur; nec tamen ante Calendas Maij insequentis Romam solemni ritu intraverat: credo equidem, sanctior Flora primum Maij diem elegerit, quâ pulcherrimum hunc *Amarantum*, seu (si quis plùs dicere velit, *Imperatoriam*) in princeps Ecclesiæ Viridarium transferret. Aliquantùm postea ad Legationem Urbinatium missus, eam Legationem ipso Clemente XI. in Consistorio Secreto 12. Aprilis 1717. habitò, attestante, *multa cum laude* administraverat. Inde ad Legationem Romandiolæ in eodem Consistorio evocabatur, quocunque advocaretur, Religionis & Sapientiæ laude probatissimus. Anno 1721. Ab invictissimo Germanorum Imperatore patentissimum Diploma obtinuerat, cujus vigore jus Indigenatus in Regno Neapolitano amplissimo favore in eum conferebat; quem certè Regia Parthenope ceu suum amplectitur. Videlicet, cùm in omnem terram exiverit sonus ejus, Roma, Vindobona, Sarmatæ, verè Daviam, seu de Via Bona nunquam deviantem, complectuntur, amant, remunerantur.

No.





AUGUSTINUS S.R.E. PRESBYTER
CARDINALIS CUSANUS MEDIOLANENSIS
CREATUS DIE XVIII MAY MDCCXII.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. S.C.Maj.

No. XXIV.

AUGUSTINUS CUSANUS MEDIOLANENSIS.

AUguſtinus titul. S. Mariæ de Populo Cardinalis Cuſanus Mediolanenſis, Epiſcopus Papienſis, natus eſt in nobiliſſimâ Mediolanenſium urbe (ubi Cuſanorum nomen inclytum viget) Anno MDCLV. XX. Octobris. Eum Urbs Mediolanenſis, Lutetiæ, Venetiæ, & Caput Orbis Roma ſibi vindicant, cùm ubivis ſuæ ſedem fixerit ſapientiæ. Primò omnium in Urbe Mediolanenſi altioribus ſcientiis imbutus, in Oratoriâ certè adm randos progreſſus fecit; & quàm ponderoſus in verbis, tam in perſuadendo efficax, quaquaverſus perorandum, exiſtebat. Noverit ſe in ea urbe progenitum, ubi Divus Auguſtinus Magnum illud Eccleſiæ lumen, Rhetoricam publicè docuit, quem imitandum ſibi propoſuit, cujus videlicet nomen, ſpe oppidò Magnâ, gereret. Ante mentis oculos habuerit Borromæos, Odeſchalcos, Scottos, ut iis Junctus quartâ Purpurâ Patriam Mediolanum eadem ætate condecoraret. Sit Mediolanum incolarum numeroſitate clariſſimum, ita ut non infra ducena & quinquaginta incolarum millia intra ampliſſimorum mœnium ambitum plerumque contineantur; Sed tot centena millia, quibus Spiritum Mediolanum dedit, Sacrorum horum Antiſtitum curâ, cœlis vivunt. Vocetur Mediolanum armorum bellicorum officina, totâ Europâ longè pulcherrima; Sed *Galeam fidei & Clypeum ſalutis* Sacri hi Heroes Chriſtianis bellatoribus diſtribuunt. Surgat horrendis molibus caſtellum firmiſſimum, cui ſimile per Europam vix invenias; Sed Arx longè fortiſſima ſunt ſacri hi Principes, qui ſuis aſſylum & incolumitatem civibus præſtant. Numerentur eâ in urbe ducenæ & viginti ſacræ ædes, quas inter ſex & nonaginta inſignes parœcias reperies; Tot templis ſacer Myſta ne deſit, Sacrorum ſuorum Antiſtitum ſeduliſſima cura efficit; Baſilicam Mediolanenſem totus obſtupeſcat Orbis, cui ſumptuoſiſſimæ Ædi exædificandæ, Galeazzo Gualdone teſte, ferme trecenteni anni ab Anno 1386. ad annum 1666. inſumebantur, octuaginta millionibus, & ſexies centenis ſupra triginta ſex Scutorum Romanorum millibus expenſis; ſed Magnificentiſſimis ædibus majus pretium ſupperaddit Sacratorum horum Antiſtitum Pietatis Aurum. Sit Mediolanum Emporium totius Italiæ longè celebratiſſimum, tantâ mercatorum, opificum & propalarum copiâ refertum, ut dudum in proverbium abierit, *Mediolani ruinis Italiam creſcere poſſe univerſam*; Sed cùm Chriſtum, Sacratis his Myſtis in eam curam unicè incumbentibus, lucrifacit, theſauro utique ditatur, omnibus divitiis longè anteponendo. Æneum Serpentem, in ſignum ſalutis â Moyſe erectum, Mediolanum hodiedum exhibeat; Eadem Urbs ſuæ Procuratores ſalutis vidit Ambroſios, Carolos Borromæos, quatuor ſummos Pontifices, ex eâ procreatos, triginta quinque Epiſcopos Sanctorum faſtis illatos; & hodiedum videt Cuſanos, Odeſchalcos, Borromæos,

Scotos, pro Patriæ salute invigilantes. Verùm ad Augustinum Cusanum redeundo, satis constat, eum Romam delatum, cùm in Capellâ Pontificia coram Sanctissimo Patre, & Sacro Purpuratorum Collegio publicè Anno 1704. 3. Decembris peroraret, tam insignem plausum retulisse ab omnibus, in facundum ejus os quasi defixis, quantum ante eum pauci alii. Thematis propositi Ratio in eo versabatur, ut doceret, non in Principibus & filiis hominum spem reponendam, utpote quorum virtus fragilis, favor incertus, status mutabilis esset; sed ad Deum unicè recurrendum, qui cunctis fidelis, dare possit idem, quod velit. Ergo tam insigni Vir facundiâ, Apostolicus Nuntius ad Venetos Anno 1706. amandabatur: licèt suavissimis moribus, & dignissimis Viro Principe dotibus, se Venetis brevì commendâsset, ita ut ejus Nuntiaturam exoptarent quàm maximè diuturnam; attamen graviores Sacræ Reipublicæ necessitates eum in Galliam ocyus avocabant, ut ad pacem inter Maximos Europæ Principes restituendam, omnes nervos intenderet; sed Martis truculenta feritas, quæ tunc vel maximè funera per Hispaniam, Italiam, & Belgium miscebat, pacis consiliis omnino obstitit. Enimverò Maximus hic Nuntius eo Anno Galliam nanciscebatur, inter suorum funera ut plurimùm gementem. Nunquam tot, tamque cruentas undas, Iberus, Padus, & Scaldis volvere visi. In Hispania conjunctus Gallorum & Hispanorum exercitus, octo suorum millibus amissis, obsidionem Urbis Barcinonensis solvere cogebatur, victore Germano usque ad Mantuæ Carpetanorum mœnia progresso. In Belgio Marleburgius Anglus ad Judoignam tam insignem victoriam à Villaregio extorserat, ut cæsorum Gallorum sex millia, vulneratorum totidem, captorum V. millia numerarentur: totâ Brabantiâ, & magna parte Flandriæ exeundum esset. Ad Augustam Taurinorum Dux Sabaudiæ Victor Amadæjus, & Germani fulmen Jovis Eugenius lectissimum Gallorum exercitum, triginta millibus totâ illa expeditione amissis, penitus debellaverant. Quando ob eam cladem acceptam Gallia illud Ovid. fast. l. 4. v. 492. verè occinere poterat: neC Gener hoC nobIs More paranDVs erat. Verùm instituti mei ratio neutiquam est, gravissimum illud bellum longiùs prosequi; nec tamen præter rem aliquid dixisse videbor, cùm hinc duo Nuntio Pontificio Cusano evenire visa. Primùm statim postea in pacis consilia magis, magísque incubuit, & omnem, quâ valebat, artem pro eâ procurandâ adhibuit, seriò secum reputans, nunquam spem pacis majorem affulgere, quàm cùm seriò bellum geritur. Deinde id sibi non parùm officere subverebatur, ne quantacunque integritate in hanc provinciam ingrederetur, satis fidei non inveniret; nam victoria Taurinensis Mediolanensem unà Ducatum ad Germanos attrahebat, fato quodam Mediolani; quippe hanc urbem bis & quadragies obsessam, & tunc vigesimâ quartâ vice occupatam constat; fructu haud contemnendo in possessores redundante; nam viginti quatuor auri talenta quot annis Principis ærario inferuntur, præter gratuita donaria, quæ plerumque quadringenta Imperialium millia excedunt. Inde, inquam, Pontificio Nuntio metus succrevit, ne in aulâ Gallica minor fides homini Mediolanensi haberetur. Et habita est quàm maxima; Nam integritate viri probè perspectâ, nec in notâ sibi virtute hærens Galliæ Rex, eum Nuntium Pontificium perpetuò toleravit, nullo regiæ benevolentiæ in eum genere prætermisso, ut satis omnibus appareret, quòd intemerati Viri eximia virtus in causâ esset, ut ubi alii diffiderent, solus ipse Sacro Pontificii Nuntii Muneri omnia tribueret. Hinc huic Nuntio pene ad pacem usque Ultrajectinam subsistere in Galliis datum; non parùm solatii nacto, quòd non ante suâ de provinciâ decederet, quàm Orbem pacatum videret; neque etiam tunc quidem discessisset, nisi Sacra Purpura induenda eum Romam evocâsset. Eò honorificentiùs à Ludovico XIV. dimittebatur, qui nullas se unquam probi ministri partes in Augustino Cusano

no desiderâsse, datis ad Clementem XI. literis contestabatur. Cardinalitia eidem dignitas obtigerat Anno 1712. 18. Maij, septendecim tunc equidem unà sacri Senatus Collegis creatis; ex variis etiam Nationibus assumebantur; nam Clementis XI. Sacrosanctum Oraculum tunc ita sonabat: *Intendimus ex omnibus Christianitatis Nationibus Cardinales, qui ad septuagenarium vestrum numerum complendum, in præsens desunt, assumere, ut de iis, qui Personas Sanctorum Apostolorum repræsentare debent, verè dici valeat, in omnem terram exivit sonus eorum.* Paulo post adjunxerat. *Curavimus seligere viros, sive Ecclesiarum sibi commissarum administratione, sive illustribus Legationibus, sive aliis Apostolicæ Sedis Ministeriis diu probatos.* Aliquo tempore ante Eminentissimus Purpuratus Papiæ Episcopus denominatus fuerat. Ea urbs longè vetustissima Ticino flumini adjacet, unde & Ticinum olim nuncupabatur. Habet Therotrophium muro cinctum, in quo Franciscus I. Galliarum rex victus in Cæsareanorum manus Anno 1525. devenerat. In eadem urbe Ditericum, ultimum Longobardorum Regem, â Carolo Magno captum constat. Sed feliciorem equidem Pastorali probissimi hujus Antistitis cura Paviam modò crediderim, quàm visa est esse, cùm inter innumeras strages hostium ipsos etiam in vinculis Reges aspexit; quantùm quidem plus est, in Arce animæ triumphum occinere, quàm terrestris monumenta victoriæ in mœnium ruderibus defigere. Anno 1714 16. Aprilis Eminentissimus Cusanus Bononiæ de Latere Legatus declarabatur. Non omiserat Maximus Pontifex meritissimi hujus viri præconia coram amplissimo Senatu in Consistorio Secreto tunc quidem Sacerrimo Ore proloqui. Verba sic habent: *Tamdiu lapsum est tempus, ad quod Legationem Bononiensem demandavimus Dilecto Filio Nostro Laurentio S. R. E. Cardinali Cassono, qui eam pari cum justitiæ ac prudentiæ laude, immò etiam, ut accepimus, non sine aliquo valetudinis suæ incommodo sustinuit. Eidem propterea Legationi præficere modò intendimus Dilectum pariter Filium nostrum Augustinum, ejusdem S. R. E Cardinalem Cusanum, de cujus fide, probatáque in præcipuis Apostolicæ sedis muneribus gerendis integritate plurimùm in Domino confidimus.* Ex paucis hisce collige, qualia, quantáque pro Ecclesiâ Dei Vir Maximus præstiterit: summopere ardua negotia fuisse, quibus ille supportandis humeros plusquam Athlantæos supposuerit: Et quidem ardua quævis negotia ita exantlata fuisse, ut summæ Integritatis laudem ubivis retulerit; adeóque nihil superfuisse, quod in illo amplius requireretur. Paulo postea sub Chirurgorum manu graviter laborabat; verùm cœli provida cura ordinabat, ut inveniretur, qui felicissima sectione pretiosum Virum, pene deploratum Orthodoxo Orbi restitueret. Anno 1715. decedentibus S. R. E. Cardinalibus Bullionio & Estræo, ipse cum Sacri Collegii Purpurato Senatore Ptolomæo, veluti hiatum suppleturus uterque, Sacri Officii Congregationibus interesse cœpit. Anno 1720. inimica prædonum vis tam nobili animæ insidiabatur. Jam propè Papiam attigerat, cùm illi ex insidiis improvisò erumpunt, & uno velut impetu sclopos exonerant. Provida cœli cura intervenerat, ut ne destinatam metam attingerent. Inde strictis gladiis â fido Principis famulitio improborum conatibus obviam itum. Pugnatum est eo animo, qualis inter iniquos aggressores & se suáque strenuè defendentes esse solet; videlicet paucis utrimque cæsis aut vulneratis, in fœdam illi fugam avertebantur. Ex toto illo tempore vigil cœli oculus hunc Principem semper servaverat, quo servato, esset, per quem multi alii, quos mitissimum hoc sydus fovet, unà servarentur.

No.

No. XXV.

JULIUS PIAZZA FOROLIVENSIS.

JUlius tit. S. Laurentii in Pane & Perna Cardinalis Piazza Forolivensis Episcopus Faventinus natus est An. 1663. ex illustrissimâ Piazzarum familia, quæ ab antiquissimâ retro origine Germaniam Patriam agnoscit, postea aliqua sui parte in Italiam transgressa, maximis ibidem incrementis stabilita fuit. Jacobinus de Plaz (quo nomine linguâ nostrâ vernaculâ Piazzas indigitamus) cruento prœlio An. 955. interfuerat, quod inter Ottonem I. Magnum Germaniæ Regem, & formidandum Hunnorum exercitum festa Luce Sancti Laurentii ad Augustam Vindelicorum, funestissimo pro hostibus exitu, committebatur. Erat tunc tanta Barbarorum moles, ut vulgo nisi â terrâ absorberentur, aut obruerentur â cœlô, negarent se posse vinci. Verùm Otto cum expedita manu eisdem occurrebat, Barbaris tantâ strage debellatis, ut ex numerosissimo exercitu pene ad unum cæderentur omnes; adeò ut parem de exteris victoriam Germani nunquam pepererint. Erat tunc insignis Augustanorum Civium, plerorumque textorum, virtus; qui Duce Sancto Udalrico Episcopo, cui de cœlo Genius miraculosam Crucem detulit, in medios hostium cuneos imperterrito animo irruerant. Coacervata Hunnorum corpora in scrobes, eum in finem erutas, maximo numero conjiciebantur, hostium vaticinio nimiùm quantùm adimpleto, cùm terrâ obruti pene fuerint universi. Postea prædictus Jacobinus Piazza cum eodem Ottone Magno in Italiam transgressus est; cujus in Italiam ingressus tam pacificus erat, ut nunquam magis res Romana florere visa; Nam Otto Romanam Ecclesiam vexatam in libertatem asseruit; & adepta Pontificibus oppida, ex hostium manibus erepta, restituit. Diploma refertur à Baronio de Civitate Romanâ cum suo Ducatu, de Exarchatu, de Regno Neapolitano, & aliis ditionibus, quas Pipini & Caroli munificentia in Sedem Pontificiam transtulerat, novo Ottonis favore largiter indultis; quam legitimam donationem ii soli oppugnatum eunt, qui Romanum Pontificem sua deturbatum sede, & Sanctam Fidem unà extinctam volunt. Planè Pontificis Joannis XII. favor non minor in Ottonem extiterat; nam eum Imperatoriis decoratum insignibus, Romanorum Regem dixit; & ita demum Romanum Imperium ad Germanos transiit, CLX. ferme annis postea, quàm ad Francos pervenerat. Sic Piazzarum Illustrissima familia eo ferme tempore florere occœpit, quo Germania summæ apicem potentiæ attigerat. Tunc equidem Jacobinus Piazza sedem in urbe Parmensi fixerat; cujus nepos Christophorus Ottonum II. & III. militiam secutus, bellica laude usque adeo inclaruerat, ut Longobardorum Dux, magnam tunc Italiæ partem obtinentium, crearetur; Imo fortuna, Piazzis propitia, eum cum Rogeriis Normannis in Siciliam traxerat, ubi is, Sarracenis expulsis, urbem Piazzam, suo de nomine dictam, exstruxerat, ut perpetuum eâ in Insulâ, Piazzarum fortitudinis monumentum existeret. Franciscus Piazza Pontificis Eugenii IV. per omnes ferme Italiæ aulas Nuntius, ejus Pontificis partes intemerato semper studio sustinuit. Cùm Prædictus Pontifex, Romanis rebellantibus Anno 1433. Florentiam discederet, Franciscus ejus causam absentis nullibi non agebat, rerum successu tam prospero, ut Romana urbs, rebellionis pertæsa, Anno 1435. ad jura & nutum Pontificis rediret. Postea cùm Imperator Græcus Joannes VII. Palæologus Anno 1437. cum Eugenio de Unione utriusque Ecclesiæ ageret, in tam arduum negotium, unà conficiendum, Franciscus Piazza toto pectore incubuit. Interfuerat is Concilio Ferrariensi, eum in finem magna procerum frequentia An. 1438. inchoato; sed cogente peste Florentiam translatum, ibique finitum fuerat

rat



IULIUS S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS PIAZZA FOROLIVIENSIS
CREATUS DIE XVIII. MAIJ. MDCCXII.

Ioh. Christoph Kolb exc. a. V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Caes. Maj.

rat An. 1439. Præside ipso Eugenio VI. aderant unà Josephus Constantinopolitanus Patriarcha: Joannes Palæologus Orientis Imperator; Bessarion Trapezuntinus, Episcopus Nicænus; Isidorus Ruthenorum Archiepiscopus; Gemistius Pleton; Georgius Trapezuntius, aliíque ex Oriente plures. In eo Concilio non tantùm Græcorum; sed Armeniorum etiam Unio cum Latinis & Indorum stabilita est. Receptum Confirmationis Sacramentum, Romanæ Ecclesiæ Primatus ab omnibus assertus; licet brevi postea ad vomitum redierint omnes. Inde suam Regia Constantinopolis perniciem præcipitabat, domina gentium An. 1453. facta sub tributo; quam ei captivitatem Gregorius Mainna, creatus Patriarcha Constantinopolitanus An. 1439. sed lugubriter prædixerat. Tertium, quod Franciscus Piazza Orbi beneficium præstiterat, in eo consistebat, ut in Felicem V. Antipapam, quem Schismaticum Basileense Consilium adversus Eugenium IV. elegerat, aheneum murum se opponeret. Tantùm aliqua Germaniæ Pars, (ceu hæreseos aura jam ex tunc nobilissimam eam gentem afflaret) Basileensibus adhærebat; reliquus Orbis pro Eugenio steterat. Tot tantísque in Ecclesiam meritis insignis Franciscus Piazza, in famâ sanctitatis An. 1460. ultimam diem claudebat, suis, quos post se relinqueret, præclaro documento relicto, ut sicut ipse fecisset, & reliqui imposterum facerent. Eum probè insecutus erat Camillus Piazza, cujus ætas in XVI. sæculum incidit. Is ob eximia in Ecclesiam merita ad Sacram Purpuram haud dubiè venisset, nisi ei vita brevior (nam prolixa Magnis sæpè negata Viris) obstitisset; nam fermè eadem dies, quæ Purpuram destinabat, togam pullatam dedit. Inde Nobilissimi Piazzæ suam sedem Forum Livii transtulerunt; qua quidem in urbe Franciscus Comes Piazza magnificentissimum Palatium Anno 1712. suis sumptibus exstruxerat, ubi modò Ludovicus Piazza inhabitat, Eminentissimi nostri Purpurati Julii Piazzæ Germanus Frater, dignissimus suo Castor Polluce. Verùm nostra etiam Germania Comitibus Piazzis ut plurimùm gloriatur; Nam multis illorum, divexatâ perpetuis bellorum injuriis Italiâ, Germanum solum præplacuit. Per Comitatum Tyrolensem, per Carinthiam, & ditionem Salisburgensem diffusi, magnis ubique incrementis succreverunt. Turriorum, quorum stirps in Germania exaruit, gentilitia dominia sibi, posterísque acquirebant. Floruit in Aulâ Cæsareâ Joannes Bartholomæus Piazza, Imperatricis Mariæ Magdalenæ Theresiæ, ex Domo Neoburgica, summus Eleemosynarius, idémque Sapientiâ clarissimus. Carinthia Veneratur Polycarpum Josephum Comitem de Plaz, Baronem de Thurn, Dominum in Grädisch, & Ehrenthal, quem Augustissimus Imperator Carolus VI. suum per Carinthiam Vice-Dominum esse voluit. In Archiepiscopatu Salisburgensi Illustri nomine vigent Josephus Antonius Comes de Plaz, Comendator Ordinis S. Ruperti, idémque Archiepiscopi Camerarius; Joannes Andreas Comes de Plaz, Canonicus Gurcensis; Franciscus Josephus Comes de Plaz, Camerarius Principis, idémque Aulæ peracceptus. Ut itaque arctius esset Germanos inter & Italos Piazzas necessitudinis vinculum, An. 1713. inter utrosque facilè convenit, ut iisdem prorsus insignibus stirps utraque uteretur. Quid multis? in Uno Nostro Eminentissimo Purpurato Julio Piazza Italorum unà Sagaciam, & Germanorum candorem bello fœdere conspirare videmus. Is ad summa quæque natus, exercitatione auctus, & felicitate absolutus, Principem Orbis Urbem vixdum attigerat, cùm statim Sydus in Romano cœlo nitidissimum futurum omnes augurarentur. Innocentius XII. eum mox Bruxellas, & inde ad Helvetos Nuntium dimisit, ubi is suæ vestigia Sapientiæ ubique reliquit. Jam probè exercitatum, Clemens XI. Colonniam Agrippinam ire mandabat. Inde omnium gentium velut incola futurus, ad Polonos ibat, prodigia facturus, si gentem, perpetuis agitatam motibus conciliare potuisset. Sed major rerum moles, quæ propediem instabat, eum ad Nuntiaturam Viennensem, summâ, quâ posset, celeritate advolaturum, advocabant. Planè in eò erat, ut Mars Germanus in bellum præceps rueret adversus Principem, quem Pipini, Caroli, Ottones, suis aliquando

armis tueri visi; sed prudentissimus Piazza Sagacibus consiliis Jovi irato arma è manibus excusserat; Ante omnes Carolus III. (quem modò VI. venerabundus indigitat orbis) Carolo Magno Religione haud inferior, fraternas iras suo interventu, placaverat. Ex toto illo tempore Austriaco Orbi beneficum se Sydus Julius Piazza probabat; Nam Nuntiatura Viennensis tot, támque Amplas sub se regiones continet, quantas vix ulla alia. Præter Germaniam pene universam, Hungaria, Bohemia, Croatia, Austria, Styria, Carinthia, Carniola, Comitatus Tyrolensis & Gorizius &c. &c. eidem subsunt; hinc Magnus sit necesse est, qui tam vastum, & è multis conflatum gentibus corpus unâ veluti mente & animâ regere & coadunare velit. Rexit tamen Julius Piazza, ita, ut omnium desideriis abundè faceret satis. In ejus Nuntiaturam Mors tristissima Josephi I. Romanorum Imperatoris inciderat, cui in ultimis ita adstitit, ut â mortuali lectulo non dimovendus videretur. Eo vulnere accepto, penè exanimabatur gentium Regina Germania, nisi patentem latè hiatum Carolus VI. supplevisset, quô vivo, non habet Germania, quod sibi deesse, credere possit. An. 1710. Faventinus Episcopatus in Julium Piazzam translatus est, Josepho Campanara cum grato hoc Nuntio Viennam Austriæ advolante. Adjacet Urbs Faventia Lamoni fluvio, quo in duas partes secatur. Ibi ex creta parantur vasa totius Italiæ longè pulcherrima; eam pastorali sollicitudine regendam Piazza suscepit, Vas Electionis futurus ipsemet. Ante eam diem Rhodiorum Episcopus denominabatur. Est autem Rhodus nobilissima Urbs & Insula, â militibus Hospitalariis, nunc Melitensibus, tunc Rhodiis â loco dictis fortissimè contra Solymanum An. 1522. defensa: Jam turpem discessum Turcæ parabant, cùm Andreas Amaralus, Liladamo Ordinis Magistro ob prærepto: Præfecturæ honores infensus, ideóque proditor, per literas, sagittâ missas, propugnatorum ex imminuto numero imbecillitatem Turcis significabat. Solymanus igitur, qui se vivum Rhodo, nisi interceptâ, nunquam cessurum juraverat, suos iterum animavit; & cùm longior obsidio maximam partem militum absumpsisset, pulcherrimam Insulam, æterno Christianorum Principum opprobrio è nostris manibus extorserat. Pontifex Adrianus vanum sine opibus moliebatur auxilium, & quas paraverat onerarias, ventorum iniquitas detinuit. Veneti induciarum prætextu neque militem quidem submittebant. Rex Angliæ Henricus VIII. (tunc adhuc probè Catholicus) quàm procul â calamitate, tam â voluntate quoque subveniendi aberat. Carolus Hispanniarum & Franciscus Galliarum Reges pro exigua Italiæ portione internecinis odiis decertabant; interim Turcæ in Oriente, & hæresi in Germaniâ liberè grassanti, validissima Ecclesiæ membra discerpenda relinquebant. O Reges, ô Pastores gentium! (exclamat quidam non ignobilis author) quàm difficilis vos coram Christo reddenda administrationis Vestræ ratio exspectat, qui hædum vagantem captatis, & integros greges negligitis. Post Episcopatum Rhodiensem, Episcopatum Nazarenum Julius Piazza obtinuerat, ut ubi Christus Redemptor noster domicilium posuisset, Religiosissimarum Sedem Curarum Probissimus Antistes figeret. Tandem exantlatorum Corronidem laborum, Sacram Purpuram tulit An. 1712. 18. Maij. Tunc quidem Carolus VI. meritissimo capiti Sacrum Piretum imposuit, ut ex dignitate Honorantis major splendor accederet ita Honorato. Romam redux factus, statim Legationem Ferrariensem, per abitum Eminentissimi Purpurati Ruffi vacantem prono Pontificis in eum favore obtinuit. Juvat, Pontificii Oraculi verba omnia hic apponere, ut inde Julii Piazzæ Magnitudinem non aberraturo judicio dimetiamur. Ea in Consistorio Secreto die 28. Maij 1714. habito, prolata sic habent. *Ferrariensem Legationem, quam Dilectus Filius noster Thomas S. R. Ecclesiæ Cardinalis Ruffus longè ultra triennium, ad quod ei illa à nobis demandata fuerat, sedulo ac fideliter administravit, committere nunc intendimus Dilecto pariter Filio nostro ejusdem S. R. E. Cardinali Piazzæ; de cujus fide, prudentiâ, probatâque diu in tot, tantisque, & sanè gravissimis laudabiliter ab eo gestis muneribus, integritate plurimum in Domino confidimus.* Hanc Sacram Præfecturam postea ita administravit, ut Clemens XI. in Consistorio secreto An. 1718. 10. Januarii habito iterum disertissimis verbis contestaretur, eum *Pari cum Justitiæ ac Prudentiæ laude* ubivis floruisse, verè Piazza vocandus, cui gloriæ *Locus* ubique inventus; ob eximia sua merita, si non in summo Apice, quem multorum conjecturâ bis attigit, collocandus in terris, Locum certè, Gloriæ plenum, habiturus in Astris.

No.



Antonius Felix Zondodarius Senensis, Archi, episcopus Damascenus S.R.E. Presbyter Cardi, nalis creatus à SS.mo D.N. CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio Secreto habito post semipu.um in aula Ducali Palatij Vaticani die 18. May 1712.

Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

26.

No. XXVI.
ANTONIUS FELIX ZONDODARIUS SENENSIS.

ANtonius Felix titul. S. Balbinae, Cardinalis Zondodarius Senensis natus est Anno 1665. 15. Octobris ex Nobilissima Senenses inter Zondodariorum Familiâ, cui ipse ornamentum longè maximum futurus esset. Felices enimverò Siennas, quae praeter complures S. R. E. Purpuratos quatuor summos Orbi Antistites dederunt. Alexander III. Senensis creabatur An. 1159. quem Fridericus Ænobardus Imperator internecino odio prosequebatur; & ne quidquam intentatum relinqueret, ipsum etiam Pontificatum Alexandro abrogabat, Pseudópontifice Victore substituto. Ad eum unà venerandum Reges Franciae, Angliae, & Hispaniae invitârat; sed ad Pios Reges plùs Religio quàm gratia Caesaris valuerat. Itaque Ludovicus Franciae, Henricúsque Angliae Reges ad Trojacum oppidum Alexandro venienti praesto fuerant, ac dextrâ laeváque frœnum Pontificis, pedites ipsi, tenentes, eum ad destinatum hospitium perduxerant, quâ Specie Pontificiae Majestatis non alia visa Augustior. Ipse etiam Caesar, multis bellorum infortuniis satis edoctus, se non cum hominibus, sed cum Deo bellare, pacem denique cum Alexandro fecerat; & Venetias ad eum profectus pedem Pontificis venerabundus osculo contigerat; quin ascensuro in equum stapedem tenebat. Ea tunc tua, Roma, triumphantis species erat. Pius II. Senensis, qui ad Cathedram Petri Anno 1458. evocabatur, tantae doctrinae princeps erat, ut miraculum orbis videretur. Exstant hodiedum in Bibliothecâ Viennensi incomparabilis hujus Viri literarii partus haud pauci, intérque eos historia Austriaca, ejusdem manu concinnè conscripta; ceu Germani Orbis Imperium Principi Familiae jam ex tunc praedicere voluerit, quam sibi tam accuratè describendam assumpserat. Ne tamen Togatae minùs quàm Sagatae Palladis Alumnus videretur, ad bellum adversus infideles, ipsemet interfuturus, classicum cecinit. Cùm enim Turcarum Tyrannus Mahometes II. duo potentissima Imperia Trapezunticum in Asiâ, & Peloponesum in Europâ, Christianorum Principum discordiâ occupâsset, Optimus Pontifex effusissimo huic Barbarorum torrenti occurrendum ratus, ad Pii belli Societatem Christianum Orbem invitabat universum. Non alia res tunc magis homines movebat, quàm fama Pontificis, ad Sacrum bellum ituri; sed dum ille Anconae per authumnum Sociorum copias exspectabat, sive taedio animi, quòd rarior miles accurreret, sive cœli intemperie ibidem decesserat. Pius III. itidem Senensis Cathedram Petri ascenderat A. 1503. brevissimus Pontifex futurus; nam non nisi quatuordecim dies sedebat. Credo, ne ejus Pontificatus in luctuosissimum illud tempus incideret, quo paulò post haeretica lue magna orbis pars afflabatur. Denique Alexander VII. Chisius quartus ex Urbe Sennarum summus orbis Antistes Anno 1655. accesserat, multis Christianum orbem beneficiis complexus. Etenim Franciscum Salesium, & Thomam de Villa nova sanctorum fastis inseruerat. Vilissimam Corsorum faecem, latrociniis assuetam, ex urbe Romana ejecerat. Maurorum Regem Sacris Undis lustraverat. Christinam Suecam suarum admiratricem virtutum habuit. In Bellum Turcicum, quod Leopoldo Magno, Germanorum Imperatori Invictissimo, cum Turcis obtigit, maximam pecuniarum summam impendit, quô videlicet rerum agendarum nervo, & insuperabili Germanorum dextrâ fractus est im-

im̃anis ille Orientis exercitus, qui Ungariam devoratum ibat; ſed prœlio ad Fanum S. Gotthardi com̃iſſo, ſe demum à Germano milite vinci poſſe, probè edoctus eſt. Sed hæc antiqua ſunt Senarum decora, deſcendendum ad nova. Modò occurrunt tres Illuſtriſſimi Fratres Zondodarii, quos felices Senæ eadem die florentes viderunt. Videlicet Antonius Felix Zondodarius, S. R. E. Cardinalis, & Fratrum Unus, Ordinis Equeſtris Militum Melitenſium Sum̃us Magiſter, Alter Senarum Archiepiſcopus; ut tum in omnem terram exiret ſonus eorum, tum Patriam pabulo doctrinæ paſcerent, unde paſcebantur. Et quidem Antonium Felicem Zondodarium, omnibus virtutibus cumulatiſſimum Virum Sacra Roma ſibi unicè vindicabat; ut maxima quæque negotia, in Principum Aulis, ſolertiſſimâ ejus Viri induſtria perageret, quem ipſa etiam naturâ inſtitutum ad ſumma nemo non dignoſcit. Ante omnia Oratoriâ Arte mirificè excellit; cùm Romanam inſuper facundiam linguæ Italicæ elegantiæ ſupperaddat; nam ea Senarum laus eſt, ut linguam Italicam nullibi puriùs coli aſſerant, quam ea in Urbe: adeò ut Ruſticos etiam, qui Senas ſpectent, eleganter loqui, fama ſit. Innocentius XII. Pontifex Maximus, Zondodarii ingeniô ſummopere captus, optimum rebatur, ſi maturè ad provinciarum regimen admoveretur; hinc eundem Anno 1698. Urbi Anconitanæ primò omnium Rectorem dedit: qua de Urbe ſcriptum reperio, quòd olim in ea, velut in alterâ Tyro, Purpura tincta fuerit; Adeóque primorum rudimenta laborum Zondodario Purpuram deſtinare viſa. An. 1699. Summâ Vir facundia ſeligebatur, qui Romam venientem Regis Poloniæ Joannis III. Sobieskii relictam viduam Mariam Caſimiram Ludovicam, natione Gallam, utpote Henrici Marchionis d' Arquien Filiam, in finibus ſtatûs Pontificii, magnifico comitata attributo, exciperet. Tunc quidem Pontificiam Majeſtatem Regiæ Hoſpitiſſæ obſequio prudentiſſimè attemperavit. Enimvero Tantum Virum in unius tutelâ Urbis non diu hærere ſinebant publica Romani Orbis negotia. Nuntiatura Hiſpannica eo tempore Virum repoſcebat, in quo fides ſumma, rerum civilium perſpecta experientia, & Principum animos tractandi operoſa ars, unà concurrerent. In Zondodarium Clemens XI. Innocentii Succeſſor, oculos unicè conjiciebat; & Hiſpanis etiam moribus Vir Graviſſimus unicè factus videbatur. Verùm cùm mari iter faceret, ingens ſtatim periculum, ventis validè incumbentibus, adibat; ſed velis eluctatus & remis, Calaris Portum tenuit, ubi è naufragio paulisper ſe recollegit; inde in Hiſpaniam, ventorum vi remittente transvectus, ſenſit etiam in ſicco naufragium pertimeſcendum; licèt enim à Philippo V. omnibus Regiæ benevolentiæ ſignis exceptus fuiſſet, immò ea gratia plusquam integro biennio inviolata ſtaret, alium tamen Aula vultum induebat, ex quo cognitum fuerat, Clementem XI. cùm Mars Germanus urgebat, ut bellum devitaret, cum Romanorum Imperatore Joſepho I. An. 1709. eâ lege conveniſſe, ut Carolum III. Hiſpaniarum & Indiarum Regem Sedes Pontificia unà agnoſceret. Ejus conſilii initi rationem Sapientiſſimus Pontifex S. R. E. Cardinalibus in Conſiſtorio Secreto, habito die 14 Oct. prædicti anni lùculenter manifeſtaverat. Nam poſtquam in ipſo Orationis ingreſſu filiale in Sacram Sedem obſequium Caroli Regis luculenter deprædicaviſſet, ſtatim ſubjungebat: *Idcirco, quemadmodum illum Hiſpaniarum Regis Catholici titulo nuncupare conſtituimus, ita ei, quoad ditiones; quas tenet, ſeu forſan ipſum de cetero tenere contigerit, Jurium illi annexorum uſum minimè in poſterum denegabimus. Ut tamen hæc omnia ritè ac rectè, & ſine alterius cujusquam injuria, aut præjudicio à Nobis peragi notum ſit, ſcire Vos volumus, Nos hac in re normam omnino ſequi Conſtitutionis fel. rec. Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, in Concilio Viennenſi editæ, quâ cautum fuit, quòd ſi quem Summus Pontifex ſub titulo cujuslibet Dignitatis ex certâ ſcientiâ verbo, Conſtitutione, vel literis nominet, honoret, ſeu quovis alio modo tractet, per hoc in Dignitate illa ipſum approbare non intelligatur, aut quicquam ei tribuere novi juris. Hanc itaque Conſtitutionem, quam, ut probè noſtis, non abſimilium contentionum occaſſione, etiam rec. mem. Pius II. Joannes XXII. & Sixtus IV. Romani Pontifices pariter Prædeceſſores noſtri approbârunt, & innovârunt, Nos eorundem Prædeceſſorum noſtrorum exemplis adducti, illisque expreſsè inhærentes, ſimiliter approbamus, & innovamus; ut ita nonminùs quæcunque noſtra, quàm aliena, ac præſertim amborum de Hiſpanicâ ſucceſſione contendentium, quæ verè nullatenus cognovimus, aut diſcuſſimus, Jura, æqualiter ſalva, & illæſa remaneant: Nos verò nec ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes, ab eo, quem ſemper ſecuti fuimus, Apoſtolicæ ſedis more minimè recedamus.*

Neque

Neque tamen per eam circumſpectiſſimi Pontificis cautelam Aulæ Madritenſi ex integro ſatisfactum; & ceu unum Cœlum duos ſoles non caperet, ægerrimè ferebat, præter ſe adhuc alterum Hiſpaniarum Monarcham agnoſci; Tunc equidem Zondodarius pro eximiâ ſuâ Sapientiâ nullam viam intentatam relinquebat, & partem ſe in omnem verſabat, ut hunc nodum Gordium ſolveret; qua in re ſi non Alexandri gladium, certè ſagacis Ulyſſis prudentiam adhibebat. Sed telum altiùs penetrare viſum, quàm ut humanâ induſtriâ evelleretur. Hinc imeritus Zondodarius temporis invidiam ſubiit; & hîc quod alibi concoquebatur, exedendum denique fuit. Intra quatuor ac viginti horarum ſpatium Mantuâ Carpetanorum excedere jubebatur, Vir vitæ intemeratæ, & qui aliam in ſe culpam præter fatorum & temporis non agnoſcebat; nec ab ipſo etiam Rege agnitam percipiebat; utpote qui eum luculenta laudum ejus commemoratione â ſe dimittebat. Poſtquam Romam attigiſſet, Clemens XI. ſibi ea in Legatione undequaque ſatisfactum, peramplo teſtimonio conteſtabatur; quod ut orbi magis palam fieret, in prima Creatione An. 1712. 13. Maij factâ, quâ Octodecim unà expertæ Sapientiæ & Religionis Viros Sacro Purpuratorum Collegio aſſociabat, Antonium Felicem Zondodarium Ordine Quartum eſſe voluit; quem ad Sacrum Pileum, è manibus Pontificis acceptandum, cum Solemni Pompâ Urbem ingreſſum, ſumo Populus applauſu Venientem, proſequebatur; Tunc etiam eminuit Principum Chiſiorum, quibuscum ſanguine junctus, pietas: qui nullo Ornamenti genere deerant, quô Eminentiſſimi Neo Purpurati introitum Romanâ Magnificentiâ, & Senenſi decôre, omnibus ſpectabilem redderent. An. 1719. lætiſſimo Nuntio Eminentiſſimus Purpuratus exhilarabatur, Illuſtriſſimum Fratrem, Equitum Melitenſium ſuffragiis, ſumum Ordinis Magiſtrum creatum; quam quidem dignitatem eximiis ſuis meritis dudum præoccupaverat. Nam cùm Turcæ An. 1713. ingenti apparatu navale bellum adornarent, & bellica illa tempeſtas in Inſulam Melitenſem detonitura videretur (prout plerumque Turcæ huc arma oſtendunt, illuc inferunt) tunc enimverò Eques Zondodarius, Melitenſium Legatus, totam Romam avidè prenſare: verbis, precibus, obteſtationibus auxilium ſollicitare, artem omnem & nervos intendere, ut militem, arma, pecunias, pro fortiſſimo illo Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculo & Italiæ veluti antemurali ſtrenuè defendendo, impetraret. Erat Spectaculum viſu jucundum, cùm ſtrenui hi Equites, pro ſuâ Spartâ fortiter tuendâ, admirabili celeritate & promptitudine ex omnibus Chriſtiani Orbis partibus, Germaniâ, Hiſpaniâ, Galliâ, Italiâ, Bohemiâ, Poloniâ &c. non tam accurrerent, quàm advolarent, ut pene in momento tota Inſula in armis ſtaret, foſſæ excavarentur, novæ moles exſurgerent, apparatus omnis militaris & annonarius intenſiſſimâ curâ præpararetur: Sic provida ſolicitudo Melitam ſervavit, cùm nimia ſui fiducia, aut Lethargicus ſopor Peleponeſum perderet. Nolebat videlicet Turcarum Tyrannus ad illum ſcopulum iteratò caput allidere, ad quem An. 1565. Solymanus totius Orientis vires, imortali Melitenſium gloriâ, fruſtra infregerat. Sed reaſſumendo Zondodarium, ſummum Ordinis Magiſtrum, nihil ille ſibi, aut Ampliſſimo Ordini gratius futurum, Eminentiſſimo Fratri ſignificabat, quàm ſi ſuo acceſſu, Splendidiſſimum membrum futurum, Sacram Militiam adaugeret. Ocyus petitis annuebat, Magnus Numerus futurus, Antonius Felix Zondodarius, in quem etiam Prioratus Mediolanenſis cum ingentibus proventibus conferebatur; Verùm unde paulò ante gaudiorum ſeges accreverat, inde, quæ rerum humanarum mutabilitas eſt, brevi ingentis doloris materies offerebatur; Nam Melitenſium illud Sydus Zondodarius ad ſuum occaſum An. 1722. declinabat; quo domeſtico funere magnanimum pectus Eminentiſſimi Purpurati ita concutiebatur, ut tamen cœli nutibus æquabili dolore parentaret. Mox triſtiſſimum nuntium cum Celſiſſimo & Reverendiſſimo Senarum Archiepiſcopo, fratrum altero comunicabat, quem Superi reliquum fecêre, ut Fideliſſimus Paſtor patriam ex ſe ſpirantem quàm diutiſſimè regat. Contrà Eminentiſſimus Purpuratus Zondodarius An. 1720. Bononiam Pontificis â Latere Legatus ibat. Ea equidem Urbs antiquiſſima totius Italiæ Academiâ gaudet; & hinc Mater ac Parens literarum appellari meretur; digniſſima, cui talis denique Apollo præſideat: Cui Senæ vitam, Hiſpania longiſſimam rerum experientiam, Roma Purpuram, Melitæ equeſtrem dignitatem, Bononia optimi Rectoris laudes ſuppeditârunt.

No. XXVII.

JOANNES BAPTISTA BUSSIUS VITERBIENSIS.

JOannes Baptista tit. S. Mariæ in Arâ Cœli Cardinalis Bussius, Viterbiensis, Episcopus Anconitanus natus est 2. Aprilis Anno 1657. Patriam nactus Viterbium, quod Fanum Voltumnæ veteres indigitârunt. Haud longè â Volsinensi lacu in Cimini montis jugo situm est, publicis universæ Hetruriæ conventibus olim celebratum. Postea eversis idolis verum in Aris locatum Numen adoravit, & ita adoravit, ut multâ Purpurâ, quam sævissimorum Tyrannorum sanguinolenta sitis extorserat, condecoraretur. Modò etiam Sacrâ Purpurâ Romanâ condecoratur; in quam Bussiorum Viterbiensium gloriosus sanguis immigravit. Jactet se Urbs splendida Viterbium, intra suos catacumbos quatuor summos Orbis Hyerarchas placidè in adventum Domini requiescere; Sed debitum mortuis honorem viventium merita resuscitant. Joannem Baptistam Bussium loquor, Virum â Sapientiâ & Religione spectatissimum, ore disertum, moribus gravem; & qui demum in juribus Pontificiis acerrimè propugnandis nunquam non totus fuit. Quod in suâ ad Colonienses Nuntiaturâ luculenter exhibuit, ubi inter illos, quibus Germania exagitabatur, belli turbines, Sol omnibus luxit; & ne Ecclesia Coloniensis, urbe â præsidiariis Prussis insessa, detrimenti quidpiam caperet, omni studio invigilavit; & cùm non defuissent, qui velificandum necessitatibus crederent, aliam tamen & laudabiliorem viam Dynasta integerrimus inibat, non passurus ullam vel levis conniventiæ labem suæ Nuntiaturæ adhærescere; etiam Magnatum offensas (quæ plerumque in probissimum quemque cadunt) non reveritus, dum cœli, dum Sacræ Sedis, dum Religionis, quam ubique sartam tectam volebat, causam propugnabat. Probè videlicet recordabatur, se apud celebratissimam Ubiorum gentem Nuntium agere, cujus summum in propugnanda Religione studium per tot retro sæcula admirandum in modum emicuisset. Hinc alteram illam, quâ nostra Germania gloriatur, Romam accuratiori studio sibi servandam ducebat. Enimverò Orthodoxa fides, Coloniis Aggripinæ portento ab orbe condito prorsus inaudito, nec fortassis unquam deinceps audiendo introducta, inter decumanas afflantis hæresis procellas simillimo prodigio in hanc usque diem intemerata stetit. Primus Præco & Fundator Religionis fuerat Sanctus Maternus, quem Sanctus Petrus eò immiserat, & qui ab Anno Christi 88. usque ad annum 128. verum Christi Evangelium ibi prædicavit. De eo apud Gellen. libr. 1. Syntag. 5. tradditur, quòd fuerit adolescens in Naim annorum novendecim, quem Christu Salvator noster Anno reparationis nostræ XXXII. in authumno circa idus Septemb. resuscitaverat; quí-



IOAÑES BAPTISTA S.R.E. PRESBYTER CARDIN.
BUSSIUS VITERBIENSIS EPISCOPUS
ANCONITANUS CREATUS DIE XVIII. MAII. MDCCXII.
ET PUBLICAT9 DIE XXVI. SEPTEMB. EIUSDEM AÑI.


Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Caes. Maj.

quique idem procus Divæ Mariæ Magdalenæ fuisse perhibetur. Ex illo tempore Maternus Christum coluit, ejúsque fidem disseminavit; & cum eo Eucharius & Valerius, viri sanctitate & literis exculti. Iis comitibus in Alsatiam venerat, ut annunciaret Evangelium; ibi in villâ, quæ Legia dicitur, rursus vitâ functus erat; & cùm jaceret quadraginta diebus in sepulchro, acciderat ei, quod ab orbe condito, credo, nulli; Nam altera vice rursus excitatus baculo sancti Petri Apostoli, cui Deus majora, quàm â se patrata miracula promiserat, hîc denique apud Ubios decimam nonam, aliásque legiones, fulminatrices â fortitudine dictas, verum Deum agnoscere fecerat. Præfuerat autem Ecclesiæ Coloniensi ut Pastor & Episcopus, quadraginta integris annis, tot quot in sepulchro latuerat diebus, ab Anno Christi 88., usque ad annum 128. quando Dominicâ post Trinitatem XVI. Evangelium legebatur de se ipso resuscitato in Naim, tertia vice mortuus est. Ætas ejus major fuit 115. annis. Is fuerat Ecclesiæ Coloniensis ortus; neque etiam ingratum lectori opus præstitero, si mirificum Religionis studium, quô Colonienses perpetuò postea exarserunt, unà oculis subjiciam; nec extra thematis mei propositam materiam inutiliter exorbitaturus sum, si luculenter demonstravero, unde Coloniæ Aggripinæ comeritæ sint, ut Nuntius Pontificius, honore in nullam aliam urbium Imperialium cadente, perpetuò in iis resideat. Nolo hîc antiquissima rerum monumenta retexere, licèt Scriptor quidam vetustissimus, ísque haud ignobilis, de eâ Urbe iis verbis usus sit: *Postquam fidem suscepisti Civitas Prænobilis, recidua non fuisti; sed in illa stabilis.* In illa posteriora tempora relabor, quibus miraculi instar fuit, Colonias servari potuisse. Quantum non periculum subierat sub Gebhardo Truchsessio, Archiepiscopo aliquando suo & Imperii Septemviro? qui Agnetis Mansfeldiæ amore miserè captus, eò proterviæ prolapsus erat, ut Sacras Infulas maritali vinculo unà colligare vellet, â Protestantibus Germaniæ Principibus facilè inductus, ut novam Sponsam Ecclesiæ Sponsæ Mytratus Antistes superinduceret. At verò Senatus Populúsque Coloniensis, atque imprimis Archiepiscopalis Collegii Sodales, *fideles* (ut in signatorio annulo præseferunt) *Ecclesiæ Romanæ Filii,* statim Truchsessium, â Gregorio XIII. Pontifice Maximo â fidelium comunione sejunctum, tota ditione expulerunt, Ernesto Bavaro Substituto, qui Ecclesiam suam fideliter adversus expunctum Apostatam tuitus est, insigni eo facto comeritus, ut ab eo anno, (fuerat millesimus, quingentesimus, octuagesimus quartus) ex domo Boica Coloniensis Ecclesia haud interrupta serie Pastores, utpote Sacræ Religionis propugnatores vigilantissimos, assumpserit; econtra Truchsessius in Bataviæ ultimam oram eliminabatur, Sacro Principatu dejectus, è Septemvirûm numero expunctus, oppidis, arcibus, exercitu spoliatus, à Religione Catholica, â Christi Fidelium consortio exul, unam secum Agnetem trahens, veluti damnatus ad funestam malorum suorum originem ante oculos semper habendam, semper adversandam. Multùm dixisse videar; nec tamen adhucdum pro Orthodoxis Coloniis satis. Qualis nova Ubiis tempestas exorta fuerat sub Hermanno Archiepiscopo Anno 1543. qui Bucerum Apostatam Monachum Argentorato Bonnam accersiverat: postea etiam Melanctonem è Saxoniâ evocaverat, qui cum Pistorio, Sarcerio; & ejusmodi farinæ pluribus statim velut ad novum expugnandum Ilium advolaverat. Reclamabat fortissimè, tota, quanta est, Orthodoxa Colonia, Sacræ Sedis Canonici, celeberrima Universitas, unanimi calculo conspirans Senatus, & labis omnis expers plebs civica. Provocabant omnes ad Sacram Sedem, ad Cæsaream Majestatem. Citabatur Hermanus utrobique, comparens nullibi fulminabatur. Mox Superis, hominibúsque invisus, & ex mœrore contabescens, animam efflavit. Quo? Deus optimè nosti! laudatus tunc

tunc fuerat â Carolo V. Senatus Coloniensis ob insignem in fide Catholicâ constantiam, quòd non cessisset malignis arietibus, violenter impellentibus. Ad illos ipsos etiam Paulus III. Pontifex Maximus Pontificium Breve transmiserat, in quo totus fuerat in admiranda ejus Gentis constantiâ ad cœlos usque efferendâ. Sed unde hæc tua felicitas Orthodoxa Colonia? videlicet Magnam illam Matrem colis, quæ dum Solem Orbi progenuit, non ullas in te tenebras passa est. Coæva & collactanea es Divæ Virginis; nam eo tempore, quô Beata Virgo nata fuit, quæ Christum peperisse anno ætatis suæ 14 perhibetur, Colonia exorta est, anno videlicet ante reparatam nostram salutem XIV. sexto Saturnino, & Lucretio Vaspillone Consulibus, quod hoc programmate Germanico assignatur. *Programma* Als Anna hat gebohren die seeligste Mutter / *anagrama* ist die Reichs-Stadt Cöln am erst angebauet. Inde etiam contigit, ut in perpetuam ejus rei memoriam festum Nativitatis Beatissimæ Virginis in Sacello Senatorio ab omnibus Reipublicæ Coloniensis Patribus Conscriptis solemnissimè peragatur, & Senatores semper ante ingressum Curiæ Missæ, illibi celebrandæ, intersint; & qui ibi se præsentes non sistant, etiam in Curiâ pro absentibus habeantur. Es, es enimverò Orthodoxa Colonia altera Roma, tot Sacrarum Virginum Purpurata sanguine, Tres Reges de Saba venientes tuo veluti in Solio regnantes conspiciens, Triplicem etiam Coronam in insignibus gestans, quia Academiâ, Politicâ, & Ecclesiasticâ Hyerarchia insignis existis! cujus circuitus cum quinquies mille nongentis octuaginta novem passibus computetur, virtus tamen longè amplior existit. In quâ tot Sanctorum Catacumbos reperire est, ut ea laude reliquas Germaniæ urbes quàm longissimè antecellas. Ubi denique Munstero teste, tot Ecclesiæ, tot Sacella magnificè exsurgunt, quot dies in anno reperias. En! quot causæ, eæque prorsus insignes unà concurrant, cur Urbi Coloniensi, tantis in Ecclesiam meritis inclarescenti, Pontificiæ Nuntiaturæ prærogativa jure perquam optimo competat. Hinc Sanctissimi Patris Nuntius Bussius pro alterâ hac Româ, magnanimis Consiliis fortiter tuendâ, animosè stetit, non passurus, inter illa bellorum turbida alienis Sacris, militari veluti licentiâ latiùs extensis, inassuetos Aggrippinensium oculos everberari. Insignibus suis in eâ Nuntiaturâ luculenter exhibitis animi, ingeniique dotibus commeritus erat, ut ad Sacram Purpuram Anno 1712. 10. Maii advocaretur. Postea etiam hujus Principis, omnem fastum procul exosi precibus, à Clemente XI. facilè concedebatur, ut omni pompâ seposita, veluti Privatus, urbem ingrederetur. Nec tamen Solus venerat; sed suæ eum virtutes comitabantur, quarum satellitio instructus, multò gloriosiùs Romam intrabat, quàm si triumphali invectum curru, & ad celsa Capitolia delatum, Populus Quiritum aspexisset. Aspicit enimverò Sacra Roma ceu Sydus benignum in Ecclesiâ lucidum: miratur Colonia intemeratæ virtutis Virum. & qui demum Religioni posthabebat omnia. Ancona non jam rudis & informis, sed eo summo Pastore excultissima, suam sibi felicitatem, cùm Tantus Moderator ad clavum sedeat, aggratulatur.

No.





Petrus Marcellinus Corradinus Setinus, Archiepiscopus Atheniensis S.S.mi
D.Nri. PAPÆ Auditor S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus á S.S.mo
D.N. CLEMENTE PAPA. XI. in Consistorio Secreto habito post
Semipublicum in Aula Ducali Palatij Vaticani die 18. Maij 1712.
et in Simili Consistorio Secreto in Palatio Quirinali die 26. Septembris
eiusdem Anni Publicatus

Joh. Christoph. Kolb...

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj

Num. XXVIII.


PETRUS MARCELLINUS CORRADINUS.

PEtrus Marcellinus tit. S. Joannis ante portam Latinam, Cardinalis Corradinus, Settinus, natus est felicibus syderibus in Urbe Settia, quæ in agro Pomptino inter vetustissimas inclarescit; quô quidem in agrô, Plinio teste, viginti tres Urbes, viris, armisque inclytæ, olim reperiebantur, quæ cum Volscis, quibus parebant, Romanam gloriam diu exæquabant; donec multis attriti cladibus, Romulidum Genti denique cedebant, à quibus vinci, victoriæ instar erat. Settinum vinum jam olim Augustus cunctis prætulerat, eò quòd sine fæcibus purissimum credebat. Enimverò nostris his temporibus germen è vineto Settino longè purissimum prodiit Petrus Marcellinus Corradinus, quod in vineam Sacræ Romanæ Ecclesiæ transplantatum, pulcherrimarum virtutum botris quàm abundantissimè turget. Palmites ex fœcundissimâ hac radice repullulantes sunt, virtutes pene inexsplicabiles. Solertia solidas diebus noctes maritans: forensium rerum exercitatio, in quibus perpetuò versabatur: Jurisprudentia; quam vel ipsa in doctissimo Alumno Themis mirabatur: in omni Superiori literaturâ excellentia, quâ denique Summus Vir prodeat. Quibus tot ille dotibus commeritus est, ut in Horrizonte Romano lucidum Sydus maturè collocaretur. Protonotarius Apostolicus factus, tot aphorismos dedit, quot verba protulit. Corradinum audire, vinci erat: tam ille potenter, tam sobriè, tam rectæ rationi conformiter, nunquam non dijudicabat. Statim dignus videbatur, qui Archiepiscopus Atheniensis denominaretur; videlicet ut Musarum inquilinus fieret, qui altâ mente sapientiam jam dudum imbiberat. Ea Urbs, Græciæ olim Domina, jam sub Turcarum immanissima Tyrannide ingemiscit. Mahometes II. flagellum DEI, & Christianorum terror eam An. 1455. subjugaverat. Sed ea Venetorum felicitas erat, ut decantatissimam Urbem cum munitissimo castello è Turcarum manibus An. 1687. extorquerent, & toto etiam triennio obtinerent, diutius retenturi, nisi Christianos inter, frater in fratrem insurrexisset, effecissétque, ut ex illis angustiis Turcarum Tyrannus, jamdum de suâ Constantinopoli conservandâ sollicitus, emerserit. Maxima Pars Urbis à Græcis inhabitatur, qui triplô Turcas superant. Suo Archiepiscopo prædicti Græci parent, cujus tamen annui reditus ultra quater mille imperiales non ascendunt. Centum supra quinquaginta templis Vero Deo Græci litant; & quamvis eorum Religio vera falsis immixta habeat, attamen Societatis JESU Patres, cum Fratribus minoribus Sancti Francisci Capuccinis, qui ibi domicilium fixerunt, omni curâ in id incumbunt, ut quantum in desolato illo agro licet, infelix lolium eradicent. In eadem Urbe Atheniensi hodiedum ex magnificentissimo Thesei Palatio, quod ter centum marmoreis columnis innitebatur, septendecim immania fulcra restant; nec non turrita ædicula ibidem conspicitur, cui se Demostenes, ocium à publicis negotiis nactus, includere solitus erat, ut literis vacaret; quæ cùm nullis pervia fenestellis, lucem omnem excluderet, & illato lumine illustranda esset, *lucerna Demostenis* nuncupabatur. Pari modo sedium in Areopago rudera conspiciuntur, unde Leges & Jura judices Athenienses dabant. Templum victoriæ, armamentarium Lycurgi, Fanum Minervæ tam longum tempus necdum ex toto subruit; imo isthæc omnia satis supérque stare in Petro Marcellino Corradino Atheniensium Archiepiscopo, orbis vidit. Athicus Theseus est, eò quòd vel filum invenerit, quô, solidâ suâ sapientiâ, ceu alterâ Ariadne adjutrice, in difficillimis juris quæstionibus exitum semper inveniret, vel Minotaurum jugulârit, id est, vitiorum Hydras, vir intemeratus, debellârit; lucerna Diogenis lucens est, quem summâ eloquentiâ æquare videtur. Areopagitam dixerimus, qui jura, magistratúsque, ex sapientiæ proscripto cunctis legit. Templum Victoriæ in se exhibet, cùm victor sui animus in lætissima pace semper acquiescat. Ex armamentario Lycurgi leges, jura, oracula depromit. Fanum Minervæ, seu doctæ Palladis ad se venientibus aperit. Erat igitur, cur cumu-

latissimarum virtutum Virum Sacra Roma altiùs, altiùsque proveheret; & sanctissimi Patris Clementis XI. Auditor factus, magis, magisque inclaruit. Statim causa Comachiensis intercidit, cui discutiendæ aptior non videbatur, quàm Corradinus, qui cùm leges allegaret, è Tripode loqui semper visus est. Potentem tunc tamen Antagonistam habebat, Martem Germanum; qui vel optimis consiliis, cùm inter bella leges jaceant, obstrepebat. Corradinus tamen immortali nominis sui gloriâ doctissimo calamo implicatissimam eam causam ita denique explicuerat, ut vel adversariis magnâ ex parte probaretur. Prodiit tunc temporis prorsus insignis tractatus, indigitatus: *Relatio Juris Sedis Apostolicæ in Civitatem Comachensem, complectens varias discussiones Romæ habitas in conventibus inter Ministros Summi Pontificis, & Sacræ Cæsareæ Majestatis impressa Romæ 1710.* Hunc insignis hujus Viri partum nemo non agnoscebat, utpote ex intimis juris medullis elaboratum. Eodem anno in Consistorio Secreto habito 19. Junii Protonotarius Apostolicus sese sistebat, quando Franciscus Maria Cardinalis Medicæus Sacræ Sedi supplicabat, ut sibi fas esset, pro publico Domûs Suæ commodo, quæ masculis hæredibus destituebatur, Sacram Purpuram deponere, & ad Statum laicalem transire. Cùm hoc unà peteret patriæ charitas, communia populorum vota, Etruriæ bonum, sperata quies Italiæ, consilia prudentûm, ipsius etiam Clementis XI. gravissimum judicium, Eminentissimi D.D. Cardinales facilè suffragia de more unà tulerunt; eo quidem magis, quod ex speciali Pontificum indulto in nullo ex sacris, immò neque ex minoribus Ordinibus constitutus reperiebatur.

Hujus, aliorúmque, quos, doctissima orbis capita, per complures annos mors sæva demetuerat vices in magna illa Promotione An. 1712. 18. Maji institutâ, octodecim alii, Magni nominis Viri, ex omnibus Christiani orbis nationibus assumpti, abundè suppleverant. Illa equidem die undecim duntaxat evulgabantur; septem alii in Pectore Maximi Pontificis reservabantur, quos inter Vir præstantissimus Petrus Corradinus erat, qui vigesimâ sextâ Septembris prædicti anni cum Ludovico Pico de Mirandula Patriarcha Constantinopolitano, Joanne Baptista Bussio Episcopo Anconitano, & Curtio Origo Protonotario Apostolico, è Sacro Pectore, ne diutius clara nomina laterent (si quidem latere poterant quæ suo se fulgore satis prodebant) effundebantur. Mox Neopurpuratus Corradinus in eo unicè occupatum se sensit, ut toti Orbi Orthodoxo beneficia præstaret; Hinc cùm gravissimum bellum inter Carolum VI. Romanorum Imperatorem, & Philippum V. Hispaniarum Monarcham, brevi in apertas flammas erupturum, adhuc sub cineribus glisceret, ipse cum Hispanico Ministro, de Molines dicto, sæpius congrediebatur, mediam aliquam viam initurus, ut impendentem bellorum procellam Europa declinaret, præsertim cùm Turcarum Tyrannus in Christianorum dissensiones veluti è specula prospiceret, ut inter se commissos, integris ipse viribus adoriretur. Licèt optima Eminentissimi Purpurati consilia effectu tunc quidem caruerint, & portentosum monstrum, quod in Principum Aulis *Rationem Status* vocant, hanc Europæ quietem inviderit, summopere tamen deprædicanda, nec ulla ætate reticenda manet solertissima Corradini cura, quâ is in pulcherrimo hoc opere, quo orbem pacatum redderet, desudaverat. An. 1712. Horatio Albano, Clementis XI. Germano Fratri funebria tristi pompâ persolvebat, sex mytratis Episcopis ad aras litanti assistentibus; quo pietatis obsequiò, Maximi Pontificis in se amoribus unà parentare visus est. An. 1716. Episcopus Viterbiensis denominatus est, ut quàm potens in enodandis forensium causarum difficultatibus fuisset, tam zelosus in pascendis ovibus Antistes, sui videlicet, in quamcunque se partem verteret, semper simillimus, existeret. Pastoralia hic munia per se sæpenumero obire visus est, & *Animas lucrifaciendo* optimum lucrum fecisse credebat. Hinc Præfectus Catechumenorum declaratus, tunc demum sincero gaudio afficiebatur, quotiescunque novam DEO creaturam Christianis Sacris initiaverat. Ex ipsa etiam usquequaque Angliâ, Americanos Æthiopes, quos illic nundinantur, ad se adduci curavit, & verè Æthiopem lavit, cùm è tenebris in lucem Neonatos asseruit. An. 1719. sacri Collegii Camerarius dictus est, *Fidelis Administrator & Prudens*, qui nullibi esset, quin ubivis excelleret. Cum Ministris Regis Sardiniæ multoties congrediebatur, Sacræ Sedis jura sartum, tectum iturus, quam difficilem causam, plurimorum annorum spatio pertractatam, solertissimò ipse ingenio penè ad exitum deduxisse videtur. Post Clementis XI. Excessum, Corradinum ad sacram Tyaram cum Votis Populi suæ virtutes invitabant. Is tamen sepositæ Vitæ rationem summo in terris culmini facile præhabere videbatur; credo equidem, Orthodoxi orbis Bono satis à se dari opinatus fuerit, quòd nullam diem sine lineâ, sine arduo labore, sine summo in totum Christianum orbem utplurimùm redundante fructu præterlabi sineret. Eminentissimi hujus Purpurati Virtutem admiratus Benedictus XIII., sibique eam præcipuo quovis in sacra Republicâ munere remunerandam arbitratus, eundem Prodatarium suum creavit, ut in eâ sacræ Reipublicæ parte gnaviter laboraret, & tunc verè integro Christiano orbi beneficia præstaret, cùm pro Ecclesiasticis quibusvis Dignitatibus & Officiis eos Sacræ Sedi proponeret, quos ingenua Virtus & supereminens doctrina dignos effecisset, qui superiorem in Ecclesiasticâ Hyerarchia locum occuparent. Hinc Christianus Orbis Eminentissimum Purpuratum Corradinum dignoscit ex suis; suos enim efficit, quos à Religione & sapientiâ commendatos, in gloriæ apice collocat. Quorum qualiacunque in Ecclesiam merita ita denique in Eminentissimum nostrum Purpuratum redundant, ut Phœbum ipsum dicas, suum Lumen in reliquas Orthodoxi Orbis Stellas largiter diffundentem, ut & ipsæ benefico suo influxu, inde mutuato, cuncta refoveant

Num



[illegible] CLEMENTE XI [illegible]



Armandus de Rohan Gallus Episcopus Argen, toratensis S.R.E. Presbyter Cardinalis Creatus à SS^mo. D.N. CLEMENTE XI. in Consistorio Secreto habito post Semipublicum in Aula Ducali Pa, latij Vaticani die 18. Maij 1712.

Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Caes. Maj.

Num. XXIX.

ARMANDUS GASTO CARDINALIS de ROHAN GALLUS.

A*Rmandus Gasto* tit. *S. S. Trinitatis* in monte Pincio *Cardinalis* de *Rohan*, de *Soubise* Gallus *Episcopus Argentinensis* natus est Anno 1674. 26. Junii ex famosissimâ Gallos inter *Rohanorum familiâ*, quæ cum Imperatoribus, nec non *Galliæ*, *Angliæ*, *Scotiæ*, *Hispanniarum*, *Arragoniæ* & *Navarræ* Regibus affinitatum vinculis aliquando conjuncta fuerat. Ad eosdem *Principes Rohanos* minoris *Britanniæ* successio jure pertinebat, si *Anna Britanna Caroli VIII.* & *Ludovici XII.* Galliarum Regum *Conjux* improlis decessisset. Singulis *Rohannis Heroibus*, qui longos *Galliæ* fastos implent, enumerandis supersedeo; Sufficit unicum *Eminentissimum Purpuratum Armandum Gastonem* in medium afferre, ex quo de reliquis facilè dignoscamus. *Princeps* is est, inter mytratos *Galliæ* proceres sapientiâ nulli secundus; *Religionis* zelo *Galliæ Atlas* nuncupandus, & innatâ comitate suam ex integro patriam spirans. Cùm *Principibus* in deliciis sit, ab infimis æquè amatur; sic æquabile ejus ingenium judicatur, quò se in omnium amores *Princeps humanissimus* insinuat. *Sacra Roma* hunc *Galliæ Solem* ideo veneratur, quòd is serenitatem in dissensionum turbido magnâ ex parte protulerit. Ne sola *Gallia* aut etiam *Italia* tantum virum sibi vindicaret, *Argentoratum* effecit; Nam *Argentinensis Episcopus* Anno 1704. creatus, nobis etiam *Germanis* propior accessit, & pene incorporatus est. Prædictus Episcopatus Fundatorem, seu potius Restauratorem Dagobertum Galliarum Regem agnoscit; nam satis constat, S. Amandum Episcopum Argentoratensem jamdum An. 346. Concilio Coloniensi interfuisse. Ex eo tempore majoribus indies incrementis succrescebat, donec sub Episcopo Wilhelmo, qui devixerat An. 1529. tota ea diœcesis ingentibus motibus concussa est; nam Civibus Argentoratensibus novam Lutheri sectam passim amplectentibus, latiùs malum serpebat, & Canonicorum aliquot noxio eo toxico comprehendebantur. Certè Cathedralis Sedes vi è Catholicorum manibus extorquebatur, loci Episcopo Tabernas Alsatiæ sedem transferente, ipsis verò Catholicis Canonicis Molzhemium concedentibus. Deinde post obitum Episcopi Joannis ex Comitibus de Manderscheid Canonicorum Collegium, ex utraque Religione constans, in diversa abiit; Catholicis pro Carolo è Lotharingiæ Ducibus, contrà sectariis pro Joanne Georgio Marchione Brandeburgico stantibus. Postquam

diu, armatâ etiam manu, ſuper eâ lite diſceptatum fuiſſet, demum inter partes, bellorum pertæſas, amicabiliter convenerat, ut Epiſcopatus penes Carolum Lotharingum, ejúsque Succeſſores Catholicos perpetuò maneret, contra Marchioni Brandenburgico ingens pecuniæ ſumma pro eâ ceſsione factâ rependeretur. Ampliſsimi etiam reditus in Canonicos alterius partis, jure veluti perpetuo, transferebantur. Verùm An. 1681. ingens rerum mutatio, Argentoratenſi Epiſcopatui perquam utilis ſubſequebatur; nam Galliarum Rex Ludovicus XIV. Argentoratum, ſcutum ipſum Germaniæ, ne uno quidem ex ſuis amiſſo (nam in media pace occupatio fiebat) ſui juris fecerat. Obtulerat tunc periculum præſentiſcens Cæſar Argentoratenſibus præſidium ſex millium; contrà Galli minitabantur, ſi vel unum militem reciperent, bellum & agrorum populationem exſpectarent. Senatus proditorum & emptorum capitum corruptelis æger ſtatuebat; *Obliquanda leniter vela, in mollibus conſiliis ſalutem verſari.* Itaque ut Regi confidere ac concedere ſe omnia oſtenderent, præſidium omne emittebant ad Helvetios quingentos, claudendis nempe portis, quam defendendis muris aptiores, tribus armatorum civium millibus ad cuſtodiam urbis relictis; plerique ad Francofurdenſes nundinas abibant. Erat tunc proditio tota venuſtiſſimè diſpoſita, Dietricho prætore, & Gunzero urbis Syndico ad Gallos omnia trahentibus. Quid multis? Gallis cum quinque ac triginta millibus ad urbis mœnia comparentibus, Argentoratum Gallicum præſidium receperat. Solum Urbis armamentarium ſeptem millionibus æſtimabatur; & facilè rependebat trecenta florenorum millia, quæ in proditionem expenſa ferebantur. Licet eo caſu ingemiſceret noſtra Germania, Religio tamen, Cathedrali Sede ocyus Catholicis reddita, exultare viſa. Certè Carolus V. rerum æſtimator non imperitus tantùm in Argentinâ ad Germaniæ conſervationem ſitum exiſtimabat, ut diceret: Si eodem tempore Viennam Turca, Argentinam Gallus invaderet, relicturum fortunæ ſuæ Viennam, ut Argentinam totis viribus defenderet. Qualis eacunque vox fuerit (nam non æquè omnibus probabitur) certè Argentinâ occupatâ, patefacta interioris Germaniæ janua, & ſubactâ hâc Rheni arce, Suevia & Franconia aperiri Galliæ viſa. Verùm ad Principem Armandum Gaſtonem Rohanum redeundo, is literarum amantiſſimus anno 1706. bibliothecam, ſelectiſſimis libris refertiſſimam, quæ *Domini* de *Menars* fuerat, maximis impenſis coëmebat, ne unquam ſolus eſſet, qui cum tot libris, ſuis veluti conſultoribus, habitaret. Cùm *Regi Ludovico XIV.* ejus eximia prudentia & Religio ſummopere commendaretur, magnus *Franciæ Eleemoſinarius* ſeu ſupremus regiarum largitionum præfectus ab eodem anno 1713. denominabatur; cui quidem officio aptiſſimus videbatur, ſuaptè ingeniô in pauperes ſummâ liberalitate profuſus. Anno 1711. Patrem Anaſtaſium Megrignium *Ordinis S. Franciſci Minorum* in Epiſcopum *Graſſa* (eſt ea *Provinciæ urbs*) conſecravit, Generali Præmonſtratenſium & undecim facile Abbatibus aſſiſtentibus; Neoconſecratus Epiſcopus in *Gallorum* exercitu legionem equeſtrem duxerat; verùm ad ſacram militiam aſpirans, Marti anno 1685. nuntium miſerat: Subinde *Ordinem S. Franciſci* amplexus egregium concionatorem, & miſſionarium eâ ſui commendatione egerat, ut dubium relinqueret, armatæ demum an ſacratæ Palladis aptior alumnus exiſteret. An. 1713. *Maximus* hic *Princeps Rohanus* in purpuræ honorem venit, quam non tam regiis precibus, quàm ſummis viri meritis *Clemens XI.* conceſſit. Eodem anno ſolenni Eccleſiæ ritu matrimonialibus fœderibus conjunxit *Ludovicum Henricum Borbonium.* Galliæ hoc tempore *Miniſtriſſimum* cum *Maria Anna Contiaca*: & ut illius diei lætitia geminaretur, eadem luce, & eodem *Eminentiſſimo Purpurato* nuptiis benedicente, Ludovicus *Armandus Princeps Contiacus,* cum Ludovica Eliſabetha Condæa jungebatur; ſed causâ longè triſtiori ſuo munere defungebatur, cum *Ludovico XIV.* qui Galliam ad ſummum gloriæ apicem evexerat, eo qui inſecutus eſt, anno, parentalia perageret. Cui etiam morienti aſtiterat, & ad luctam, quam poſt tot bella nactus eſt ultimam, nullo planè mortis inſtantis horrore perculſum, munierat. Poſtea *Rohanus* alter *Gallorum Hercules,* pro *Pontificiis Conſtitutionibus,* nec latum quidem unguem ab iis diſcedens, fortiter ſtetit; & planè

Ques-

Quesnelli nubes, *Gallico cælo* obductas, suâ prudentiâ, quam *Religio* adgubernabat, magnâ ex parte discussit. Anno 1719. in *Academia Scientiarum Parisiensi* summam eloquentiæ laudem referebant Dominus Robinus & Pater Marinus, Eminentissimis Purpuratis Rohanno & Bissio suffragium pro iis ferentibus; nec enim suos *Apollines* sapientiæ lumina latere possunt. Anno 1721. *Eminentissimus Purpuratus* cum duce Tallardo agnato Romam properabat, & spei de se conceptæ adeò respondebat, ut principem munificum, ore & eloquiô decorum, & promicantem ex omnibus dictis ejus sapientiam *Doctissima Roma* satis dignosceret. Sacro Conclavi pro eligendo *Summo Pontifice* ita interfuit, ut sapiens suum suffragium cum reliquis haud gravatè uniret, laudabilissimâ tot denique nationum concordiâ, sepositis affectibus in unum, eúmque optimum unicè coëuntium. Mense Augusto, cùm adhuc Romæ immoraretur, lætissimo nuntio recreabatur, regem Galliæ, qui in tenellâ ætate graviter decubuerat, plenæ sanitati restitutum; Hinc *Sospitatori* DEO gratias acturus, mille scuta Romana profusissimâ liberalitate in pauperes distribuit, facilè credens, *DEO* magis placituras deportatas in manus pauperum largas eleemosinas, quam pyrios denique ignes, in levi aëre momentô citius extinquibiles. Tam *Pretiosum Principem Innocentius XIII.* medullitus amabat; planè à se discedentem de suâ in ipsum & totam Principem Rohannam familiam benevolentiâ certum esse volebat. In reditu à Mutinensium Duce ejúsque hæreditario Principe exquisitissimis honoribus exceptus est: Nec præter suum meritum; cùm placidum Aulæ vultum restituisset. Nec minùs per *Bonnoniam* & *Genuam* iter relegens, festivâ, quaquaversus movebat, pompâ honorabatur, dignus, in cujus amorem omnes denique gentes conspirarent. Postquam *Parisios* 28. Januarii attigerat, à Cammeracensi Archiepiscopo *du Bois*, viro ob incomparabilem sapientiam in perpetua *Gallorum* memoria superfuturo, ocyus invisebatur; Nam ex longo itinere, affecta non nihil valetudine, suis in ædibus æger detinebatur. Altero statim die *Princeps Aureliacensis* hunc *Galliæ Solonem* adibat, & ex ejus facundissimo ore per integras duas horas pendebat. Ipsemet *Rex* jam in illa ætate sapientûm consortiô mirè captus, dignissimum censuit, cui regios favores impenderet; Hinc eum octavo Februarii ad *Sanctius Consilium*, quo summa regni negotia pertractaret admisit, ut *Galliæ* oracula daret, & reconditam mentis penu sapientiam affatim promeret. *Academia* etiam *Scientiarum* hunc Principem suum in præsidem adoptavit, cùm pleno fonte cunctas scientias ipsemet hausisset. Ad ultimum ut *Germaniæ* ceu pretiosum gemma insigni annulo, magis magísque innecteretur, locum inter *Sacri Romani Imperii Principes* Anno 1723. in Comitiis Ratisbonensibus potiit, & æquitate suffragante, novum *dignissimum membrum* ad votum & sessionem admissus est. Sic Galliam origine, Italiam curis, & Germaniam veluti indigenatu complexus, de se veluti altero Homero concertantes nobilissimas gentes vidit.

Num. XXX.

NUNIUS d'ACUNHA de ATTAIDE LUSITANUS

NUnius tit. Anastasiæ Cardinalis de Cunha de Attaide Lusitanus natus est An. 1665. 7. Decembris ex Principe Acunharum Familiâ, quæ in Hispaniâ æquè ac Lusitaniâ inter decantatissimas habetur. Enimverò Eminentissimus Purpuratus Nunius nominis Sui gloriâ effecit, ne ea Lusitaniæ gemmata, in extremo licet Europæ angulo progenita, reliquum orbem laterent; tantùm ille plenis veluti conchis nobilissimum decus suum exsplicuit: hinc utut procul, & de ultimis finibus pretium ejus esset, sacræ Romæ tamen nitorem suum vixdum exposuit, cùm jam amatores inveniret & admiratores. Est hic Princeps etiam Lusitanos inter, ad quos ex utroque orbe amplissimæ gazæ confluunt, opibus præpotens, quibus tamen ille ceu virtutum instrumentis ita utitur, ut ab ejus munificentiâ nemo intactus abeat. Apud exteros versatus, Lusitanam Magnificentiam omnibus palam fecit; Antè omnia eidem volupe erat, indigentium necessitatibus sublevandis, munificas manus præbere: Ecclesiarum etiam splendido cultui ingentes gazas profudit, æquissimum reputans, Divina Palatia, pro dignitate tam tremendi hospitis nunquam satis ex condigno exornanda, præ humanis splendescere. In aulâ Lusitanâ honorificentissimo supremi Regii Capellani Officio (Capellanum Moor vocant) defungebatur; hinc pro supremi muneris sui exigentiâ Regium Primogenitum Principem Petrum, Carolum, Thaddæum, Josephum, Antonium, Franciscum Sacris Lustralibus undis An. 1712. abluerat, &c. &c. Cùm Prudentiam, Ecclesiastico apice dignam, toto pectore spiraret, dignissimum Rex censuit, pro quo sacram Purpuram à Sede Pontificiâ sollicitaret; qua Clemens XI. Virum, multiplicibus meritis sibi sæpenumerò commendatum, quàm lubentissimè adauctum volebat. De eo honore in suæ nationis Principem congesto, tantùm gavisa est Regia Lusitania, ut vel Taurorum certamine, cujus magna illis gentibus voluptas, sincerissimum gaudium contestaretur. An. 1717. secundâ Julii Confraternitatis Misericordiæ (quam vulgo casam de Misericordia nuncupant) Præses electus est; nec etiam melior eligi potuit, quàm is, cujus viscera in misericordiam semper patent, & qui ideo largissimas sibi opes à DEO concessas arbitratur, ut earum dispendium maximo suo proventu erga pauperes faciat. An. 1721. postquam Clemens XI. Pontifex Maximus summo orthodoxi Orbis luctu fatis concessisset, cum Eminentissimo Purpurato Pereira Romam accurrebat, sacræ electioni ex Regis sui voluntate interfuturus. Ibi magnificum Palatium Ducis Nivernensis incoluit, quod sibi de tam Augusto inhabitatore summopere gratulabatur; immò se penè consecratum vidit, cùm ad hoc veluti sapientiæ sacrarium, Romani passim affluerent. Cùm Innocentium XIII. in Romanum solium evectum videret, eò majori gaudio exultabat, quòd Homo Lusitanus, eum Principem ceu suum amplecteretur; utpote quem intimâ amicitiâ sibi aliquando conjunctum veneratus fuisset, quando is Pontificium Nuntium in Lusitania agebat. Mense Julio ejusdem anni maximo comitatu in Ecclesiam S. Anastasiæ, suæ curæ commissam, deferebatur; & cùm eam antiqui operis vidisset, & ex vetustate magna ex parte collabentem, duodecim facilè scutatorum millia impenderat, ut splendidior fabricæ moles exsurgeret. Et sic nunquam intermoriturum munificentiæ suæ munimentum Romæ reliquit, vel ut veriùs loquar, cœlo dedit. Ea quidem die nemo ab eo indonatus abscesserat. Cappellano illius Ecclesiæ centum scutata Romana obtigerant: Musicis, divinum officium suavissimo concentu intonantibus, centum & quinquaginta scutata impertiebantur. Cœremoniarum Magister pretioso annulo donatum se viderat. Nec minùs Notarium ejus Ecclesiæ largo honorario remunerabatur. In ipsos etiam pauperes munificentia ejus largiter exten-



NONIUS S.R.E. PRESBYTER CARDINAL.
Â CUNHA LUSITANUS TITULIS. ANASTASIÆ
GENERALIS IN REGNIS LUSITANIÆ INQUSITOR
CREATUS DIE XVIII. MAY MDCCXII

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

30

Cum Gratia et Priv: S.C. Maj.

extendebatur, ita ut ejus diei fortunam singuli deprædicarent; fuit etiam, cur ipsi Magnates Lusitanam magnificentiam summopere admirarentur, cùm ad solemne convivium tunc quidem adhibiti, Regali omnia adornata cultu conspicerent. Vigesimâ secundâ Julii pro redimendis captivis, in paganorum potestate detentis, magnam pecuniæ summam largiter dispensabat, in ipsam usquequaque Affricam paternam curam extendendo, & piissimo consilio pro futilibus nummis, homines, animas lucrifaciendo. Tertia Septembris Hæbraicam puellam è sacris lustralibus undis levaverat; ut in omne hominum genus beneficia dilataret. Is equidem actus in Ecclesia sancti Antonii, quam Natio Lusitana propriam habet, eâ celebritate peragebatur, qualem innocens anima, Christo lucrifacta, mereri visa. Nam multis ex omni ordine Dynastis ad prædictam Ecclesiam, splendidè exornatam, invitatis, & refertissima etiam plebe, spectandi ergo, sese infundente, tunc quidem Eminentissimus Princeps immenso gaudio exultabat, cùm erebo subtractam animulam, coelis mancipatam intueretur. Puellam sacris undis abluebat D. Voccarius, assistentibus duobus Cæremoniariis, ex quibus uterque centum scutatis condonabatur. Ipsi puellæ Christum ingenuè professæ, & magno pietatis sensu præteritam labem detestanti, è collo sacra Crux suspensa est, compluribus pretiosis adamantibus exornata; quam certè octingentis supra sexaginta scutatis coëmptam constat; adhæc mille scutata Romana in ejus dotem, Eminentissimi Purpurati profusissima liberalitate, assignabantur. Valuit exemplum ad complures alios in Christianos casses attrahendos; nam statim postea ad Eminentissimum Purpuratum Pereiram magni suos inter nominis Hæbreus accesserat, qui divino desuper lumine illustratus, ad sacras undas pariter aspirabat. Ejus precibus, & animi solatio ab Eminentissimo Purpurato non minùs concessum est, ut tam excelsâ manu è sacro fonte levaretur, annua etiam centum scutatorum pensione, quoad in vivis superesset, eidem attributa. Immò mense Aprili anno 1722. Eminentissimus Dynasta Nunius aliam Hæbream Virgunculam ad Christiana sacra traduci curaverat, quam larga stipe dotatam, annua etiam pensione superaddita, honesto nuptui collocaverat, Christiani zeli sui argumenta Romæ affatim præbiturus. Inde in Lusitaniam reditum adornans, è nobilitate primaria quoscunque magnificentissimis donis tam liberaliter cumulavit, ut novum argonautam omnes crederent, Indicas gazas advehentem. Integra Roma ejus abitum gravissimè tulerat, cùm in viduas, pupillos, & pauperes quoscunque argenteus divitiarum rivus è tam benefico canali dispensaretur. Ad ædes Lauretanas delatus, Crucifixi imaginem summi pretii, perpetuum Virginei cultûs monumentum reliquerat. Inde Parisiis, quos ex itinere attigit, nec non Mantuæ Carpetanorum exquisitissimis & regiis honoribus excipiebatur, utriusque Monarchiæ Regibus in summa ejus sapientiâ veluti defixis. Modò in Regno Lusitaniæ Generalem Inquisitorem summa sui commendatione agit, regnum ab omni noxia peste defæcatum, eximio Religionis studio facilè conservans; quo quidem Inquisitoris munere Christophorus Acuna in altero orbe pariter defungebatur. Is Burgis in veteri Castilia An. 1612. natus, ætatis anno XV. vixdum expleto, Societatem JEsu ingressus fuerat; mox gentium convertendarum ardentissimo studio inflammatus, in Americam vela fecerat. Ibi in Regno Peruano & provincia Chilensi quamplurimos ad veram fidem converterat. Inde dominium Christo magis magisque dilataturus, flumen Amazonum pernavigando lustraverat. Multa de genio fluvii, de accolarum indole, ac regionum situ in illa navigatione, quæ decem integros menses tenuit, edoctus, in Europam rediit; sed rerum Indicarum callentissimus, brevi postea eôdem remissus est, ut sacram inquisitionem unà procuraret; quem quidem An. 1675. adhuc Limæ, Regni Peruani Principe Urbe magno orthodoxæ Religionis bono, quam ibi locorum strenuè promovebat, supervixisse constat; & ut Eminentissimus Purpuratus Nunius de Acunha pari modô quàm diutissimè supervivat, Lusitania exoptat, ut stirps inclyta utrumque orbem beneficiis complectatur.

Num. XXXI.

WOLFGANGUS ANNIBAL SCHRATTENBACHIUS GERMANUS.

Wolfgangus Annibal tit. S. Marcelli Cardinalis de Schrattenbach Germanus, Episcopus Olomucensis natus est Anno 1660. ex illustrissima Schrattenbachiorum Familiâ, quæ, cùm ex Styriâ ortum ducat, maximis per totam Germaniam incrementis brevi invaluit. Enimverò illustrissima hæc Domus gloriæ apicem attigisse videtur, cùm Eminentissimus Purpuratus Wolfgangus Annibal Purpuræ honorem omnium primus in eam intulit. Deinde publicis negotiis nata ingenia, Austriaco Jovi se dudum probârunt. Ut taceam Rudolphum Ferdinandum & Gandolphum Wilhelmum Schrattenbachios, qui primæ admissionis viri intima Cæsaris gratiâ hodiedum fruuntur, omnium planè gemma jure perquam optimo Wolfgangum Annibalem dixerim, qui natam Germanis sapientiam, Italis ita probaverat, ut omnibus omnia, Princeps Excellentissimus, factus videretur; & si quidem Germaniam fœcundam Heroum parentem exteri dicant, est, cur insuper fateantur, Germanos non tam frigido cœlo animari, ut sapientia ab iis, nunc certe omnium professione, nimiùm quantùm excultis, exulet; ut nihil dicam, quod vix aliquod magni nominis artificium reperiatur, cujus inventor Germanus non fuerit, certè tam solidæ sapientiæ Lumina sacræ Romæ transmittimus, quæ in Hesperio illo cœlo latere neutiquam possunt. Quàm apud Germanos summus, tam inter Italos acceptissimus Wolfgangus Annibal Schrattenbachius habebatur; Omnes enim talem agnoscebant, qualem singuli exoptabant. Germano Princeps candore, abstrusam Italorum prudentiam unà possidebat; & sagaciter Italorum geniô res futuras prospiciendo, in exequendo promptus cum Germanis erat. Hinc Austriaci Jovis nutus ad amussim respiciendo; illinc Romani Capitolii Majestatem unà reverebatur. Ambidexter in omnibus, utrobique fidelissimus minister reperiebatur. Et quid mirum, quòd tam ingenuæ virtutis imago cunctis probaretur? in quâ elaborandâ Fortuna, Gratiæ, & Virtus penicillum adhibuerunt. Fortuna Nobilitatem sanguinis, fœcundam gloriæ parentum memoriam, & immortalium Avorum trophæa contulit. Gratiæ comitatem probatissimis moribus asperserunt, suavem in gestibus tenorem, virili gravitate intermixtam indulserunt, in verbis dulce mel dederunt, in operibus efficaciam, in intellectu ad summa quæque pertractanda capacitatem. Denique Virtus à natura & gratiis inchoatam bellè imaginem penitus perfecit; sic Religione summus, Aris perpetuò assistit: Justitiæ observantissimus, in sacræ Themidis verba pronunciat; in omnes beneficus, ingenitæ pietatis viscera in dies pandit. Tam insignibus ille virtutibus conspicuus, in Episcopum Olomucensem An. 1711. die vigesimâ tertiâ Decembris Canonicorum calculis eligebatur; postquam Carolus Lotharingus ad Archiepiscopatum Trevirensem inde evocatus fuisset.



WOLFGANGUS ANIBAL EX COMITIBUS DE SCHRATTENBACH
GERMANUS EPISCOPUS OLOMUCENSIS
S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS CREATUS DIE
XVIII MAY MDCCXII.

Ioh. Christoph Koll exc.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Caes. Maj.

31

fuisset. Situm est Olmucium in Moraviâ, cujus etiam Urbs Princeps habetur. Propugnaculis undequaque surgentibus, adversus qualemcunque vim satis munita videtur; bello tamen tricennali à Suecis occupabatur: sed provida Superûm cura eam urbem, pace Monasteriensi, è hostium faucibus eripuerat. Primus Urbis Episcopus Sanctus Cirillus exstiterat, qui circa annum 887. Olmucensi Ecclesiæ præfuerat. Verùm cùm Fridericus Palatinus, Ferdinando II. expuncto, Bohemorum Rex crearetur, Lutherani penè per totam Moraviam dominabantur. Sed is fuerat Ferdinandi II. eximius Religionis zelus, ut ejus sacerrimâ curâ plusquam decies centena Sectariorum millia ex Bohemia, Austria, Silesia, Moravia, aliisque hæreditariis provinciis expellerentur; cujus etiam ea vox excipiebatur: *Paratum se potiùs regno excidere, & extorrem cum Augusta Conjuge ac liberis, solo Scipione nixum, ad exteros Principes abire, ac ostiatim quotidiano victui panem emendicare, quàm injuriam DEO, Ecclesiæque, ab heterodoxis, in subditis sibi provinciis illatam, diutius tolerare.* Nec minùs Eminentissimus Purpuratus omni studio providit, ne aliqua labes è viciniâ in Orthodoxam Moraviam infunderetur; quin ad se, ejuratâ hæresi, venientes, largissimis donariis excepit: Quos inter Carolus Ludovicus Baro de Alborn, multis adverso pectore in bello contra Turcas exceptis vulneribus Dux non instrenuus, munificentiam expertus est, cùm ad avita sacra, quæ Majores in Regno Hispaniarum hauserant, depositis erroribus, transiret. Ut igitur Germani hujus Annibalis, Schrattenbachii Virtus, magis elucesceret, & ipsis usquequaque Alpibus transveheretur, Clemens XI. sacræ Purpuræ honorem An. 1712. die decimâ octavâ Maji eidem detulit. Eum in finem Carolus VI., Imperii fascibus vixdum admotus, apud Sedem Pontificiam enixissimas statim preces interposuerat, cùm ad summa quævis munia exercitatissimam Principis solertiam jam ex tunc destinaret; hinc ille mox Alpibus infusus, magnificentissimo comitatu Romam intrabat, nihil intermittendo, quo Germani Nominis splendorem incessu & habitu Magnificæ Romæ probaret. Mox etiam Comprotectorem Germaniæ, Germania denominavit & sensit. Imperator equidem, qui hujus Principis eximiæ prudentiæ omnia tribuebat, Cæsareæ Legationis honorificentissimum munus, in capacissimum hunc maximarum rerum Administrum conferebat. Nec quisquam lætioribus auspiciis suam Legationem unquam aggredi visus; nam Leopoldo Archiduce Austriæ & Asturiæ Principe idibus Aprilis An. 1713. inexsplicabili totius orbis Orthodoxi gaudio in hanc vitalem auram progenito, Eminentissimus Purpuratus novæ hujus felicitatis Portitor, penè immensâ pompâ, ad cuius spectaculum tota Urbs Roma sese avidissimè effundebat, in Vaticanum deferebatur. Credidisses novam Romæ Triumphantis imaginem intuentium oculis repræsentari: tam splendidè omnia, inenarrabili exornata cultu, exhibebantur. Triumphali in curru, ceu Regali sedens Solio Eminentissimus Purpuratus, omnium ad se oculos attrahebat. Ephebi Honorarii, & reliqua famulantium turba, quæ currui circumfundebatur, vestes, opere Phrygio splendidissimè elaboratas induebantur; cum solis radiis auri fulgore concertare visi. Eminentissimorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium currus, quibus exterorum Principum Ministri, & Romanæ Nobilitatis præcipuus quisque suos addebant, pene ad ducenos ascendebant. Aër lætis applaudentium vocibus resonabat, Austriæ Salutem, Austriæ multiplicem prolem inclamantium. Ipsæ Seniles Sanctissimi Patris genæ lachrymis rorabantur, quas sincerissimum gaudium expresserat, cùm apud se reputaret, quanto periculo Orthodoxus defungeretur Orbis, quamdiu in Austriaco cœlo Athlantes superessent, qui mundum Germanum fulcirent. Sed quorsum hæc omnia? quam ut humanarum caducitatem rerum amicus Lector dignoscat. In ipsis suffocata cunis Germaniæ spes statim jacuit. Videlicet Leopoldus Princeps, Germaniæ Ocellus, Spes orbis, lætissimus Austriæ surculus IV. Novembris, novo Austriacum Cœlum sydere aucturus, occidit. Funestabantur lamentabili comploratione adhuc frementes populorum plausus, diruebantur triumphales arcus, & ubi stabant gratulantis reverentiæ monumenta, suavissimis cineribus tumultuario opere tristia Mausolæa erigebantur: Festivi, qui parabantur ignes, in ferales Libitinæ tædas abibant: verbô, grandia modo gaudia, acerbissima Imperio

evadebant dolendi materia. Sola spes restat, huic Hespero Occiduo suum aliquando Bosphorum successurum. Epitaphii loco notissimum illud distichon appono:

Flos Fueras Factus, Florem Fortuna Fefellit.
Florentem Florem Florida Flora Fleat.

Unum Eminentissimus noster Purpuratus Schrattenbachius in Nativitate ejus Principis agebat, cujus memoriam mors subsecuta obliterare non potuit; videlicet quinquaginta pauperes Virgines, honesto nuptui collocari curavit, singulis earum XXV. Scutatis Romanis in futuram dotem liberaliter assignando. Sed brevì postea aliam, & longiùs duraturam felicitatem, Auspicatissimus Nuntius Romanis attulit. Nam postquam Venetos periculosissimo bello Turcarum Tyrannus terrâ, marique aggressus fuisset, jámque integra Peloponesus, Insulæ Thenos, Cythera, Ægena, Zazyntus, Cephalonia, Leucadia, præter urbes Spinalongam, & Sudam in Regno Candiæ uno veluti victoriæ impetu in Turcarum manus venissent, idem ad Corcyram occupandam vi totâ convertebatur. Jámque hoste tam propinquo ad ipsa Romana mœnia trepidabatur. Usurpabat tunc Sanctissimus Pater Clemens XI. in Consistorio habito An. 1715. ad Eminentissimos S.R.E. Cardinales illa Josaphati Regis verba, cùm ab Ammonitis & Joabitis peteretur. *Domine DEus Patrum nostrorum, tu es DEus in Cælo, dominaris cunctis regnis gentium; in manu tua est fortitudo & potentia; nec quisquam tibi potest resistere. In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solùm habeamus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* In alio Consistorio habito An. 1716. XXX. Martii iterum lugubriter exclamabat: *Exivit Leo de cubili suo, & prædo gentium se levavit. Egressus est de loco suo, ut ponat terram nostram in solitudinem.* Cùm igitur Roma, cùm Veneta Respublica, cùm universa Italia, & Orthodoxus Orbis in summo discrimine versaretur, sola spes in Carolo VI. Romanorum Imperatore restabat, qui lectissimo instructus milite, unus par videbatur, qui exundantem immensum illum Barbarorum torrentem sistere posset, & pro ingenita Domui Austriacæ pietate itidem vellet. Nam eximius hic Imperator (cui nescio an similem Orbis tulerit) non tam precibus Pontificiis adductus, quàm veriùs pietatis suæ stimulis incitatus secum firmiter decreverat, periclitantem Rempublicam Christianam ab impendenti à Barbaris exitio immunem præstare. Jamdum Eminentissimus Cardinalis Vincentius Maria Ursinus (nunc Benedictus XIII. laudabilissimus Orbis Antistes) in procinctu stabat, ut Pontificis Nuntius Viennam properaret, currenti jam Cæsari generosos stimulos superadditurus: quam ille Provinciam, *quacunque vel hyberni temporis, vel itineris asperitate contempta* (verba erant Clementis) *ut laboranti Reipublicæ Christianæ opem ferret*, quàm lubentissimè susceperat. Sed bello ab Imperatore jam decreto, *Ursinus novâ hac & sanè præclara laude cumulatus* (pergebat sanctissimus Pater) *quod agnitâ rei Christianæ necessitate, ut ei, quantùm in se erat, subveniret, nullum incommodum, nullúmque laborem detrectaverit, ac eximium publicæ causæ studium, quale profectò verum Ecclesiæ Romanæ Senatorem decet, palam ostenderit*, ad suam Ecclesiam Beneventanam remissus est, brevì postea inde ad triplicem revocandus Tyaram. Tunc equidem Clemens IX. ex ærario Pontificio quingenta florenorum millia Cæsari in paratâ pecuniâ ocyus transmiserat; adhæc decimæ per omnes Austricas ditiones, à Venerabili Clero exigendæ, eidem permittebat. Quo ille pecuniario auctus subsidio, prorsus egregium militem patentibus Sclavoniæ campis infudit, qui sub invictissimo Heroe Eugenio (qui Constantinopoleos mœnia non semel trepidare fecit) ad Petro-Wardini mœnia, tam insignem à Turcis victoriam reportavit, qualem vix unquam in sæculorum fastis reportatam legeris. Hostilia Castra, ærarium, commeatus, tormenta supra centum & septuaginta, totidémque ferè vexilla, bellicus omnis apparatus, prædáque opulentissima in Christianorum militum manus pervenerant. Et hujus, ut dixi, Victoriæ Nuntius Eminentissimus Cardinalis Schrattenbachius Pontifici fuit, qui triumphantis in speciem, magnificentissimo comitatu, iterum in Vaticanum deductus, quatuor vexilla, in Hungarico prælio Turcis erepta, donum Cæsaris Sanctissimo Pa-

tri obtulit. Qui eo vix viso: *Opus sanè dextera Excelsi, qui fecit Virtutem, & percussit inimicum*, exclamavit. Verba Eminentissimi Schrattenbachii, ad summum Pontificem habita, ea denique fuêre.

Beatissime Pater,

SAcra Cæsarea, Regiáque Catholica Majestas debita filiali observantiâ, ad sanctissimos pedes Tuos prosternit hæc vexilla, quæ in exordio belli cruentissimo conflictu immani Christiani nominis hosti erepta fuêre; cui enim magis debentur hæc trophæa, quâm Tibi, qui indefesso labore, apertis ærariis, assiduis precibus, ipsa etiam certaminis hora, in Liberiana Basilica ingentem hanc victoriam orbi Catholico procurâsti? Age igitur Sanctissime Pater, & fove benigno affectu populum Tibi devotum, populum, qui pro DEO, Fide, Ecclesia, bono denique publico fortiter pugnat. Et quod summum, maximúmque est, idque enixè rogamus, adde preces precibus, & nos favente DEO, sub protectione Magnæ Dominæ addemus Victoriis Victorias. Ita ille.

Enimverò hoc singulari consideratione dignum contigerat, quòd decantatissima hæc Victoria illa die ab immani barbarorum agmine reportata fuerit, in quam admirandæ Dedicationis ejusdem memoria recurrebat; quin partæ Victoriæ Compos eâ die Roma fiebat, quæ eidem Partheniæ Matri, in cœlos assumptæ sacra erat. Hinc Clemens XI. æquissimum reputabat, ut in prædicta Basilica Liberiana, cui à Nivibus nomen, solemnes DEO gratiarum actiones persolverentur, ibique ex Turcicis signis, quæ Imperator veluti quasdam victoriæ primitias, pro suâ in sacram Sedem observantiâ, ad Pontificem transmiserat, illud præcipuè, quod insignius erat, & juxta superstitionem impiæ gentis sacrum, Liberiano Tholo suffixum, relinqueretur. Utique illo anno conjurati ad Christianorum classica Divi veniebant. Nam audita Petro-Waradinensi clade, qui Corcyram obsidebant Turcæ, ideò retro vela fecisse visi, quòd cœlum copiosissimum imbrem in eorum castra excutiens, eorum unà spem submerserit. Sive jam eò victoriam referamus, sive dicamus, à Germano Duce & milite invicto Corcyram servatam (nam pace vestra, Veneti milites, dixerim, quòd virtus vestra, alioquin non instrenua, eo bello planè elanguerit) sive dicere velimus, appendicem victoriæ Petro-Waradinensis Corcyram fuisse, & hostes illic debellatos, hic unà prostratos fuisse, magnitudine cladis omne consilium excutiente; id sanè silentiô non prætermittendum videtur, quod idoneis relatum authoribus percrepuit: Divi Spiridionis corpus, quod Corcyræ sepultum summa veneratione colitur, cùm instante obsidionis metu aliò transferendum videretur, nulla vi externa admota, suâ statione dimoveri potuisse. Statarius videlicet Miles erat, qui in hostes fulmina mittebat; & illud Ausonii in Epigr. eo anno 1716. locum habere visum: De CœLo VVLnera MIssa pVtes.

Tam lætis Nuntiis sacram Romam beâsse, necdum satis erat Eminentissimo Cardinali Schrattenbachio; sed prout una victoria plerumque instrumentum est alterius, sic altero super alterum Auspicatissimo Nuntio, Felices Quirites, & è maxima trepidatione in summam lætitiam repentè effusos, refocillabat. Sic oppido Temesvvariæ occupato, faustissimo nuntio urbem implebat: Prædictum oppidum Temesvvariæ non tam naturâ loci, quàm artis operibus munitissimum, ac insuper validissimo Turcarum præsidio firmatum, postquam ab Imperio Christianorum avulsum per annos quatuor & sexaginta supra centum Othomannicam Tyrannidem perculerat, denique incomparabili Heroi Eugenio cecidit, cui, quod non cedat, non est. videlicet urbs teMesVVar oCCVpata à Deo & eVgenIo est; nam ubi eo anno castra stabant, aliàs paludibus latè stagnantibus, navium usus erat. Denique iterum Auspicatissimæ Victoriæ Nuntius accessit Schrattenbachius, cùm Turcis ad Albam Regalem felicissimo prælio fractis, hoc totius Christianitatis propugnaculum longè fortissimum, in Cæsaris potestatem vix non prodigiosè devenerat. Quantum in discrimen res nostræ tunc quidem adductæ fuerunt? & quàm levi momento belli for-

tuna pendebat? Erat Alba Regalis naturâ, situ, mœnibus, operibúsque validissimè communita, nec tam militari præsidio, quàm justo propè exercitu firmata, quam ita obsidebant Christiani, ut simul ipsi innumeris Barbarorum copiis obsiderentur; quæ multitudine exultantes, ac præteritarum cladium memoriâ efferatæ potiùs quàm fractæ, inauditâ temeritate, ut plurimùm literæ nuntiabant, Christianorum vires parvi admodum facere præseferebant. Proinde non levis formido omnes concusserat, ne, si quid secus eveniret, superiorum victoriarum fructus interire posset, Christianisque armis ac terris gravissima pericula imminerent. Verùm trepidus hic rerum status tamdiu perduraverat, donec illucescente die Beatissimæ Virginis in cœlos assumptæ triumphis consecrato, mirifica periculorum conversio fieret, & planè nova rerum facies emergeret. illo siquidem faustissimo die (quo quidem summus Pontifex cum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in Liberianâ Basilicâ ejusdem intemeratæ Matris patrocinium imploraverat) Heros Eugenius, Cæsarei exercitûs Dux inclytus, militum suorum alacritatem conspicatus, moræ diuturnioris pertæsus, & barbaricæ arrogantiæ impatiens, tacitè copias è vallo educere constituerat, ut hostem ferocientem intra aggeres, & fossas suas improvisus adoriretur. Strenuo autem consilio divinitus immisso divina etiam beneficia obsecundârant; Nebula enim tam opportunè incedentium Christianorum agmen obtexerat, ut priùs expugnari castra, quàm hostem adventare Barbari intelligerent; tanquam scilicet renovatis Israëlitici temporis signis, Beatissima Virgo, quam in antiquo fœdere, nebulæ typus adumbraverat, perspicuo indicio opem prætendens, suos se milites protegere testaretur, quâ illi Duce non tam ad pugnam, quàm certam victoriam properarent. Adhuc tamen Barbari ad plures certaminis horas acriter restiterant, donec ultra viginti quinque millibus cæsis, captisque castris, præcipitem in fugam versi, ingentem apparatum, ex vastissimis provinciis summa vi contractum, bellica tormenta quadraginta, & amplius supra centum, vexilla plurima, commeatum, opésque pene omnes Cæsareis copiis diripienda reliquerant. Tum altero post die Alba-Græca, sublato deditionis signo, imploratáque victoris fide, in Christianorum potestatem redacta fuerat. Sic Hungariæ fasti denotent, ab invictissimo Heroe Eugenio tribus vicibus Turcas debellatos: ad Zentam, An. 1697: ad Petro-Waradini mœnia An. 1716. Ad Albam-Regalem An. 1717. & ita debellatos, ut bis pacem ab iis extorserit, Carlovvizienſem An. 1698. & Passarovvizienſem An. 1718. utramque amplissimis pro re Christiana conditionibus. Eam etiam pacem sacræ Romæ significabat Eminentissimus Purpuratus Schrattenbachius, verè Angelus, seu Nuntius pacis factus; quo demum res Cæsareas per Italiam procurante, non alia, nisi felicitatis sydera sacræ Romæ exorta fuêre. Sed ad Regnum Neapolitanum evocabatur Princeps auspicatissimus, quò eum Maximi Cæsaris mandata vocabant, ut cum summa potestate nobilissimæ Genti Prorex regni præesset; cui ita denique præfuit, quantùm vix alius. Quàm natus Germanus, tam inter Italos Italum agebat, in eorum mores prudentissimo consilio transeundo, cum quibus degebat. Tunc solum Germanum agebat, cùm Cæsaris causa, ut talis esset, qualis revera erat, exigeret; Nunc in nostram redux factus Germaniam, semel ægrè dimissus, cum ambitu retinetur.

Num-



IOHAÑES BAPTISTA E SOCIETATE IESU S.R.E. PRESBYT.
CARDINALIS PTOLEMÆUS PISTORIENSIS,
CREATUS DIE XVIII. MAY. M.D.CCXII.

Ioh. Christoph Kolb. exc.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj. Cath. 32

No. XXXII.

JOANNES BAPTISTA PTOLOMÆUS PISTORIENSIS S. J.

JOannes Baptista è Societate Jesu tit. S. Stephani in Monte Celio Cardinalis Pistoriensis natus est An. 1653. 3. Dec. Nobilem in Hetruriâ Pistoriam, ipse ex Domô longè Illustrissimâ, Patriam nactus; & si quidem ab Antiquis Hetruscis Purpuram & Fasces olim Roma Orbis Domina mutuare visa, modò planè vices luculenter rependit, ad Solium, ad Purpuram, ad Fasces Hetruscos sine numero Viros vocando. Sic ad sum̃um Pontificatûs apicem ex Hetruriâ evocabantur S. Linus, qui anno â reparata nostra salute septuagesimo Divi Petri im̃ediatus Successor exstiterat; ut adeò Romana dignitas in Hetruscum hominem primò omnium post Petrum caderet. S. Eutychianus Hetruscus Cathedram Petri ascenderat An. 275.; & erat perpetuum Manichæorum flagellum. S. Joannes Hetruscus Romano in Solio sedebat An. 523. juratus Arrianorum hostis. Sabianus Hetruscus Gregorio Magno An. 604. Magnus Magno successerat. Martinus II. Hetruscus Ecclesiam moderabatur An. 883. idémque Græcorum errorum profligator acerrimus erat. Post eum Romanus II. Hetruscus, qui sedit An. 900. Romanæ fuit gloria Gentis. Gregorius VII. Hetruscus Henrici IV. Imperatoris fastum, qui Romanæ Ecclesiæ jura diminutum ibat, in forti Numinis Brachio fregit. Idem â Mathilde piissima Matronâ Patrimonium Petri donum tulerat. Alexander III. Hetruscus Friderici Ænobardi nefariis in Ecclesiam conatibus pro virili obstiterat; cujus honoribus Itali splendidam Urbem Alexandriam in Ducatu Mediolanensi, ejus de nomine dictam, dicaverant. Pius II. Hetruscus è Gente Piccolomineâ ipsemet ad Sacrum bellum adversus infideles gerendum iturus erat; sed Martia Consilia Mytrato Antistiti mors interveniens discusserat. Pius III. Hetruscus itidem Piccolomineus, Pontifex licèt brevissimus (nam non ultra quatuordecim dies sederat) meritis tamen ætatis annos transcendebat. Certè nostra Germania Piccolomineos non ignorat; nam copiæ, quas Octavius Piccolomineus ducebat, eæ denique fuerunt, à quibus Gustavus Adolphus, Gotticum illud fulmen, sua tellure reconditum fuit. Leo X. Hetruscus ex Medicæorum Principe familiâ Pragmaticam Sanctionem per Regnum Galliarum, Francisco I. assentiente, magno pro Sede Pontificia emolumento sustulerat. Clemens VII. Hetruscus itidem Medicæus, â Davide Æthiopiæ Imperatore An. 1528. legationem susceperat, qua is obedientiam Sedi Apostolicæ & obsequium deferebat. Optimi tamen ejus

Pontificis regimen ingenti Ecclesiæ clade deformabatur. Nam Ludovicus Hungariæ & Bohemiæ Rex, ingenti prœlio â Solymanno Turcarum Imperatore A. 1526. devictus, in paludibus, quibus demergebatur, miserè interierat. Subinde Buda cum magna Hungariæ parte, quà dolo, quà vi â Turcis subigebatur. Postea Cæsareus miles occupatam A. 1527. Borbonio Duce Romam miserum in modum expilabat. Leo XI. Hetruscus iterum ex Medicæis pene Septuagenarius canitiem suam triplici Tyarâ condecoratam vidit. Urbanus VIII. Barberinus Hetruscus in bello tricennali Europæ Principibus instabat, increpabat (prout singulos in rem Catholicam animatos advertebat) ut commune periculum fortiter propulsarent. Demum Alexander VII. Hetruscus ex domo Chisia Romanos Tybris inundatione, & pestiferâ unà strage pessimè affectos, refocillabat; frumento, pecuniis, pharmacis laborantes juvabat. Hi, Hi fuêre Viri prorsus egregii, quos ex Hetruscis ad summum evectos Solium Sacra Roma vidisti! Et quibus denique, quantisque Viris Sacram Purpuram tradidisti? Ex Hetruscis Senensibus eam obtinuerunt Chisii, Piccolominei, Zondodarii, Bichii, Bandinelli, Ninii &c. &c. ex Florentinis Medicæi, Barberini, Falconerii, Corsini, Acciajoli, Sacchetti, Bandini, Bonsii, Ubaldini &c. &c. Ex Pistoriis Rospigliosi, Fabroni, Ptolomæi &c. &c. Verùm enimverò Joannes Baptista Ptolomæus vir omnibus numeris absolutissimus Hetruscam Magnificentiam Ore, Habitu, Eloquio exprimit. Cùm ab incunabulis pietatem spiraret, adolescens factus, Jesu Societatem ingrediebatur, dignissimus tanto Socius Magistro. In religioso Ordine tam admirandos brevì successus fecerat, ut vel inter suos, quos Doctissima Orbis Lumina omnes credunt, emineret. Præsertim Historiam Sacram æquè ac profanam, eo fructu percurrebat, ut in eo utilissimo studio ad multorum stuporem planè eruditissimus evaderet. Inde contigit, ut Annales Ecclesiasticos, â famosissimo Cardinali Baronio usque ad annum 1198. præclarè deductos, doctissimo calamo aggrederetur, eos ad nostra usque tempora (nam providâ Cœli curâ hoc intelligentiæ Lumen servandum confidimus) deducturus; quos si absolutos literatus orbis conspiciet, quoties doctissimum Baronium manibus tractabit, toties in Ptolomæo unà admirabundus hærebit; nec prima præstantiora quàm media, aut media quàm ultima sentiet. Tam Doctum Lumen Purpureo Cœlo â se inferendum Clemens XI. censuit; Hinc A. 1712. 18. Maij Virum de Literario Orbe meritissimum Sacro Purpuratorum Collegio motu proprio adscripserat. Quam ille dignitatem, haud gravatè aliàs secum & cum suis libris versatus, denique admisit, quia admittere jubebatur. Postea in Quesnellianos errores profligandos, toto pectore incubuit. Fuerat Pascasius Quesnellus Sacerdos Oratorii Parisiis. Is Reflexionibus moralibus novum Testamentum ita illustraverat, ut magis obfuscaret. Volvebantur tamen & revolvebantur libri illi Quesnelliani per complures annos â Gallis, suô etiam geniô in novitates quascunque intentissimis; deprehendebantur tamen manifesti errores, vel hæresin continentes, aut hæreticæ pravitati proximi, aut cum summo legentium scandalo conjuncti. Hinc una supra centum propositiones A. 1713. gravi è Vaticano fulmine vapulabant. Quesnellus quidem Amstelodamum fugam arripuerat, ubi An. 1719. Senecio plusquam Octuagenarius decesserat, Sacris Catholicorum ritu, ut ajunt, ante mortem probè munitus. Nec tamen suos errores secum unà abstulit; quia in Galliâ etiam ex Primatibus admiratores inveniebat & cultores. Postulabant, quicunque pro Quesnello stabant, ut Sacra Sedes noviter declararet, in quo sensu rejectas propositiones & damnatas vellet? contrà Obedientioribus satis erat, rejectas & damnatas fuisse. Hoc de Ludovico XIV. Invictissimo Galliarum Rege immortali nominis ejus gloriâ fatendum est, ab illo providissimâ curâ invigilatum fuisse, ut sub primis adhuc cineribus gliscens incendium, maturè & efficacibus adhibitis remediis extinqueret, ne in altiores aliquando flammas, nec facilè extinquibiles, exsurgeret. Is ul-

ultimus conatus erat, quo Sapientissimus ille Cœli Liligeri Phœbus felicissimum suum Regimen coronaverat. Et licèt post illius mortem Quesnellianæ illæ turbæ magis augescerent, Ludovico tamen XV. Regni fascibus admoto, & Atavi sui laudabilissimis vestigiis fortiter insistente, jam jacet antiquatus error, qui exoriens tanti supercilii fuerat. Et hæc firmissima illa Sparta erat, quam Eminentissimus Purpuratus Ptolomæus virtute plusquam Atticâ, nec impari eloquentiâ oppugnatum ibat, nec dies, nec noctes cessando, dum virulentam viridi sub herbâ latentem anguem, seu sub Quesnellianâ larvâ tectum Jansenismum protereret. Anno 1715. Sacri Officii Assessor â Clemente XI. denominabatur, & ejusmodi Sapientiæ Magistris Sacræ Reipublicæ præsidentibus, non potest non sua Orthodoxo Orbi felicitas constare. Postea in examinandis Græcis ritibus totus occupabatur, ne ejus Religionis qualiscunque cultus, qui alicubi, in media præsertim Barbarie tenuia primæ originis vestigia conservaret, penitus interiret; & nisi Sacra Roma maximarum opum impendio studiosissimè, Missionariis undequaque immissis, invigilaret, totus quantus est cultus, pessumdaretur. Anno 1721. Eminentissimus Ptolomæus â Francisca Sybilla Augustâ Badensi, Ludovici Wilhelmi Cæsareorum armorum archistratego inclyto relictâ viduâ pretiosissimam casulam, auro & gemmis affabrè distinctam, ejus Principissæ manuum opus, receperat, ut in Romanâ Societatis Jesu Ecclesiâ, quam Gregorius XIII. Pontifex Maximus summis sumptibus magnificentissimè exstrui curaverat, Germanæ monumentum Munificentiæ existeret. Eo quidem tempore Canonicatum in Ecclesiâ Augustanâ vacantem pro Georgio Augusto, secundo genito Ludovici Wilhelmi piissimæ memoriæ filio, proposuerat, facili ad concedendum Pontifice, ubi Piissimæ Parentis preces, quæ suarum splendore virtutum Romam posteà præsens decoraverat, accedebant. Eodem anno Deo ita Ordinante in prædicta Ecclesiâ Societatis Jesu, die Sancto Ignatio Loiolæ Sacrâ, Officio, suavissimo Musices concentu solemniter decantato, Ipse cum Eminentissimis Purpuratis Joanne Baptista Salerno, & Alvaro Cienfuegos, utroque è Societate Jesu Viris Maximis, interfuerat. Quæ ante illud tempus felicitas Sacro huic Ordini nunquam obtigerat, ut tres unà Sacræ Romanæ Ecclesiæ Purpuratos Patres, è suo Plantario prodeuntes intueretur; Nec tamen res mira Romanis visa, quod qui in partem egregiorum laborum in totum terrarum orbem exientes venirent, solidissimæ doctrinæ suæ & Religiosissimi Zeli bravîum unà reportarent. Nec enim hi soles, plenis virtutum radiis omnium animis sese infundentes, unquam latere possunt. Certè tantus est Eminentissimus noster Ptolomæus, qui vel summus esse mereatur, nisi felix nostra ætas unà Clementes, Innocentios, & Benedictos faustissima Nomina tulisset, quorum Eximiis Virtutibus non minùs ex æquo Romanum debebatur Solium.

No.

No. XXXIII.

BENEDICTUS ERBA ODESCHAL-CHUS MEDIOLANENSIS.

BEnedictus tit. S. S. Nerei & Achillei Cardinalis Odeschalchus, Mediolanensis, Archiepiscopus Mediolani natus est Anno 1679. in prædictâ Urbe Mediolanensi, quæ opum ditissima, præclarorum ingeniorum partu non minori per Europam famâ inclarescit. Immensas opes inde desumas licet, quòd Sola ea Urbs Joanni Austriaco Anno 1574. jussu Regis Hispaniarum Philippi II. trecentena coronatorum millia pendere jussa; paulò antè quinquies centenis coronatorum millibus ærario Principis illatis; ut adeò tunc annua unius urbis pensio octies centena coronatorum millia facilè conficeret; quin satis constat, sub initium evoluti sæculi in usum Hispanicæ militiæ â Solis Mediolanensibus civibus in singulos dies septena Philippicorum millia fuisse impensa. Præclaros hæc Aurifodina Viros aureo veluti sinu effudit Pontifices Maximos: Alexandrum II. cui tota Anglia denarium, quem Sancti Petri vocabant, persolverat: Celæstinum IV. quem octodecim dierum Pontificem mors propera sustulerat; Pium IV. qui Concilium Tridentinum â Paulo III. inchoatum, integratum â Julio, â se renovatum absolverat, ingenti rei Christianæ bono; cui equidem Concilio toto illo tempore interfuerant quinque Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui Pontificis nomine præsidebant, præter alios quamplurimos: Tres magni nominis Patriarchæ: Tres supra triginta Archiepiscopi: CXXXV. Episcopi: VII. Abbates: Tot diversorum Religiosorum Ordinum Generales Præpositi: nec minùs sex supra centum insignes Theologi, totius Orthodoxi Orbis Lumina longè illustrissima, quorum solidissimam doctrinam subterfugiens Sectariorum quisque, nec quidem comparere ausi fuerant, utut plenis buccis Concilium paulò antè crepuissent. Quales, quantique Ambrosii & Caroli Borromæi Mediolanenses fuerunt? Quot, quámque insignes Episcopi ad ejus clavum Ecclesiæ sederunt? ita ut ex triginta supra centum Episcopis, quinque & triginta Sanctorum fastis illatos constet. Quot Mediolanensibus Purpuræ honorem Sacra Roma dedisti? Borromæis, Odeschalchis, Cusanis, Scottis, Vicecomitibus, Spondratis, Trivultiis, Castilloneis, Alciatis, Plattis, Romis, Meltiis, Littis &c. &c. Quàm docta Lumina Mediolanum peperisti Andream Alciatum, Hieronymum Cardanum, & quos paulò antè enumeravi omnes? A quibus omnibus longiùs enumerandis dum supersedeo, est, cur in Solis Odeschalchis, lucidissimis Mediolani Syderibus, aliquantisper hæream. Inter quos â Sanctimoniâ & insignibus in Christianum Orbem meritis comendatissimus Vir Innocentius XI. Odeschalchus Pontifex Maximus omnium primus occurrit. Is Anno 1676. plenus meritis ad Romanum Solium elevabatur; probè gnarus, quantum suis, utut Athlantæis humeris



BENEDICTVS S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS
ODESCALCVS MEDIOLANENSIS
ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI
CREATVS DIE XXX. IANVARII MDCCXIII.

Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Grat. et Privil. Sac. Cæs. Maj.

meris onus imponeretur, lætissimum Romanis Electionis suæ diem Solus lachrymis celebrabat. Reginam Sueciæ Christinam ad suos prostratam pedes Neoelectus statim vidit, & in Sacræ Romanæ Ecclesiæ gremium receptam Alteram hanc Sabæ Reginam sincerissimo gaudio exultabat. Nepotismus ab ipso, carnem & sanguinem neutiquam respiciente, saluberrimis sanctionibus vapulabat. In victu & reliquis vitæ commodis tanta moderatione utebatur, ut â privato non discerneres. Examen Episcoporum rigorosissimum haberi voluit, ne qui cæteris præessent, lucerna essent, sub modio posita. Alearum lusum severè Romanis interdixit. Legatorum prætensum jus, assylum malefactorum quibuscunque aperientium, restrinxit. Cùm Dei causam curaret, Regum odia vilipendebat; hinc Avenionensem Comitatum, â Gallis Sedi Pontificiæ in tempus subtractum, inter lucra reponebat. Turcarum Tyranno Viennam Austriæ obsidente, quas suis necessitatibus subtrahebat pecunias, in Sacrum bellum impendit. Imperatorem, Polonos, Venetos, ut triplici fœdere adversus Barbaros coirent, virésque unà jungerent, impulit. Planè in causâ fuit, cur Buda Regni caput, cur tota reliqua Hungaria, in Christianorum manus devenerit. Moriebatur Anno 1689. â nemine non pro Sancto habitus, cùm tota ejus vita Sanctitatem spirârit. Illa, qua mors ejus obtigerat, die, è Colosso, in foro Romano posito, ingens gravissimo pondere fragmentum deciderat, manifesto argumento, quantus Ecclesiæ Vir interiisset. Innocentii XI. duo Germani Fratres Marcus Antonius & Carolus Odeschalchi Fraterno Lumine toti quanti micabant. De Marco Antonio satis constat, quod solis Christianæ Charitatis operibus totius vitæ suæ decursu occupatus fuerit; hinc magnificentissimum suum palatium in Hospitale, amplissimam hæreditatem in patrimonium pauperum, aurum omne in monumenta pietatis converterat. Carolus Odeschalchus prolem ex se non degenerem progenuit Livium Odeschalchum, qui Odeschalchorum celeberrimam familiam penè ad regium culmen evexerat; nam ex Polonis A. 1697. non deerant, qui regios fasces huic Principi Sapientissimo æquè ac ditissimo offerebant; sed ille pro eximiâ suâ Sapientiâ probè gnarus, Polonos ex ambientium æmulatione auream messem plerumque sibi deposcere, cavebat scilicet, ne in inexplebilem illam Comitiorum voraginem, pecunias denique suas, spe dubiâ, projiceret. Nec tamen ille minùs insignes Principatus possidebat. In Regno Hungariæ â Leopoldo I. Romanorum Imperatore felicissimæ mem. Comitatum Sirmiensem, postea in Principatum evectum, donum acceperat, ut cùm Innocentio XI. Odeschalcho Hungaria è Turcarum manibus erepta, magna ex parte deberetur, aliquo gratitudinis monumento in Nepotibus compensaretur. Dein Ducatum Braccianum in Patrimonio Petri fiduciario jure à sede Pontificia obtinuit. Insuper Principatum *Ceri* præter alia Funda gentilitia quàm plurima possidebat. Verùm cùm mascula proles huic principi, opibus præpotenti, deesset, illustrissimam Domum de *Erba* ex asse hæredem instituit, ea tamen lege, ut in nomen Odeschalchorum unà immigraret. Et decuit præclaræ stirpis nomen perpetuò apud Posteros vigere, utpote quæ jamdum Caroli Magni temporibus ingentibus per Italiam incrementis florescere occœperat; nam cùm ille, â Lombardorum sæva tyrannide Italiam liberaturus, Alpes superâsset, magnam Gallicæ nobilitatis partem unà secum trahebat, quos inter Odeschalchus Dux bellicosus erat, qui ut victricia per Italiam lilia, expulsis Lombardis exsplicarentur, in medios sæpè hostium cuneos irrumpebat. Postea Italiæ amœnitate invitatus, hunc Europæ hortum longè amœnissimum affluentibus suæ Galliæ delitiis præhabuit. Ejus posteri Agrum Comensem utplurimum inhabitabant, ubi multa Odeschalchorum monumenta reperias, quæ illustrissimæ stirpis antiquitatem satis loquuntur. Sed in Solo Eminentissimo nostro Purpurato Benedicto Odeschalcho satis Orbis habet, unde Clarissimæ magnitudinem Familiæ dimetiatur. Is expertissimæ Princeps prudentiæ, sagaciter

Z omnia

omnia digerit, Principum Aulas, quas percurſavit, ſui admiratione implevit, & cùm fragrantiſſimus virtutum odore flos omnibus videretur, transpoſitus eſt maturè in Romanum Viridarium, ut uberiores fructus progigneret; & verè ampliſſimos protulit. Cùm Anno 1706. Prolegati munere apud Ferrarienſes fungeretur, ii nihil ægriùs ferebant, quàm quòd â ſe ad Sarmatas dimittendus eſſet, ubi tot, támque inſignibus Pontificiis Nuntiis ſterilis huc usque campus arabatur, cùm per æterna gentis inquietæ litigia ad Regni Felicitatem pertingere nunquam liceat. Invenit tamen Odeſchalchus Poloniam amicabili fortunæ variantis viciſſitudine ab hoſtibus liberatam; nam poſtquam Suecorum Rex Carolus XII. cum lectiſſimo LIV. millium exercitu Vcrainiam intrâſſet, Moſcos debellaturus, pro ſperatis palmis, triſtes cypreſſos in patentibus circa Pultavam campis colligebat, & rerum mundanarum fragilitatis, Princeps ceterà generoſiſſimus admonebatur. Spreverat ille tunc, ſuâ videlicet fortunâ ebrius hoſtem, longa armorum tractatione, in Martis arenâ, ſatis exercitatum. Hinc Magnus Moſcorum Dux, inſignem contemptum ſuam fore occaſionem ratus, in ipſa Imperii viſcera præſidentem Regem, ſenſim retrocedendo, alliciebat. Sequebatur ille fugientem, victoriam in eo ſolùm poſitam ratus, ſi modò manus conſerere cum hoſte daretur. Sed aliud Moſco Conſilium erat, cedendo bellum propulſare, hoſtémque viarum incommodis & inediâ fractum demum proterere. Senſit Carolus ſerò nimis, quàm temerario Conſilio in has fraudes ſeſe induiſſet; & in medio hoſtium poſitis omnibus, tot fluviis, densíſque nemoribus â tergo objectis, & cibariis utplurimùm deficientibus, aut cum hoſte, cujus exercitus penè triplô major erat, confligendum, aut intra caſtra fame miſerè pereundum erat. Pugnatum eſt, eô animô, qualis inter integros & penè fame enectos, eſſe ſolet. Ex XXX. Suecorum millibus (tot enim ex longiſſimi itineris calamitatibus ſupererant) novem millia temeritatis pœnam morte luerunt. XIX. millia, armis depoſitis, vitam pacti, hoſtibus ſe dediderant. Rex ipſe cum ſolitâ corporis cuſtodiâ ægrè elapſus, Boriſtenem tranſibat, inde Turciam, periculoſiſſimum aſylum futurum, petiturus. Moverat ea rerum converſio Fridericum Auguſtum Poloniæ Regem, ut è ſuâ Saxoniâ reditum in Poloniam pararet; nec enim credebat, ſtandum iis conditionibus, quas hoſtis armatus contra jus, fâsque extorſiſſet; nec etiam per leges Poloniæ licet, ut Rex ſolio ſe abdicet, niſi integra Reſpublica in id conſenſum præſtet. Is erat Poloniæ Status, cùm Benedictus Odeſchalchus regnum intraret, Felix Sarmatis Boſphorus futurus, quibus *Concordiam, Concordiam* perpetuò occinebat, ſi modò ſanioribus illi conſiliis aures unquam præberent. A Nuntiatura Polonica Romam Odeſchalchus evocabatur, ubi eum Purpura exſpectabat, quam Clemens XI. in Conſiſtorio Secreto habito die 30. Jan. A. 1713 in eum contulerat. Tunc quidem Verba Sanctiſſimi Patris ea fuêre: *Præterea ad majorem Dei gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ Utilitatem, ac decus, creare intendimus Benedictum Odeſchalchum Archiepiſcopum Mediolanenſem, cujus virtutes ſatis vobis compertæ ſunt, & notæ.* Plura dicere Sanctiſſimus Pater in Clariſſimi Viri encomium non potuiſſet. *Videlicet virtus, omnibus nota, encomio non eget.* Romam rediens Odeſchalchus, Viennam allabebatur, Carolum VI. Romanorum Imperatorem longè Auguſtiſſimum, & Auſpicatisſimum de viâ ſalutaturus. Is Principem, ſummis exceptum honoribus, Arcano etiam colloquio adhibuit. Ejus etiam eximias virtutes, prudentisſimus rerum æſtimator Carolus, tanti habuerat, ut Archiepiſcopatu Mediolanenſi in inſignem hunc Virum jamdum A. 1712. 18. Maij collato, eas ſibi condecorandas duceret; eo quidem magis, quòd Innocentii XI. Odeſchalchi inſignia erga Auguſtisſimam Domum Auſtriacam merita, remuneranda ſibi in Nepotibus iterum iterúmque viderentur. Redux in Italiam factus, è Principibus Moſcis unum, Magni Nominis Bojarum, ad Unitatem Eccleſiæ, Græcis erroribus abjuratis, Zeloſisſimus Antiſtes traduxerat. Archiepiſcopatum ſuum tam præſenti curâ moderatur, ut Mediolanenſis Eccleſia omnia Priſtinorum Antiſtitum ſuorum eximia decora in eo uno ſibi reviviſcere ſentiat; Tàm ille cumulatiſſimarum Virtutum Princeps ad commiſſæ ſibi Eccleſiæ Clavum irrevocandus ſedet. Nec ad *Nobiliorem Clavum* ſedere alium conſpicies: Nam *CLAVUM,* quo Amantiſſimus noſter Redemptor, Cruci alligatus, pependit, ipſe Mediolani Archiepiſcopus (qua quidem in urbe aſſervatur) reverenter cuſtodit, & adorat. No,



Damianus Hugo ex Comitibus de Schönborn Buchaim,
Præceptor, seu Commendatarius Ordinis Beatæ Mariæ
Teutonicorum, Germanus S. R. E. Presbyter Cardinalis,
Creatus à SSmo D. N. CLEMENTE PAPA XI. in Con-
sistorio Secreto die 30. Ianuarij 1713. et in simili Con-
sistorio publicatus die 29. Maij 1713.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. Ioh. Christ. Kolb excud. Aug. Vind.

34.

No. XXXIV.

DAMIANUS HUGO CARDINALIS SCHOENBORN GERMANUS.

Damianus Hugo, tit. S. Pancratii Cardinalis Schœnborn Germanus Episcopus Spirensis natus est Anno 1676. ex Illustrissimâ Schönborniorum Familiâ, quam per nostram Germaniam, qui ignoret, non est; nec per reliquas Europæ partes multos futuros autumor, ad quos inclytum Schönborniorum nomen non devenerit. Eucharius Schönbornius, ad quem Illustrissima hæc Familia, quantùm ex Franconicis Annalibus patet, suum ortum refert, circa annum 1180. Equestri inclytus prærogativâ vixerat. Sed primus omnium opum plurimum & claritudinis in eam Illustrissimam Familiam Joannes Philippus Schönbornius intulit, cujus Nativitas incidit in annum 1605. Primorem ætatem sub Hazfeldio, inclyto Cæsareorum armorum Archistratego, in castris posuerat: Sacra dein professus, magnis dotibus per omnes brevì honorum gradus enitebatur, dignum demum sublimi ac magnifico ingenio locum nactus. Herbipolis primò, dein Moguntiæ Infulas, iisque innexum Octoviratum consecutus erat; planè egregius Princeps, atque è Germaniâ laudatissimus evaserat. Modestiâ, gravitate, comitate, sagacitate, variarúmque linguarum peritiâ nobilis erat; ísque etiam in suis, non nisi sua decora, virtutem amabat, & literas. Idem Electioni S. R. Imperii Septemvir intererat, cùm anno 1658. Leopoldus Hungariæ & Bohemiæ Rex in Germanorum Imperatorem Francofurti ad Mœnum eligeretur. Nutabat tunc velut aliò declinatura Imperii Corona, neque tam prompta Leopoldo fuerat, quàm magno hactenus Germaniæ bono in ejus Majoribus constiterat. Sed quò aliàs respicere poterant Sapientissima Septemvirorum Vota? Ea est Austriacorum potentia, is Regionum situs, ut proclamata Germania videatur, si à Piâ Austriâ discedatur; nam si è Germanis instituenda sit Electio, cui Principum tot, quot Austriæ decora suffragantur? Si ad externos respiciamus, in promptu compedes sunt, quibus, mutuis ipsimet dissensionibus collisi, aliorum mancipia evadamus. Id probè perpendens Joannes Philippus Schönbornius, suæ ætatis Salomon visus, pro Austriâ stabat, cùm in quamcunque partem se verteret, meliorem non inveniret. Joannis Philippi Moguntinorum Præsulis Germanus Frater Philippus ErWinus ex equestri Ordine Sacri Romani Imperii Liber Baro diplomate Cæsareo nuncupabatur; quin etiam Dynastia Reichelsperg, in circulo Franconico sita, eidem, ejúsque futuris Successoribus, à Prædicto Joanne Philippo Herbipolensium Episcopo, in perpetuum transcribebatur; Imperatore non modò annuente, sed Philippo ErWino, ejúsque posteris, Votum & Sessionem in Comitiis Imperialibus Cæsareâ authoritate procurante; prout actualiter etiam anno 1671. introductus fuerat. Ejus Philippi ErWini filii à Leopoldo Imperatore, qui insignibus Schönborniorum meritis omnia tribuebat, Sacri Romani Imperii Comitibus annumerati fuêre. eos inter eminet Germanæ Gemma Nobilitatis, Lotharius Franciscus, Archiepiscopus Moguntinus, idémque Imperii Septemvir, & Archicancellarius per Germaniam, Princeps planè incomparabilis, in quo nec invidia quidem inveniat, quod jure reprehendat, & quem Germaniæ, perpetuas

tuas inter turbas fluctuantis Athlantem jure quàm meritissimo nuncupaveris. Ejus Illustrissimus Frater Melchior Fridericus Schönbornius vel ideò felicissimum nuncupandus, quòd filios progenuerit, qui Nominis sui magnitudine Germaniam nostram complexi sunt universam. Philippus Franciscus *natu maximus* Herbipolensium Episcopus, & Franconiæ Dux creatus est Anno 1719. ex multorum etiam designatione Trevirensium Archiepiscopus futurus, nisi ea spes præpropera ejus morte pene in cunis suffocata fuisset. Fridericus Carolus *Secundo genitus*, Sacri Romani Imperii Procancellarius denominabatur Anno 1705. Coadjutor Bambergensis Anno 1708. Et quantus incomparabilis hic Vir in oculis Austriæ est? quantus in totius existimatione Germaniæ, quæ eximii hujus Viri Oracula vix non adorat? Qualis, & Quantus tibi, Sacra Roma erit, quem cùm in Curiâ Senatorem aspicis, pro Aris Mystam ex Zelo intelligis? Deferes aliquando Purpuram (quò sua Eximium Hunc Virum Merita vocant) ut Frater cum Fratre eo geminato Honore fruatur. *Tertius* est Damianus Hugo, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, idémque Spirensis Episcopus, quem mihi singulariter statim postea describendum reservo. *Quartus* Rudolphus Franciscus ErWinus Mariam Eleonoram Charlottam Hazfeldiam lectissimam conjugem nactus, propagator erit Illustrissimæ Familiæ, ad seram usque ætatem, ut speratur, deducendæ. *Quintus* Anselmus Franciscus Schönbornius Dux erat bello inclytus, qui desultoriæ Cæsaris Legionis Ductor, tam ex militiæ legibus ordines ducebat, ut inclytam Familiam, quâm Togâ præclaram, tam Sagô Famosam, haud dubiè reddidisset, nisi mors invida filum, cùm hæc scribo, huic Marti abrupisset. In bello Turcico tam ubique victor cum sua legione erat, ut fulminatricem legionem circumducere, vulgò crederetur. Is ipse certissimo ictu Sclopos ad destinatam metam figens, insignem artem suam probatissimo exemplo in Turcis probabat; cùm enim ex Muselmannis aliqui, quando inani successu Anno 1716. ad TemesWariæ subsidium properabant, propiùs ad Cæsarei equitatûs stationem accessissent, quasi per ludum, quamvis ducentis passibus remotos, volatilium instar avium transfigebat. *Sextus* Franciscus Georgius Ecclesiarum Trevirensis, Coloniensis & Spirensis &c. &c. Canonicus, & Ecclesiæ Collegiatæ Insignis, Sancti Mauritii Augustæ Vindelicorum Præpositus, idémque Imperialis Consilii Aulici Conmembrum dignissimum, Ambidexter in omnibus est, & pro arduis quibúsve negotiis, tam in Ecclesiasticâ quâm Civili Republicâ exantlandis, factus videtur. *Natu minimus* Wilhelmus Marquardus Ecclesiarum Trevirensis, Bambergensis, Spirensis, & Eistadiensis &c. &c. Canonicus, Præposituram Bambergensem suarum suffragio Virtutum obtinuit, pro insignibus suis Naturæ, & Institutionis Schönborniæ dotibus altiùs, altiúsque evehendus; Sed ad Eminentissimum Purpuratum Damianum Hugonem Schönbornium retrogrediendo, is humanioribus literis in Germaniâ maximâ ingenii prorsus eximii comendatione absolutis, statim Romam properabat, ut in Germanico Sancti Apollinaris Collegio sublimioribus scientiis imbutus, ex eo Teutonicæ Juventutis Seminario, & Musarum sede, Talis denique exiret, qualis prævia omnium spe, & indubitatâ destinatione, Schönborniorum sanguis, futurus credebatur. Statim aliæ post alias Ecclesiæ per Germaniam Damianum Hugonem sibi vindicabant. Imprimis Ordini Teutonico Egregius hic Teuto tam insigniter probabatur, ut Præfectura Hassiæ ocyus in eum transferretur, in quâ feliciter administranda, nihil operæ unquam prætermisit. Is Teutonicorum Ordo inchoatus est An. 1191. quando à Celestino III. Pontifice Maximo confirmabatur; nam Friderico Barbarossa Imperatore, & Philippo Galliæ & Richardo Angliæ Regibus fœdus contra Sarracenos pro recuperatione Hyerosolymarum ferientibus, eámque expeditionem Anno 1189. in Palæstinam suscipientibus, receptæ tunc quidem â Christianis Hyerosolymæ sunt; sed cùm multi ibi Christiani remanerent, & linguæ ignari â nullo susciperentur Hospitio, Germanus quidam domum suam in Xenodo-

nodochium converterat, in honorem B. Virginis, cui templum addiderat; Unde Fraternitas Ordinis Teutonici Hoſpitaliorum Sanctæ Mariæ Hyeroſolymitanæ dicta eſt. Hi Equites ſub Regulâ S. Auguſtini vivunt,& quotidie Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolicum, ac Angelicam Salutationem dicere ſolent, ſequentibus Votis obnoxii. I. Obedientiæ, ſuo Magiſtro pacis, bellique tempore præſtandæ. II. Caſtitatis; hinc uſu conjugii arcentur. III. Paupertatis Voluntariæ; hinc nihil proprium poſſident. IV. Defenſionis pauperum. V. In neceſſitate pugnandi contra Turcas. An. 1707. Damianus Hugo Cæſaris Legatus ad Saxoniæ Inferioris circulum ibat, ubi ſummâ Vir Facundiâ, in id ſedulò incumbebat, ne â Gottico Heroë bellum è proximâ Poloniâ in eas regiones, magno publicæ rei detrimento, aliquando inferretur. Poſtea Carolus VI. Imperator ad Tractatum Brunſuicenſem, quo ex Septentrionalibus plagis plures Legati acceſſuri videbantur, ſagaciſſimum Virum ablegavit, ut cruentiſſimo in iis regionibus bello, tanto opum & ſanguinis impendio quàm diutiſſimè geſto, aliquando finis imponeretur. Noverit Damianus Hugo, Pacificator futurus, ſe Philippi ErWini non degenerem prolem eſſe, qui ad Pacem RisWickienſem Moguntinus Legatus miſſus, tunc demum felicem ſe credidit, cùm diſcuſſis bellorum nubilis, Pacis Serenitas Europæ prodiit. Licèt Brunſuicenſis Tractatus optatum effectum tunc quidem conſecutus non fuerit, illius tamen fundamenta pacis jaci coepta ſunt, quæ aliquot poſt annis inter litigantes ſtabilita fuit. Enimverò Damianus Hugo tam ſolerti conſilio in Pacis conſilia incubuerat, ut ejus in firmandâ Concordiâ ſtudium nemini non magnoperè comendaretur. Ipſus Poloniæ Rex Fridericus Auguſtus ea promptitudine, quâ Damianus Hugo publicæ rei favebat, tantoperè capiebatur, ut digniſſimum judicaret, pro quo Sacræ Sedi, ut in Purpuræ Honorem admitteretur, ſupplicaret. Nec diſtulit Sacra Sedes, meritiſſimo Capiti Purpureum Galerum ocyus deſtinare. Ergò in Conſilio ſecreto habito die 30. Jan. An. 1713. S. R. E. Cardinalis equidem creatus eſt; ſed in Pectore Pontificis aliquantum recumbendum erat adamato Romanis Viro; donec in Conſiſtorio habito 15. Maij 1715. demum effunderetur, promulgatione â Sanctiſſimo Patre Clemente XI. iis verbis concepta. *Ad Omnipotentis Dei Gloriam, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ Utilitatem, ac Decus, palam hodiè evulgare ac declarare intendimus Cardinalem illum, quem dudum in Conſiſtorio noſtro Secreto habito die 30. Jan. 1713. creavimus, & in pectore reſervavimus; videlicet Dilectum Filium Damianum Hugonem ex Comitibus de Schönborn, non minùs pietate quàm literis in hoc Collegio Germanico de Urbe ante viginti annos educatum.* Sacrum Biretum, Huic Capiti condecorando, Abbas Morgorlinus Viennam deferebat. Erat tunc Damianus Hugo Hamburgi abſens, ubi Cæſaris Miniſter publicas res procurabat; ſed tam fauſto Nuntio ad ſe delato, in privato Palatii ſui Oratorio Hymnum Ambroſianum ocyus decantari curavit, Deo videlicet debitas acturus gratias, cui ſua, ſuæquè decora Familiæ in acceptis unicè referebat. Inde Viennam Redux ferebatur, è Cæſareis manibus transmiſſum Biretum, Auguſtiori futurâ gloriâ, recepturus. Calendæ Decembris Solemni ei Actui deſtinabantur. Ne longus ſim in ſingulis ritibus & cœremoniis recenſendis, breviusculâ, quantùm ad rem præſentem ſpectat, narratione rem omnem expediam. Primò omnium Eminentiſſimus Purpuratus, magnifico curru, triumphantis in ſpeciem ductus, è ſuis, quas Viennæ conduxerat, ædibus, ad Cæſareum Palatium, circumfusâ currui ingenti famulantium turbâ, devehebatur. Inde ad Baſilicam Divi Stephani itum. Præibant longiſſimo Ordine Cæſarei Proceres. Poſt hos Eminentiſſimus Purpuratus ore, Habitu, & Majeſtate decorus, medius inter Pontificis Nuntium Georgium Spinulam, & Illuſtriſſimæ Venetorum Reipublicæ Legatum incedebat. Poſt Illum Auguſtiſſimus Imperator Carolus VI. (ceu Roſeam ſequitur Phœbus Auroram) pleno ſui Syderis lumine corruſcans gradiebatur. Ponè Hunc Auguſtiſſima Imperatrix, Conſors videlicet Auſtriaci Phœbi Lucina, ſpe Auſtriæ tunc equidem foeta, inauratâ lectica ferebatur. Ubi ad Baſilicam deventum erat, Franciſcus Xaverius Brean S. J. Sacerdos appoſita Panegyride Eminentiſſimi Purpurati & Illuſtriſſimæ Schönborniorum Familiæ in Eccleſiam merita unà com-

plectebatur. Postea suavissimo Musices concentu, solemne Officium decantabatur. Quo finito, Breve Apostolicum recitabatur. Eo perlecto, ad Thronum Cæsareum Eminentissimus Purpuratus reverenter accedebat. Inde Augustissimus Cæsar Purpureum Pileum, in argentea pelvi, eâque inaurata sibi propinatum, in Sacratas manus accipiebat, & mox meritissimo Vertici Coronam Gloriæ, seu rubeum capitis Honestamentum imposuit. Demum Hymnus Ambrosianus in solemnem gratiarum actionem Propitio Numini decantabatur. Quo absoluto, eadem pompâ ad Aulam reditum; Ubi Augustissimus Cæsar summum Honorem Neopurpurato magnificè gratulatus, eum tot suis, tot illustrissimæ familiæ suæ meritis Augustissimæ Domui devotum, suæ in perpetuum gratiæ certum esse voluit. An. 1720. XV. Augusti, die videlicet Assumptæ Virgini Sacra, ut Mens sua, Terris superior, ad Astra unà levaretur, Angelorum Ministerium occupando, sacro Presbyteratus Ordine initiabatur. Biduo abhinc, primam ad Aram Deo Hostiam litabat. Cujus laudabilissimo fervori Innocentius XIII. facilè dedit, ut ex Diaconorum Ordine ad Presbyteros tit. S. Pancratii, destinatum decennium præveniendo, transferret. Cùm ejus Electioni Pontificis An. 1721. Romæ interesset, Romani Satrapæ in eo Principe excolendo, toti fuerant. Princeps Pamfilius magnifico suo Palatio, eundem exceperat. Principis Rospigliosi pretiosissimi currus, quoties exeundum erat, Purpurato Dynastæ præsto fuère. Eodem adhuc anno, asperrimo hyemis tempore, Germaniam repetebat. Cùm per Bonnoniam transiret, in Ecclesiâ Sanctæ Catharinæ Bonnoniensis, ubi Sacrum ejus corpus requiescit, multisque inclarescit miraculis, sacrificium Deo obtulit; eique Ecclesiæ sexaginta pistollettos; ut Divam suis propitiam sentiret votis, obtulit. Redux factus, Spirensi Ecclesiæ suæ irremisso Zelosissimi Pastoris Studio, invigilat. In eo Episcopatu Antecessorem habuerat Fridericum Hartadum, ex liberis Baronibus de Rolling. Hic Eminentissimum Cardinalem Schönbornium suum Coadjutorem nuncupabat An. 1716. 21. Julii; & cùm is An. 1719. vitâ excessisset, Damianus Hugo ad ejus incrementum Ecclesiæ Episcopus successit. Prædicti Episcopatûs antiquitas ex eo colligitur, quòd An. 348. Jesses Episcopus Spirensis Coloniæ Synodo contra Euphratem Arrianum interfuit, & sexto loco sententiam dixit: & is fuerat primus loci Episcopus; quem Episcopatum deinde collapsum â Dagoberto Galliarum Rege renovatum constat. Spirenses Canonici olim, ut & in diversis aliis Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis eadem mensâ & dormitorio utebantur; sed circa An. 969. Balderico Episcopo, qui plurimùm apud Imperatorem Ottonem III. valebat Consilio, Canonici vitam regularem in sæcularem converterant, & ad divisionem provocabant. Urbs â Ruperto Episcopo An. 1057. ampliata fuerat, & pagus spier, ab aquâ ita dictus, adjunctus. Hodiedum inter Liberas Imperii urbes numeratur. Antiquo suo splendore magna ex parte exuta est. Olim certè inter Clarissimas, quot quot Rheno adjacent, censebatur, utpote quæ mille quingentis annis ante Christum natum ædificata fuit. Præsertim in Julii Cæsaris Historiâ *Spira Nemetum* magnam partem sibi vindicat. Sed â Gallis An. 1688. expilata, & in bustum conversa, vix satis è suis ruderibus in hanc usque diem renascebatur. Inde etiam magnum damnum passa videtur, quòd Camerale judicium, securitatis ergo, ab ea Urbe Wezlariam in Wetteraviam translatum fuerit; Hinc factum opinor, quòd cùm alias juxta matriculam Imperii seu Catalogum Indictionem in singulos menses (quos Romanos vocamus) 276 florenos penderet, ea summa ab Imperialibus Ratisbonæ Comitiis An. 1714 ad florenos XXIV. benignè restricta fuerit. A. 1722. Eminentissimus Purpuratus Schönbornius Coadjutor Constantiensis â Joanne Francisco ex Baronibus Schenck de Castell, Principe summorum per Germaniam meritorum, assumebatur. Hic Episcopatus Constantiensis ab urbe Constantiâ dicitur, quam Constantini Magni Pater Constantius contra incursus Alemannorum munierat. Primo origo hujus Episcopatus temporibus Clodovæi tribuitur. Sub Paterno Episcopo A. 1425. ibi Synodus habebatur, cui interfuerunt 26. Abbates, 6. Præpositi, 40. Canonici Cathedrales, 226. Presbyteri, præter Clericos Constantiæ habitantes. Numerata aliquando fuerunt in Episcopatu 350. Monasteria Virorum & Mulierum 1760. Parochiæ, ad 17000. Sacerdotes. A. 1527. Cives Constantienses religionem mutaverant; & postea A. 1548. Augustanam Confessionem suscipere nihilominus recusârunt. Nec etiam librum *interim* â Carolo V. evulgatum acceptârunt. Hinc Urbs in bannum declarata fuit, & Ferdinando Fratri â Carolo Imperatore tradita. Sic ex Imperiali facta fuerat Austriaca; seu felicissima rerum commutatione, repudiatis novarum Sectarum erroribus, Catholica evasit. Hanc Eminentissimus Purpuratus Damianus Hugo Constans Constanter Constantiam reget: Spiram, Religionem, toto pectore Spirans, dum Spiritum trahet, Zelosissimus Antistes conservabit.

No.



Henricus de Thyard de Bissy, Gallus
Episcopus Meldensis, S.R.E. Presbyter
Cardinalis, creatus à SS^mo. D.N.
CLEMENTE PAPA XI.
in Consistorio Secreto die 29 Maÿ 1715.

Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Gratia et Priv. Sac. Cæs. Maj.

35.

No. XXXV.

HENRICUS DE THYARD DE BISSI GALLUS.

HEnricus tit. S. Quirici & Judithæ Cardinalis de Thyard de Bissi Gallus Episcopus Meldensis, natus est Anno 1657. II. Aprilis ex Illustrissimâ Bissiorum in Galliâ Familiâ, quæ Sumos Galliæ Viros persæpè dedit. Eos inter sæculo XV. principem locum obtinuit Pontius Bissius, cujus Poemata ad Gallicum metrum eleganter elaborata hodiedum exstant; sed ea vix ex ephebis egressus publicæ luci dederat. Nam cùm Carolus IX. Galliarum Rex illius Sapientissimis consiliis omnia tribueret, nunquam requietem à laboribus, quamdiu vixerat, Bissius nanciscebatur, Hugonottis Galliam aliis ex aliis indesinenter bellis inquietantibus. (A) Catalauni Episcopus factus, Sacræ Reipublicæ propiùs innectebatur. Et quantùm Catalaunium Parisios propiùs respicit, tantùm ille in Regis Aulâ quotidianus erat. Superum fidem! cum quantis tunc Galliæ calamitatibus luctandum erat? eo res devoluta fuerat, ut edictum Hugonotti extorquerent, ut suos conventus, suæquè religionis negotia liberè exercerent, dummodo extra Urbis mœnia convenirent, donec aliter à Rege decerneretur, seu Usque ad Tridentini Consilii definitionem. Primum bellum Catholicos inter & Sectarios enascebatur An. 1562. comittebatur cruentissima acies ad (B) Druydum Urbem, quæ ab horâ X. ad noctem usque producebatur. Condæus captus erat à Regiis, contra Momorantius regiarum partium in manus Hugonottorum devenerat. In eo etiam bello Henricus Navaræ Rex ceciderat, cùm Rhothomagum obsideret. Nec minùs Franciscus Guisius, Catholicorum armorum strenuus Archistrategus, cùm (C) Aureliam obsideret, proditoriè percussus interibat. Primum illud bellum L. facilè Hugonottorum millia absumpserat. Pax tamen Anno 1563. constituebatur, non diu duratura. Anno 1567. iterum ad arma & secundum bellum civile itum. Condæus Regem ad Meldas Urbem intercipere conatus, spe frustrabatur, Helvetiis strenuè se hosti objectantibus, dum Rex, noctu elapsus Lutetiam teneret. Condæus castris ad (D) Dionisii Fanum positis, Lutetiam obsidebat. Pugnabatur ad Lutetiam inter regios & Condæanos. Cæsus Anna Monmorancius Regius Conestablius. Victoria tamen à Rege stetit. Bissius à latere Regis nunquam discedebat; in eo sumoperè insudando, ne cum hostibus Rex indecorè pacisceretur. Anno 1568. tertium bellum civile enascebatur. Bis justâ acie certatum est, Primo XII. Mart. ad Iarnacum apud (E) Xantones. In eo certamine fusi fugatique erant hostes: Cæsus Condæus & equo dejectus. III. Octobris ventum erat ad alteram pugnam Monconturianam, in quâ cæsis iterum Calvinianis, nobilis victoria, laúsque præclara penes Catholicos exstitit; & Calvinistis magna rerum inclinatio nata est. Pax tamen iterum data Victis est. Annus MDLXXII. Hugonottis per Galliam longè infaustissimus accidit. Carolus IX. Sororem suam Margaritham Valesiam Henrico Borbonio (qui

(A) Chaalon. (B) Dreux. (C) Orleans. (D) St. Denis. (E) Xaintogne.

(qui pro Hugonottis ſtabat, & poſtea Galliarum Rex fuit) nuptui collocaverat. Sed ipſa nuptiarum die (erat Divo Bartholomæo Sacra) dato Campanæ ſigno Calviniani proceres omnes juſſu Caroli Regis, opprimebantur, initio cædis facto â Caſparo (F) Collineo Admiralio, qui multis vulneribus confoſſus de feneſtrâ deturbabatur in viam; ſecuta inde Hugonottorum cujusque generis ſtrages, & ad LX. millia Pariſiis cæſa traduntur. Hinc quartum bellum cum Hugonottis exarſerat, qui (G) Rupellas (ſuam videlicet Spartam) tam ſtrenuè defendebant, ut Carolus Rex XII. millibus amiſſis ad pacem iis quartò concedendam compelleretur. Poſt Caroli IX. è vivis exceſſum Henricus III. in Regno Galliarum ſuccedebat, cui Pontius Biſſius, togatus in aulâ, & ſagatus in acie pro Sancto Fœdere Dynaſta, utrimque laudabilis, ſum̃operè com̃endabatur; miſerabilis tamen tunc per Galliam enaſcebatur rerum cataſtrophe, & videbatur florentiſſimum Regnum, evoluto felicitatis ſuæ curſu, in exitium iturum. Hugonotti victrices copias per Gallias exſplicabánt, & bella, pacificationibus bis térve compoſita, eadem animorum mobilitate reaſſumebant. Geminæ furiæ invidia & ambitio nobilitatem invaſerant. Rex qui capitis inſtar ægra membra tueri ac regere debuiſſet, in voluptates effuſus, omnibus contemptui eſſe cœperat. Qualis animantis eſt vita, ſi quando vis morbi nobiles æquè ignobiléſque partes, ipſam denique membrorum arcem occupavit, in eum adducta locum Galliæ ſalus putabatur. Cúm Guiſiorum Principum potentiam, & ſua Rex præſidia formidare cœpiſſet, de illis clanculum ſuſtollendis, Conſilium cœperat; hinc Henricus Guiſius, Catholicæ Religionis per regnum columen, cùm ad Regem vocatus, primum cubiculum transgreſſus, ad alterum tenderet, multis vulneribus miſerè contrucidabatur. Poſteà Cardinalis Ludovicus Guiſii Germanus frater â viliſſimo ſatellitum, reliquis facinus abhorrentibus, confodiebatur. Peractâ in Galliæ theatro tam lugubri ſcena, contra quam proverbio circumfertur, nullum timeri ab exanimato cadavere bellum, Guiſiorum Principum reliquiæ exangues, atque in cinerem flam̃is edacibus reſolutæ, im̃ane quantum odiorum & armorum incendium per regnum ſuſcitavêre. Maineus peremptorum Guiſiorum frater Lutetiam Pariſiorum cum ingenti militum manipulo accurrebat, & cives Paricidam regem exoſi venienti portas ocyus pandebant. Hinc Rex deſperatâ concordiâ cum Ligiſtis Catholicis, anathemate etiam â Romano Pontifice perculſus, extrema demum inire conſilia neceſſitate compulſus, ſtatuerat; Itaque cum Navarræ Rege, & Hugonottis ſocias vires jungebat, & ad ipſa Lutetiæ mœnia conjunctum exercitum adducebat. Jam Lutetia in acie Novaculæ poſita erat, & Rex ipſe exclamabat: *Grande Galliarum caput es, o Lutetia, ſed cerebroſum, ob intemperiem, quam affluentia gignit, inſaniæ obnoxium; igne mihi, ferróque, & effuſione vitiati ſanguinis curanda es.* Sed quantam rerum mutationem unicus culter Galliæ attulit! veniebat in caſtra pridie quàm urbs expugnanda credebatur, quidam Jacobus Clemens, cultro ancipiti, tam mole, quàm acie horrido, duorum latitudinis digitorum inſtructus. Is remotis, ut flagitaverat, arbitris, procumbens in genua, Regi literas porrigebat, legenti cultrum, quem geſtabat in manicâ, ictu prævalido in ventrem adigebat, immergebátque. Is tamen moriens accerſitum Navarræ Regem Henricum inter ſupremos amplexus hæredem Gallici Imperii declarabat, admonitum, ut ſi regnum, ſéque ſalvum vellet, in Catholicæ Eccleſiæ gremium redire ne gravaretur; Et ut rediret, Pontius Biſſius Catalauni Epiſcopus, qui tertiùm firmatâ gratiâ, in pectore Henrici quàm plurimum dominabatur, effeciſſe ùnà videtur; neque Chriſtianiſſima Gallia aliter ſuſceptura in Regni ſolium Henricum videbatur. Certè Lutetia Pariſiorum mallebat fame interire, quàm acatholicum Regem intra urbis mœnia admittere. Res ſtupenda & flebilis erat fames Pariſienſis, cùm Henricus Navarrus omnes circa aditus inſediſſet. Cùm primùm frumenta defeciſſent, ceteráque frugum meliorum pabula, avenam de-

(F) Colligni. (G) Rochelle.

pafce-

pascebant, cujus modios mille quingentos ad ultimæ necessitatis usum seposuerant. Hæc partim in panem atrum improbi alimenti coagmentata, partim in ollis ingentibus pulticulæ ad modum decocta, exhausta ad ultimum erat, postea coria jumentorum, & pelles fervida maceratas aquâ mandere aggressi, non solùm tenerrima frondium urbanis in hortis, verùm etiam herbarum, radicúmque germina saxis urbis & aggeribus internata, consumpserant. Quoniam jumenta grandiora, equi, mulique ad victum familiarum Principum caro venibant, pauperiores feles, mures, putria id genus animalia, pro delicatis epulis consectabantur. Qui equo merebant milites, ad pedes venerant, aut mactatis in alimoniam equis, aut macie adeò strigosis, & emunctis, ut neque viventes ad usum, neque mortui ad esum sufficerent. Canes injectis in cervices repente collaribus, strangulabantur; quin eò sævitiæ proditum, ut semivivos præ inediâ puellos, jugularent, & in alimentum verterent. A fœminis etiam eodem furore percitis, infantes in materna regerebantur viscera, tragœdiâ Hyerosolymitanâ renovatâ. E contusis insuper exhumatorum cadaverum ossibus, farinam confecerant; neque tamen illuvies tot malorum suadere poterat Catholicæ Lutetiæ, ut de aperiendis Hæretico Regi portis cogitaret; quin omnem ejus rei mentionem in tantum cuncti aversabantur, ut authores non in carcerem ad dicendam causam, sed in (*H*) Sequanam ad luendam pœnam statim abriperentur. Per tot casus fata viam aperuerant, quâ tragœdiam Gallicanam felici exitu exsplicarent; Henrico statim postea facto Catholico, & omnium in eum, tanquam Franciæ & Navarræ Regem animis coalescentibus. Ita Sectarii dedêre Regem, quo Catholici fruerentur, non sine Divinæ Providentiæ Ludo, humanæ confidentiæ vanitatem irridentis; cum tot impendiis opum & Sanguinis, geminæ factiones frustra, imò contra sua Vota laboraverint; Catholici, ut injicerent moram Henrico, felicitati suæ; Sectarii, ut in suam per Gallias perniciem ipsimet festinarent; nam Henricus IV. Primus fuit, qui eorum per Galliam fastum deprimeret. Huc usque & aliquantisper plùs vixerat Pontius Bissius, in aulis Caroli IX. Henrici III. & Henrici IV. gratiosus, inter prospera & adversa, mundanarum rerum vicissitudinem probè edoctus, demum ubi *Salutare Dei* vidisset, cum Simeone exclamans: *Nunc dimittis servum suum Domine.* Mortuus est An. 1604. postquam quatuor supra octuaginta annos supervixisset: suæ etiam Sapientiæ complura monumenta reliquit: videlicet Ephemerides octavæ sphæræ, de cœlestibus asterismis: de Genealogia Hugonis Capetti: varia poëmata: & discursus Philosophicos. Hunc probè Eminentissimus Purpuratus Henricus Bissius imitatur, quem Religionis Zelo summum tota Gallia deprædicat, admirantur exteri, Sacra Roma excolit. Primò omnium (*I*) Tullensem Ecclesiam in Lotharingiæ Ducatu regendam susceperat; cujus primus Episcopus fuerat Divus Mansuetus, sancti Petri Discipulus; inter cujus etiam Episcopos recensetur Leo V. Papa adhuc Vivus, miraculis clarus. Is Episcopatus â Dagoberto Galliarum Rege fundatus fuerat; quo intentiore curâ Henricus Bissius, eam veluti Galliarum in Germaniâ Coloniam, sibi administrandam ducebat. Postea ad Meldensem Ecclesiam Princeps meritissimus evocatus est. Ex Gallorum Annalibus satis constat, quòd Meldis primò omnium Protestantium conventus habiti fuerint: ea etiam Urbs, ejectis Catholicis, An. 1563. Hugonottis paruit. Sed planè Henricus Bissius, (*L*) Meldarum Episcopus, acerrimus Sectariorum profligator est; & quando An. 1716. aliquos eorum clanculum convenisse constabat, eorum conciliabula non modò disturbari, sed ipsos etiam authores corripi, ne malum latiùs serperet, curavit. Insistendum videlicet judicabat Ludovico XV. Galliarum Regi Christianissimo tritis majorum suorum vestigiis. E quibus Ludovicus XIII. Atavus, Rupellis expugnatis, dominatricem per Galliam hæresin dedomuerat, & Ludovicus XIV. proavus qualescunque per regnum reliquias, LXXX. millibus expulsis extinxerat. Ut Meritissimo Viro Regium Favorem magis magísque impenderet Ludovicus XIV. Galliarum Rex, (*M*) Fani Sancti Germani Abbatem in Urbe

(H) Saône. (I) Toul. (L) Meaux. (M) St. Germain.

Parisiensi denominaverat. Ea Abbatia Regios plerumque Principes, longissimo abhinc tempore præpositos nacta fuerat. Præerat ibi Franciscus Princeps Contiacus, Henricus Borbonius, Joannes Casimirus Poloniæ Rex, Jacobus II. Rex Angliæ, Jacobus Franciscus Eduardus ejus Filius, Cardinalis d'Estrées An. 1704. &c. &c. Ipsa Abbatia, nulli Metropolitano subjecta (quæ res in Galliis rara) Pontifici paret. Hoc S. Germani monasterium jamdum Anno 553. Aimoino teste in Parisiensi suburbio â Childeberto Rege exstruebatur consilio S. Germani, tunc Parisiensis Episcopi. Abbatia inhabitatur â Patribus Benedictinis, quorum celebratum Parisiis nomen. Ex tam Magnificâ, verè Regiâ, & Amplissimâ Abbatiâ, in Henricum Bissium collatâ, quantus in oculis Galliæ sit, facilem lector conjecturam capiet. Sed nulla re magis insignem opinor, quàm quòd pro Constitutione *Unigenitus*, quæ tantos per Galliam motus ciebat, juratissimo studio Bissius semper steterit; & si quidem in illo dissentientium opinionum Euripo malacia reddita, rei feliciter confectæ felicitas magna ex parte Bissio debetur. Hinc Rex Galliarum Ludovicus XIV. Hunc Galliarum Herculem, per quem publica salus staret, remunerandum ratus, præter insignes Præbendas, quas regio favore in Eum contulerat, Sacrâ etiam Purpurâ, ne quis in Orbe esset, qui tantum Virum ignoraret, exornandum censuit. Itaque Regias preces ad Sacram Sedem lubens interposuit pro Principe, cui Sacra Roma, utpote Pontificiarum sanctionum Propugnatori acerrimo, non poterat non gratificari. Enimverò Clemens XI. in Consistorio A. 1715. XXIX. Maij habito eundem cum luculenta laudum ejus commemoratione statim S. R. E. Cardinalem dicebat. Promulgantis verba ea fuêre: *Præterea creare similiter intendimus alium Cardinalem, nempe Venerabilem Fratrem Henricum de Thyard de Bissi Episcopum Meldensem, cujus eximia in nos, in Ecclesiam Universam, imò & in ipsam Catholicam Religionem merita, sive pro Ecclesiasticâ libertate tuendâ, cùm Tullensi Ecclesiæ præesset, sive pro Orthodoxæ veritate Doctrinæ propugnanda, postquam ad Meldensem translatus fuit, satis nobis comperta sunt & nota.* Creabatur illa die unà Eminentissimus Purpuratus Damianus Hugo Schönbornius; & sic Germaniæ unà ac Galliæ Votis satisfaciebat in omnem partem vigilantissimus Sanctissimus Pater. Certè Claudium Thyardum Bissium reperio, qui Imperatoriæ Aulæ apud Carolum V. Mareschallus solertissimam Gallorum prudentiam Germanis abundè probaverat, dignissimus Imperatori, rerum æstimatori peritissimo visus, quem ad Adrianum VI. Pontificem in maximè arduis Christianæ Reipublicæ negotiis Legatum dimitteret, quando Germania intestinis Religionum dissidiis tota quanta dilacerabatur; Adeò ut singulari Cœli benignitate Bissios natos opiner, ut collabentis Religionis Athlantes firmissimi ubivis terrarum existant. An. 1715. 28. Julii â Rege Ludovico XIV. Sacrato suo Vertici Purpureum Galerum imponi gestiebat; & fuit ea Coronæ Sacerdotalis Impositio Invictissimo Regi, quem brevi postea mortalitati subductum vidimus, suorum pariter Coronis laborum: Triumphales videlicet manus ultimùm exerebat, Romæ Triumphanti novum Gallicum Herculem, Quesnellianorum Profligatorem Errorum, transcripturus. An. 1721. Eminentissimus Purpuratus Bissius Pontificiæ Electioni intererat, præsentia, consilio, & calculo: cùm in Michaelem Angelum de Comitibus (postea Innocentium XIII. dictum) unanimibus votis iretur. Prout ab omnibus orbis Orthodoxi partibus Purpurati Proceres tunc quidem Romam accurrebant, ita Galliarum Magnificentiam, & Amœnissimum genium, & penè Regiam hospitalitatem singulis exhibebat. In Gallias ubi rediit, Massajum Atheniensium Archiepiscopum Meldis consecrabat; Imò novas Athenas seu Sapientiæ Sedes ædificaturus, magnis Expensis novas Meldis Scholas aperuit, largis etiam Stipendiis pro selectis ingeniis in Theologicâ æquè ac Philosophica facultate assignatis, de Gallia bis optimè commeritus, Semel, cùm Sol Ipse cunctis luceat. Dein cùm Sydera post se relicturus sit, suo videlicet
Sole animata.

No.



INNICUS S.R.E. PRESBYTER CARDIN. CARACCIOL.
NEAPOLITANUS EPISCOPUS AVERSANUS
CREATUS DIE XXIX MAIJ MDCCXV.
ET PUBLICATUS DIE XVI. DECEMBR. EIUSDEM ANNI.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Caes. Maj.

36

No. XXXVI.

INNICUS CARRACIOLUS NEAPOLITANUS.

INnicus tit. S. Thomæ in Parione Cardinalis Carraciolus Neapolitanus, Episcopus Aversanus natus est An. 1654. 16. Dec. ex Illustrissima Carraciolorum Familiâ, quæ vetustate inclyta, opibus præpollens, Dynastiis ampla, togâ sagóque clarissima, Religione pia, sapientiâ famosa, utilitate probata, inchoata virtute, propagata literis, felicitate consumata, nominis sui splendore totum Regnum Neapolitanum complectitur. Ex Græciâ, sapientum Patriâ, Illustrissimi Carracioli originem trahunt. Inde ad Regiam Parthenopen (nunc Napoli) transgrediebantur; credo ut ea in urbe, literarum studiis jamdum Ciceronis, Virgiliíque ætate clarissimâ, suæ sedèm ponerent sapientiæ, aut ut Cumis proximi, è Tripode loquerentur, aut Ciceronis Puteolos nacti, ore facundo oracula funderent, aut in Capuanâ Urbe, Romæ olim æmulâ, potentiam firmarent, aut Nolam sortiti, ad cultum Numinis populos convocarent. Hoc indubitatò constat, quod jamdum IX. Sæculo Carraciolorum nomen per Regnum Neapolitanum inclytum viguerit; sed ad Petrum quemdam Carraciolum, qui XII. Sæculo vixit, generis seriem referunt, cui duo filii Gregorius & Landulphus obtigerant; inde duæ inclytæ Carraciolorum Stirpes, Rossiorum & Pisquitiorum. Carraciolorum Magnitudinis manifestum argumentum est, quòd quinque S. R. E. Cardinales, Unus Patriarcha, XVII. Archiepiscopi, XXIV. Episcopi, IX. bellicâ gloriâ celeberrimi, & primi nominis Duces inde prodierint; ut adeò Illustrissimam hanc familiam planè Seminarium fuisse constet, unde sacra æquè ac Profana Respublica Viros, in magnæ terrarum partis salutem progenitos, evocârit. Principatibus tam potentes erant Carracioli, ut Sansovinus XII. Principatus, XXVII. Ducatus, XXVI. Marchionatus, & Comitatuum duplicem numerum referat, quorum tituli aut possessiones potentissimis Carraciolis adscribebantur. Sed ego nulla re magis celebrandos opinor, quàm eximio Religionis Studio, pro quâ strenuè tuendâ sagati in armis stabant, togati in curiis laborabant. Eos inter, ut complures alios hîc prætermittam (quorum tamen egregiis nominibus non abstinebo, cùm Nicolaum Carraciolum S. R. E. Cardinalem paulò post comemorabo) jure perquam meritissimo nuncupandus venit Innicus Carraciolus, Eminentissimus noster Purpuratus, qui Sapientiâ & Pietate summus, comeritus est, ut ad Honores, ad Purpuram, ad Episcopatus, sicque unà in partem egregiorum laborum, in Christianâ Republica obeundarum, â Sacrâ Româ evocaretur. Primò Clericus de Camerâ dictus, solertissimum ingenium Clementi XI. qui charissimum habebat, statim comprobabat. Inde Ephesiorum Episcopus, ab eodem Clemente denominabatur. Ephesus Joniæ Urbs est antiquitate & amplitudine, templóque Dianæ nobilitata inter Meándrum & Caistrum fluvios sita, & Asiæ olim Lumen nuncupatum. Istud Dianæ templum â totâ Asiâ quadringentis annis exstructum fuerat; inter septem Orbis miracula olim habitum. In eodem templo inter cœtera fuerat Hecatæ Statua, in ejus contemplatione æditiuus admonuit oculis parcere;

cere; tanta fuerat, teste Plinio, marmoris radiatio. Eadem die templum illud conflagraverat, quâ Alexander Magnus Pellæ nascebatur, incendente Herostrato, ut imortale sibi per malefacta nomen compararet. Ephesii mandatum ediderant, ne quis infaustum hominis facinorosi nomen deinceps ore proloqueretur; nec tamen, quò minùs id, quod voluit, consequeretur, prohibere poterant. Ecclesia, quæ Ephesi erat, â sancto Paulo, qui anno à Reparata nostra salute LV. eò venerat, & toto triennio ibi morabatur, exstructa fuerat. Postea S. Joannes Evangelista eidem præfuit usque ad tempora Trajani ad An. Christi 101. quô placidè exspiravit; cùm antea sub Domitiano ferventi oleo Romæ fuisset imersus, & in Patmon Insulam relegatus, demum sub Nerva ad Ephesios rediisset. Eadem in Urbe Beatissimam Virginem, post Christum passum, domicilium fixisse, non desunt, qui scribant. Lex Ephesiorum fuerat, quæ jubebat: *Recordari quotidie alicujus veterum, qui honestè vixisset.* Enimverò Innicus Carraciolus Ephesiorum Episcopus creatus, semper ante mentis oculos Illustrissimorum Majorum suorum Vivam Virtutum Imaginem habuerit, quas sibi imitandas, & ex integro in se exprimendas ducebat. Intuitus fuerit Marinum Carraciolum, qui à Leone X. cum Hyeronymo Alexandro ad Carolum V. neoelectum Imperatorem missus, in comitiis Wormatiæ habitis omnem lapidem movebat, ut hæresis, per Germaniam exorta, in semine suffocaretur. Respexerit in Carolum Andream Carraciolum, qui An. 1634. in prœlio Nordlingano causam Catholicam strenuè propugnaverat. Nam cùm Innicus Carraciolus A. 1712. apud Helvetos Pontificis Nuntius moraretur, omnia intestinis dilacerata dissidiis vidit. Abbati Fani Sancti Galli cum Toggiensibus, qui ejus ditioni subsunt, lis enascebatur; cùm Helvetæ Religionis homines sua privilegia per eum comitatum ab Abbate imminutum iri conquererentur; is rebellibus, ut judicabat, subditis non cedendum ratus, arma in eos parabat; contra Tigurini & Bernates causam Toggensium, armatâ non minùs manu defendendam susceperant. Indigna res visa Quinquepagicis Catholicis, videlicet Lucernensibus, Uranis, Suiciis, Unter Waldiis & Tugianis, seditiosos adversus Principem subditos, â Tigurinis & Bernatibus foveri; hinc & ipsi arma avidè arripiebant, antiquam gentis suæ gloriam respicientes; nam â se Ann. 1531. contra eosdem Tigurinos & Bernates magnum aliquid patratum fuisse, neutiquam ignorabant. Verùm enimverò prædicto anno MDXXXI. Hi Quinquepagici tribus proeliis insigniter hostes profligaverant. Prima acies committebatur XI. Oct. apud Capellam Monasterium, cùm Tigurini Suicios, Tugianos, & Unter Waldios invaderent: Catholici fugam simulabant, ut in paratas insidias hostem pellicerent. Mox ex insidiis valido agmine prorumpentes, Tigurinos in fugam compellebant, MD. Cæsis, & in iis malorum omnium incentore & Capite ZWinglio. Secundum prœlium conserebatur XVII. Octobris, cùm Tigurini, præteritâ clade exacerbati, accitis Bernatibus ad triginta hominum millia intra paucos dies contraxissent, eósque adversus Catholicos in aciem producerent. Occurrebant imperterrito animo Quinquepagici, quorum totus exercitus octodecim millibus constiterat. Iterum Superis pro meliore stantibus causa, ZWingliani fundebantur, flumen quingentos absorpserat, in conflictu septingenti cæsi fuerant. Tertium & Ultimum prœlium XXIV. Octobris ejusdem anni committebatur; cùm enim Tigurinos, & Bernates, quòd plurimi â paucis in fugam turpiter acti & superati essent, pessimè haberet, in auxilium sibi adsciscebant Basileenses, & Schaffhusianos, & Sangallios, ac Mullhusianos, eo Consilio, ut noctu Catholicos imparatos invaderent: non latebat Quinquepagicos, quid illi machinarentur, jubebántque suos, interulas lineas armis superinducere, ut eo Symbolo possent alii ab aliis internosci. Ubi ad pugnam ventum erat, tam fortiter Catholici in ZWinglianos insurgebant, ut aliquot eorum millia cæderentur. Statim postea ZWinglianis iterum turpiter discedendum erat; nam cùm quinquepagici processionem ad Ecclesiam B. Virginis Einsidlensem,

ſem, miraculis celeberrimam, proceſſionem decreviſſent, â ſenibus, pueris, fœminis, Virginibus, omníque imbelli turbâ peragendam, tulerant eum de ſe triumphum ZWingliani quàm ægerrimè, jámque conſtituerant, illam ædem evertere, & imaginem B. Virginis in fruſta conciſam, igni abſumere; ſed ille tam Barbarus conatus multo illis ſanguine conſtitit; nam â Catholicis, ſtrictis pugionibus excepti, egregiè vapulabant. Ita illo tempore ſe res habebat; verùm in eo, quod An. 1712. Quinquepagicis cum Tigurinis & Bernatibus interceſſerat bello, ſecus omnia acciderunt; Deo ita ordinante, ne in hominum unquam confidatur dextris, ſed Solum Brachium Dei excelſi in Spiritu Humilitatis agnoſcatur. Tunc quidem Sanctiſſimus Pater Clemens XI. neutiquam omiſerat, ut pro eximio ſuo in rem Catholicam ſtudio qualiacunque Subſidia, quantùm ſummæ in illa temporum calamitate Apoſtolici ærarii patiebantur anguſtiæ, memoratis Pagis alacri animo conferret. Illos inſuper Paſtoralibus monitis vehementer excitare non prætermittebat, ut forti ſtrenuóque animo pro aris & focis pugnarent, ac mutuam imprimis, & in eo rerum ſtatu, ſi unquam aliàs, maximè neceſſariam animorum, conſiliorúmque concordiam foverent. Enixis præterea Officiis Orthodoxos reges adhortatus & obteſtatus fuerat, ut afflictis illic Catholicorum rebus, celeri validáque ope ſuccurrerent, conjunctiſque Studiis Acatholicorum conatus & audaciam coercerent. Pontificiorum mandatorum interpres Innicus Carraciolus, diu noctúque laborabat, circumcurſabat, & ad rem non ſegniter gerendam Orthodoxos adhortabatur; ſed juſtiſſimus Deus, & in judiciis ſuis incomprehenſibilis, qui jam olim Iſraelitas electum â ſe populum, multiplicatis eorum peccatis irritatus, in manus Aſſyriorum, Philiſtæorum, Ammonitarum, Moabitarum, & Jebuſæorum &c. &c. tradiderat, etiam hîc â Fidelibus Helvetis ſuis manus retrahere viſus; iterum porrecturus, ſi alterius partis peccata ingraveſcant. Tigurini & Bernates, ingenti exercitu contracto, qui triplô quàm Catholicorum major erat, in Sangallenſem ditionem irrumpebant. Statim urbs Mellinga, quæ Urſæ fluvio adjacet, & Wila, haud procul Fano Sancti Galli ſita, interceptæ fuerant. Ipſum Sangallenſe monaſterium direptum: Auri, argentíque ingens pondus, Eccleſiæ paulò ante ornamentum, in prædatorum manus, belli veluti jure, veniebat. Complura tormenta, mortaria, & reliquus belli apparatus, humi defoſſus, eruebantur. Publica monaſterii documenta inter manus lacerantium deperibant. Pulcherrimum Organum, in profanos uſus aptandum, avehebatur. In cellis, doliis in fruſta conciſis, vina medio corpore tenus alicubi fluebant; hinc factum, ut militum aliqui, melle eo nectare inebriati, novi mortis genere in vino naufragium fecerint. Campanæ, ut ſuo funeri præluderent, unanimi concentu, unius horæ ſpatio, concrepabant; poſtea inter belligerantes dividebantur, nova metamorphoſi in bellica tormenta tranſituræ. Earum una, quæ quadraginta ſupra centum Centipondia ſuo pondere æquabat, Tigurinis ceſſit, & ſex ac quadraginta funalibus equis avehebatur. Movit ea res Quinquepagicos, ut in hoſtem, prædâ prægravem, ocyus moverent. Haud procul Primâ Quardia (Bremgarten) quatuor eorum millia in inſidiis collocabantur, ut in hoſtem, temerè progredientem, ex improviſo erumperent. Fraude patefacta, juſta acie 28. Maij decertandum erat. Victoria â Bernatibus, cum quibus ſolis res erat, ſteterat. E Catholicis DC. deſiderabantur. Sauciorum major numerus erat. Non pauciores quingentis Captos Bernates abduxerant. Statim Urbs Prima Guardia, & poſt eam Bada Victoribus portam pandebant. Nec tamen Quinquepagici animum deſpondebant; ſed novo cum hoſtibus prœlio XXV. Julii haud procul Villmerga (in liberis, ut vocant, provinciis ſitâ) congrediebantur. Iterum eadem fortuna partium fuit; nam licèt Catholicis initia prœlii faverent, ultima tamen longè infauſtiſſima accidebant, tribus eo-

rum millibus cæsis, totidem captis, & omni apparatu bellico in hostium manibus destituto. Ea tamen Victoria Bernatibus multo impendio steterat, ita ut inter passos mutua armorum damna facilis concordia coalesceret; præsertim quòd munitissimâ Ruperti villâ (RaperschWeil) amissâ, Catholici suis diffidere armis cœpissent; contra Tigurini & Bernates haud immerito subvererentur, ne cùm ipsi cum Catholicæ Religionis hominibus acri bello colliderentur, tertius, veluti Pacificator, superveniret, utrosque absorpturus. Et jam Imperator ex unâ, ex alterâ parte Galliarum Rex Ludovicus XIV. Helvetiæ propiùs armatum militem admovebant, aliorum detrimenta, si porro in bellum animi prurirent, suum facturi lucrum. Rem subodorati Helveti, sibi ipsi pacis leges dictârant, nullo alio partium medio, & veluti sequestro, tunc quidem admisso: Ea Pax vel ideo impetratu facilis erat, quòd pagi Friburgensis, Solodorensis, Basileensis, Schaffhusianus, Abbatiscellensis & Claronensis eidem bello se neutiquam in eam usque diem immiscuissent; nec etiam immiscere poterant, nisi totam unà Rempublicam eversam vellent. Horum imprimis sedulâ curâ efficiebatur, ut pax inter belligerantes eâ lege stabiliretur, ut Ruperti villa, Comitatus Badensis, Mellinga, Prima Quardia &c. in Tigurinorum & Bernatium manibus tamdiu relinquerentur, donec omnium securitati cautum esset, sibique de expensis, quas in id bellum insumpsissent, satisfactum foret; postea omnia bona fide, ad suos Dominos redirent; & pleraque redierunt; credo, ne nova belli materies hominibus, quorum salus in unà pace posita, diu retentis, quæ restituenda essent, offerretur. Innicus Carraciolus toto eo tempore in eo unicè erat, ne Orthodoxa Helvetia indecorè cum hostibus pacisceretur; concoquenda tamen erant qualiacunque detrimenta religiosissimo Antistiti, cùm Europæ Principum nemo reperiretur, qui aliorum commoda suum periculum Pace Rastadiensi tam recenti, facere vellet. Anno 1715. Innicus Carraciolus, suis præcisè commendatus meritis, & in periculosissimis Sacræ Reipublicæ temporibus, apud Helvetos moratus, iisque, quantùm in se erat, ut fortes essent, strenuis adhortationibus animatis, nec etiam post rerum infortunia derelictis, sed ad certissimam fortunæ reflorituræ spem erectis, Cardinalis factus est, creatus equidem XXIX. Maij, nec tamen ante XVII. Decembris promulgatus. Verba Clementis XI. promulgantis ea fuère. *Intendimus insuper hac ipse die declarare & palam evulgare Innicum Carraciolum, Episcopum Aversanum, cujus præclaras, ac Sacro Antistite verè dignas virtutes, nemo ex vobis est, qui ignoret.* Hæc â Pontificio Oraculo de Eminentissimo Purpurato Innico Carraciolo dicta fuisse, satis sunto, & integri libri instar. Solummodo de Episcopatu Aversano est, quod commemorem. Ea urbs nunc Arpino vocatur (olim Atella nuncupabatur, Capua inter & Neapolim sita, Volscorum Juris) Patria fuerat Caji Marii, qui septies Consul Romam regebat. Marcus Tullius Cicero illud Eloquentiæ famosissimum Lumen, tercentum inde passibus progenitus fuerat. Robertus Guiscardus Normannus ex Apuliæ ducibus munitissimam ibidem arcem exstruxerat, ut Neapolitanorum cervicibus incubaret. Ego Eminentissimum Purpuratum Innicum Carraciolum Cajo Mario multùm equidem majorem reputo, quantùm plus est, Sacræ Reipublicæ Navem, validis ventis hinc inde incumbentibus, feliciter regere, quàm Consulares Fasces Romæ tenere: Ciceroni æquiparo, cùm in omnem partem facundus, pronas omnium voluntates per Helvetiam attraxerit: Arcem denique credo, non quæ tibi Sacra Parthenope terrori amplius esse queat aut velit; sed quam, ceu *Arcem Refugii* ames unà & verearis.

No.



BERNARDINUS SCOTTUS MEDIOLANENSIS SACRÆ ROTÆ AUDITOR
ALMÆ URBIS GUBERNATOR ET VICECAMERARIUS
S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS CREATUS A SS.^mo^ D.N. CLEM. PAPA XI
IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXIX. MAIJ MDCCXV.
ET IN SIMILI CONSISTORIO PUBLICATUS
DIE XVI. DECEMBRIS EIUSDEM ANNI.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

No. XXXVII.

BERNARDINUS SCOTTUS MEDIOLANENSIS.

BErnardinus tit. S. Petri in Monte Aureo Cardinalis Scottus Mediolanensis in hanc vitalem auram procreatus est An. 1656. 16. Oct. cui patria Mediolanum obtigit, quod sui amoenitate soli totum orbem invitavit, ut arreptis etiam armis hunc Italiæ hortum longè pulcherrimum sibi vindicarent. Credo equidem vix ullam in toto terrarum orbe urbem reperias, quæ pluribus casibus defuncta fuerit, & ita defuncta, ut semper splendidior ex cineribus renasceretur. A Gallis diu ante Christum natum ædificata, sub finem Sæculi IV. Romanis, quorum victricia per totum terrarum orbem arma circumferebantur, in potestatem cessit. Eo quidem tempore â Maximiano Herculeo, Herculea vocabatur; Herculi magnificum templum exstruebatur, quod eo loco positum erat, ubi nunc ædes S. Laurentii exstant. Temporibus S. Ambrosii ab Arrianis Urbi insidiæ struebantur; sed quidam ex vetustissimâ Tassiorum Familiâ, turrim suæ demandatam curæ, strenuè adversus irruentes tuebatur: inde Tassiorum de la Tour inclytum nomen. A. CCCCLII. ab Attila Hunnorum Rege funditus evertebatur. Vitiges Gottorum Dux, centum & quinquaginta millium exercitu Italiam ingressus, A. 539. præclaram urbem capiebat, vastabátque. A. 568. Alboinus Longobardorum Rex Mediolanum occupabat, & longo jugo premebat; nam Longobardis ducenis plusquam annis usque ad Caroli Magni tempora parebat, & Lombardiæ, â Longobardis dictæ, caput evaserat. Carolus Magnus, Desiderio ultimo Longobardorum Rege A. Christi 774. ad Ticinum capto, Urbem Mediolanensem Imperio subjiciebat. Friderici Barbarossæ temporibus, Mediolanum ad libertatem aspirabat; sed Imperator cives ferro, fame, pestilentiâ domuit: urbem etiam penitus delevit, humo sale conspersa, & terram aratro scindens, ne aliqua ædium vestigia restarent; impedire tamen non potuit, quo minùs inclyta Urbs, adamata Italis, communibus Italiæ impensis reædificaretur. Postea à Carolo IV. qui regnavit ab A. 1337. ad A. 1378. Joanni Galeazio è Vice-Comitibus Mediolanensibus ejúsque posteris perpetuus Vicariatus per Lombardiam summo Imperii detrimento concedebatur. Dictus Imperator, multis Imperii ditionibus oppignoratis, aut abalienatis, Aquilam Imperii miserè deplumaverat. Friderico Marchioni Misniæ, contra se electo Imperatori 10000. marcarum solverat, ut Imperio cederet, & post eum Gunthero SWarzenburgico Turringo 22000. marcarum, & duo oppida in Thuringiâ dederat, ut & ipse acquiesceret. Regnum Arelatense, quod complectebatur Burgundiam, Lugdunesem agrum, Delphinatum, Sabaudiam, & Provinciam, unius prandii gratiâ in villa novâ prope Avenionem Galliæ Regi tradiderat. Sedecim civitates, ad Imperium pertinentes, vicinis principibus cesserant. Ut Filium suum Wenceslaum, monstrum illud hominum, ad Imperium promoveret, cuique electorum centum florenorum millia promiserat, cúmque iis solvendis non esset, telonia Imperii abalienavit. Hinc Maximilianus Imperator dixisse fertur, quòd eò pestilentiorem pestem Germania non habuerit; Nam reditus Imperii, qui adhuc tempore Barbarossæ 60. Tonnas auri conficiebant, hodie nimiò plùs decreverunt. Wenceslaus Caroli Filius, qui totum Imperium vendidisset, modò emptorem invenisset, prædicto Joanni Galeazio Vice-Comiti, ingenti pecuniâ numeratâ, Ducatum Mediolanensem A. 1395. omninò permisit. A. 1447. postquam vita excessisset Philippus Vice-Comitum ex hac familia ultimus, sine liberis ex legitimo matrimonio natis, Mediolanenses formám Reipublicæ constituebant; inde cruento-

rum


rum origo bellorum enascebatur; nam Alponsus Arragonus Ducatum ad se trahebat, quod se diceret ex testamentò defuncti hæredem; nec minùs Carolus Dux Aureliacensis Gallus principatum sibi vindicabat, quòd filius esset Valentinæ, quæ Soror erat hujus Philippi: Tertius Competitor accessit Franciscus Sphortia, qui connubio sibi junctam habebat Blancam Mariam Philippi filiam, quam tamen is extra matrimonium susceperat. Hic populi favore & Venetorum viribus innixus Ducatum occupabat, cujus possessio Ludovico Mariæ Sphortiæ, quem cognomento Morum dicebant, ab Imperatore Maximiliano I. stabiliebatur, ubi is quadringenta florenorum millia pro eo favore sibi impenso, Cæsari solvisset. A. 1523. Rex Galliarum Franciscus, antiqua sua jura repetens, Mediolanum invadebat, eo eventu, ut ipse cum præcipua parte nobilitatis Caroli V. Captivus fieret. Ann. 1535. Franciscus Sphortia improles decesserat; hinc Carolus V. Imperator Ducatum Philippo I. filio suo jure fiduciario transcripserat. A. 1700. Carolus II. potentissimæ per Hispaniam Austriacæ familiæ ultimus surculus, exaruit gravissimum Europæ bellum post se relinquens. Statim Ducatus Mediolanensis à Philippo V. Andegavensi occupabatur; sed ea fuerat Caroli III. (quem nunc Imperium V. nuncupat) fortuna, ut invictissimi Herois sui Eugenii forti dextrâ eum Ducatum è hostium manibus A. 1706. extorqueret. Magna igitur Sponsa, & Opulenta fuerit oportet, quæ tanto ambitu â tot procis expetebatur. Sed Huic Helenæ nunquam deerant celebratissimi per eum Ducatum Scotti, qui Vice-Comitum, Sphortiarum, Austriacorum & Gallorum variata alia post alia Regimina ita transiverant, ut intemeratæ fidei laudem ubivis retinerent; & si alicubi vela obliquanda erant, ex Sapientiæ præscriptu tempori cedebant. Enimverò rerum gestarum Gloria Gentiles suos ex integro adæquat Eminentissimus Purpuratus Bernardinus Scottus. Si Herculeam Mediolanum dicamus, Herculem Eminentissimum Scottum statuamus, qui Vitiorum Hydras, ut paulò post intelligemus, saluberrimis decretis dedomuit; si Fridericus Ænobardus, Sale disseminato, Mediolanum evertere connisus est, Sal Sapientiæ Eminentissimus Scottus est, qui saluberrimâ doctrinâ patriam condiat. Si Arriani vapulârunt sub Ambrosio, Quesnelliani Scottum acerrimum Sacræ Religionis propugnatorem senserunt. Si Carolus Magnus victricia per Lombardiam vexilla exsplicuit, Illustrissima Scottorum familia, quæ præclarissimos Viros Patriæ dedit, fidem per tot Sæcula intemeratam in eâ servavit. Si Galeazii & Sphortiæ Mediolanum illustrârunt; Scotti patriis contenti Dynastiis ambitiosos longè præibant. Si Carolum III. & Philippum V. venerabundo nutu Mediolanum adoravit, utrique ambidextra, & Prudentissima Scottorum Familia ex æquo satisfaciebat. A. 1711. Sacræ Rotæ Romanæ Auditor Bernardinus Scottus â Clemente XI. denominabatur: â Carolo VI. qui meritissimum Virum non vulgariter æstimabat, proponebatur. Dicasterium *della Rota Romana*, ut vocant, in maximis quibusve, per Christianum orbem super Ecclesiasticis præbendis enatis disceptationibus, discutiendis allaborat. Gravissimi ei judicio Viri, numero duodecim ex omnibus gentibus selecti præsident. Ex Germanus Unus, Unus ex Gallis, ex Hispanis duo, octo ex Italis assumuntur. Sacra Roma tres, Reliquæ Urbes, Italiæ Principes, Venetiæ, Bononia, Florentiæ, Mediolanum, & Ferrara singulæ unum pro se Auditorem submittunt. Eodem tempore Bernardinus Scottus, Caffarelli loco, Gubernator Romanus, summo Pontificis in eum favore, deligebatur. Erat acri Vir ingenio, & justitiæ ad amussim expediendæ juratissimus; nullius favore in alterutram unquam deflectens partem; prout in virtutes offendebat aut vitia, Probis *Sydus benignum*, ast *Tonans Jupiter* malefactoribus. In infames mulierculas & juvenum pestes severissima Decreta pronuntiabat, eo eventu, ut eâ peste Roma, Sanctitatis Sedes, magna ex parte liberaretur. Populo in amoribus erat, cùm latrocinia, furta, & nocturnæ expilationes, hoc Catone ad clavum sedente, rarò in populosissima urbe audiren-

direntur. Quando Pestis A. 1713. Viennæ in Austria, Pragæ in Bohemiâ, & Hamburgi ad Albis ostium sito grassabatur, tam ille in peregrinos in eô rerum articulo rigorosius existebat, quàm aliàs prono favore è remotis terris allatam Sapientiam reverebatur. Regina Poloniæ, Joannis Sobieskii relicta vidua, Romam transgressa, ad se venientem Gravissimum Virum, nihil cunctata, iis honoribus exceptum voluit, quos Regiis Legatis, Sarmatici Solii Regina, impendere solita. Planè Scottus insignibus animi dotibus tantus in oculis Romanæ Urbis evaserat, ut comunibus Votis obsequendum Sanctissimus Pater ratus, Sacro Purpuratorum Collegio eum A. 1715. 16. Maij annumeratum voluerit. Clementis in eum encomia gemino veluti verbo comprehendebantur, quô dixisse videbatur omnia. *Intendimus* (ajebat) *Cardinalem promulgare* (nam in Consistorio Secreto habito 29. Maij ejusdem anni reservatus fuerat) *Bernardinum Scottum Rotta Romanæ Auditorem, almæque Urbis nostræ Gubernatorem, pari cùm JUSTITIÆ ac PRUDENTIÆ laude, utroque munere perfunctum.* Justus erat, malefactorem in tota Urbe Romana nunquam passus impunitum; prudens, nam ad ipsos etiam juris apices in judicando, ut sobriè pronuntiaret, respiciebat. A. 1717. 20. Junii in locum Fabritii Spadæ, quem mors subtraxerat, Præfectus Signaturæ Justitiæ creabatur; & justissimum tunc equidem Sacra Themis nanciscebatur Judicem, qui litium ambages abrumpit, & jus suum cuilibet ita administrat, ut etiam citò administratum intelligat. Ne egentium unquam deesset necessitatibus, Siculos Sacerdotes opum suarum impendio aluit, quos Regis Sardiniæ Ministri, Monarchiam Siciliæ recoquentes, vi cujus nimiam in Ecclesiasticos potestatem sibi arrogabant, ceu inobedientes inde expulerant; merebantur Refugi, Catholicæ Ecclesiæ Obedientes filii, ut ab Eminentissimo Purpurato Scotto, Urbem Refugii cunctis aperiente, opiparam reciperentur. Eodem anno in Ecclesia Nationali Mediolanensium, quæ Divis Ambrosio & Carolo Borromæo Sacra est, Princeps verè patrius, præficiebatur. Cùm eam primò Ecclesiam, magnifico stipatus comitatu, intraret, septem gentiles mytrati Antistites venientem excipiebant. Inde ad suum subsellium, pretiosissimo conopœo desuper pendente, deductus, Divino Officio magno pietatis sensu intererat, & præsentissimo gaudio exultabat, Patriam Mediolani sui, cui Spiritum deberet, Ecclesiam, suæ demandatam curæ, ut pro vitali aurâ, quam hauserat, multiplicato fœnore, popularibus salutem redderet. Sacro Officio ad Finem deducto, Hymnus Ambrosianus decantabatur, festa ballistarum explosione, & campanis lætè per äera concrepantibus. Postea convivio opiparam instructo, Populares Antistites adhibebantur; & ut illius diei lætitiæ geminaretur, ab Eminentissimo Purpurato Annibale Albano lætissimus nuntius aderat, qui convivanti denuntiabat, magni nominis Abbatiam, in Urbe Cremonensi, cum ditibus reditibus, Pontificis Clementis favore in eum collatam. Sed paulò post nitidissimum hoc Mediolanensium gema pene extinctum fuisset; nam in villâ suâ suburbanâ (capracolam vocant) cùm ut ab imensis laboribus paululum respiraret, eò se contulisset, pene Spiritum amisit & vitam. Accessère graviter decumbentem Eminentissimi Purpurati Corradinus & Albanus, & prout pene declamatum Charissimum Caput luxerant, ita restitutum sanitati, Patriæ, & Sacræ Reipublicæ necessitatibus, sincerissimo gaudio lætabantur. Postea ad Sacras Ædes Lauretanas peregrinabundus accesserat, ut Magnam ibi Matrem, tot prodigiis per Orbem celebrem, de genu veneraretur. *Sacræ illæ Ædes, in quibus Divina Virtute obumbrante, Verbum incarnatum est, ex Asiâ A. 1291. sedente Nicolao IV. Pontifice, in Europam celebratissimo per orbem miraculo, deportabantur. Nam cùm Sacrâ Palæstinâ, Christianorum Principum fœdâ discordiâ, amissa, & Turcici jugi facta fuisset, Deus Optimus Maximus, cujus Velle posse est, in Christiani Orbis solamen, & ut perpetuum apud nos haberemus summi beneficii, à Cælis præstiti monumentum, clementissimè ordinavit, ut prædictæ ædes, Angelorum ministerio, in äera levarentur. Quingentorum milliarium spatio traductæ, primò omnium in Illyrico consederunt; postea cùm duo fratres fundi illius domini, in Oblationes Fidelium Sacrilegas manus injecissent, Cœlestes Genii, eam impietatem aversati, iterum succollantes, in agro Piceno, haud procul Urbe RENEGATI gratissimum Onus deposuerunt. Verùm cùm is locus, Utpote densissimâ silvâ horridus, latrociniis infestus evaderet, & pii peregrinatores, cùm salutem quærerent, mortem in Ollâ invenirent, Divina illa Arca, tertiùm innovato stupendum in modum Prodigio, sub suavissimo Angelorum psallentium concentu, in eo demum agro conquievit, quæ ad Loretam piissimam Matronam spectabat; unde inclytum ædium Lauretanarum nomen. Thesaurus, qui Europæ Principum penè Universorum Regali munificentia quadringentis abhinc annis in eas Sacras Ædes confluxit, incomparabilis est, & Divitis, ut ajunt, Regni divitias æquat. Decuit enim Cœli Reginam maximorum per Europam Thesaurorum fieri participem.* Has etiam Sacratissimas Ædes Eminentissimus noster Purpuratus largo tunc equidem Donario adauxit, ut ubi Cor ejus, Marianis ignibus exæstuans, repositum esset, Thesaurus maneret.

No. XXXVIII.

NICOLAUS CARRACIOLUS NEAPOLITANUS.

NIcolaus tit. Sancti Martini in Montibus, Cardinalis Carraciolus Neapolitanus, Cardinalis Nicolaus nuncupatus, Archiepiscopus Capuæ, natus est An. 1658. 8. Novembris ex jam celebratâ, & iterum iterúmque celebrandâ Illustrissimâ Carraciolorum Familiâ, quæ cùm ortum ducat in Regno Neapolitano, insignibus meritis Christianam Rempublicam complexa est universam. Petrus Carraciolus Gregorii & Landolphi pater erat, qui Rossiorum & Pisquitiorum celeberrimam stirpem XII. Sæculo inchoârant. Joannes & Ligorius Carracioli Sæculo XII. apud Fridericum II. Romanorum Imperatorem, eundémque Neapolitanorum Regem gratiâ & authoritate omnia poterant. Sed quàm luctuosos casus supervixerant! Fridericum Tarenti Manfredus filius nothus Anno 1250. in lecto suffocaverat. Mox Conradum, Friderici legitimum filium, idem ex pellice natus Manfredus Anno 1254. sustulerat. Postea Manfredus, quà vi, quà dolo utriusque Siciliæ An. 1255. se Regem constituebat, postquam insigni mendacio populum dementaverat, Conradinum Sueviæ Ducem, ad quem Regni Neapolitani possessio, patre Conrado extincto spectabat, è vivis sublatum. Idem Manfredus, pestis Italiæ, Saracenos induxit, ut agrum Picenum Pontifici adimerent. Hinc Urbanus IV. Pontifex Carolum Comitem Andegavensem, eundémque Divi Ludovici fratrem, Siculo Regno oblato, adversus Manfredum in Regnum Neapolitanum An. 1263. invitabat. Res exitum sortiebatur An. 1265. sub Clemente IV. à quô Carolus evocatus, triginta triremibus Massiliâ solvens, Romam deferebatur; ubi in Æde Laterana, ipso die Epiphaniæ anni sequentis, Rex Siciliæ & Hyerosolymarum designabatur, imposito vectigali 40. millium aureorum, in singulos annos Pontifici numerandorum; sed optimus ceteroquin Pontifex in eo errare visus, quòd Conradinum Conradi filium, qui in Germaniâ per ætatem nondum aptus ad gubernandum agebat, exclusisset. Carolus quidem cum exercitu Româ digressus, Anno 1266. uno, nobilíque prœlio ad Beneventum die 3. Febr. adversus Manfredum victor, & regni possessor evaserat; sed Conradinus Suevus, numeroso exercitu ex Gibellinis contracto, in Andegavensem, avitum suum jus asserturus, movebat. Ad Fucinum lacum anno 1268. decretoria pugna comittebatur: cùm tribus horis certatum fuisset, Carolus ex insidiis Conradinum juvenem, animo præfidentem, adortus (nam solutis jam ordinibus pro victore se gerebat) clarissimum tulerat victoriam, Conradino ex fuga (nam ex annulo cognoscebatur) retracto, & in ferali pegmate An. 1269. cum Friderico Cognato Austriæ Principe, stupente Neapoli, decollato. Sic Lumen Sueviæ extinctum jacuit; & unà antiqua Suevorum gloria tumulari visa. Conradinus chirothecam, manu detractam, cui signatorium annullum suum incluserat, Truchsessio Waldenburgico Germano tradiderat, admonito, ut hoc ultimum amicitiæ pignus Petro Arragoniæ Regi deferret, quem Regni Neapolitani pro se hæredem, & indignæ necis suæ vindicem, ejusdem traditione annuli, designaret. Truchsessius inter tumultum elapsus, Regni spe Arragonium, ocyus implebat. Enimverò Petrus, Joanne Prochytæ olim Domino instigante, qui ut dolus feliciùs succederet, morionem se simulabat, statuerat



Nicolaus Caracciolus, Neapolitanus Archiepiscopus Ca,
puanus, ac cum omnibus facultatibus Vicario Ge,
nerali SS.mi D. N. PAPÆ concedi solitis Vicesgerens, S.R.E.
Presbyter Cardinalis creatus à SS.mo D. N. CLEMEN,
TE PAPA XI. in Consistorio Secreto die 16. Decem,
bris 1715.

Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. 38.

rat Neapolitanum regnum vi aut fraude recuperare. Fraus prior intervenerat; nam Joanne â Prochyta impulsore, Messanæ, Panormíque ingens conspiratio facta adversus Gallos: igitur An. 1282. ipso die Christo Resurgenti Sacro, siculi signo vespertini Officii dato, ex composito arma capiebant, Francósque omnes nullo ætatis, sexúsve discrimine, occisione occidebant; hinc siculæ Vesperæ in proverbium abiêre, funestæ victis, viduatæ Sueviæ datæ Victimæ. Ann. 1287. Rex Hispanus Carolum Claudum, Caroli Andegavensis filium juvenem, haud secus ac Conradinus paulò antea fuerat, juvenili fiduciâ elatum, haud procul Neapoli ad certamen eliciebat, eúmque navali prœlio victum ceperat; hinc Carolo Claudo, Andegavensium per Neapolim Imperium claudicare visum: imò parùm absuit, quin in ferali pegmate Socius Conradino Carolus superadditus fuisset, nisi Constantia Petri Uxor ad mitiora consilia cupidum vindictæ maritum traduxisset. Luctuosis iis temporibus pariter vivebat Bernardinus Carraciolus, Archiepiscopus Neapolitanus, qui eam Patriæ suæ deplorandam tragœdiam tristissimus aspiciebat. Sæculo XIV. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis viguit Nicolaus Carraciolus. Sæculo XV. secundus ex Illustrissima hac Familiâ Cardinalis accedebat Conradus Carraciolus. Joannes Carraciolus in Aulâ Joannæ II. Neapolitanorum Reginæ, tam gratiâ potens erat, ut gravissima regni negotia per se ipse tractaret. Habebat in aulâ æmulum Sphorzam; prout magnæ fortunæ non minor plerumque invidia intercedit. Certè Sphorza aulicis artibus adversus Carraciolum diu noctúque concertabat. Cùm Joanna improles esset, pro Alphonso Arragonio Carrociolus, pro Ludovico Andegavensi Sphorza stabat. Joanna primùm Carraccioli secuta consilium, hæreditatis certum Arragonium volebat; postea inconstantiâ muliebri â prioribus promissis resiliens, Andegavensem amplectebatur. Hinc impotens fœmina, cujus etiam effusam libidinem Carraciolus tolerare non poterat, indictâ causâ Virum innocentissimum A. 1434. immissis Sicariis, mense Augusto, interficiebat. Carolus Andreas Carraciolus natus An. 1483. sago præclarus evasit. Primam ætatem in castris posuit. In Affricam translatus, rem adversus Mauros strenuè gessit. Inde classe Hispanica in Brasiliam ibat, ut nulla pars orbis esset, quam nominis sui famâ non impleret. Ex Indiâ redux, An. 1634. cum Ferdinando Austriaco Cardinale Infante in Germaniam venerat, afflictis Catholicorum rebus auxilium laturus. Post occupatam Ratisbonam Nordlinga circumsidebatur. Sueci suppetias importaturi, propiùs urbem movebant. Mox atrox acies committebatur, quâ Sueci memorabili victoriâ proffligabantur. Cæsorum Suecorum sex millia æstimabantur, quos inter Fridericus Anspacensis Marchio erat. Gustavus Hornius, & Crazius Bavaricæ militiæ desertor cum quatuordecim legionum tribunis capiebantur: Bernardus Dux Vinariensis, qui author pugnæ fuerat, cum parte equitatûs saucius evaserat. Impedimentorum magnus numerus, & bellicum omne Instrumentum, in quo octoginta majora tormenta fuêre, in potestatem victorum pervenerat. Non modò Nordlinga Victoriæ prœmium accesserat; verùm etiam Augusta Vindelicorum An. 1635. ad extremam cibariorum inopiam redacta, in Cæsareorum potestatem pervenerat: fama est, adeò in obsidione illa famem invaluisse, ut ab humana carne pauperes quidam non abstinuerint: Inde etiam Pax Pragensis inter Imperatorem & Electorem Saxoniæ 30. Maij concludebatur, Suecis ad extremum Baltici maris angulum rejectis, cum quibus indubiè debellatum fuisset, nisi Gallia, Sueciæ paulò post juncta, patentem hiatum supplevisset, & Pacem Monasteriensem opus suum fecisset. En quantum Andreas Carolus Carraciolus Germaniæ præstiterit, qui pedestrem aciem in famoso illo Nordlingano prœlio, Hispanicarum partium inclytus Archistrategus moderabatur. An. 1636. Is ipse Valentiam urbem, ad Padum sitam, rejecto inde Crecquio Gallorum Duce obsidione liberaverat:

verat: An. 1638. Fuentarabiam validam Biscajæ urbem, â Gallis obsessam, immissis auxiliis, servaverat. An. 1639. Salsulas (Salses) validissimum portum Comitatûs Ruscinonensis, pro Hispano recuperabat. An. 1641. urbem Barcinonensem, quæ ad Gallos defecerat, obsidione premebat; verùm in ejus obsidione urbis filio amisso, consolatoriam ab ipso Rege epistolam accipiebat. Inde summam armorum præfecturam per Comitatum Ruscinonensem, Cataloniam, Lusitaniam & Regnum Neapolitanum, ut suæ patriæ propior prodesset, consequebatur. Statim Orbitellum maritimam urbem, in Statu, ut vocant, Præsidii sitam, fugatis gallis, & milite importato recreavit. Huic per omnia similis exstitit (nisi quòd diversas partes sequebatur) Joannes Carraciolus, Princeps Melphitanus. Is Anno 1512. cruento prœlio intererat, quod inter Pontificias Julii II. copias & Gallorum exercitum æquata ferè utrinque strage (XXX. millia cæsa fuisse constat) committebatur. Anno 1536. in Provinciâ Gallorum Ductor erat, quando Carolus V. Aquas Sextias, non longè â Massiliâ, exercitum duxerat; sed Regis Francisci exercitus, præcluso ulteriore aditu, & commeatu etiam in Cæsareanorum castra impedito, trans Alpes Carolum rejecerat. A. 1543. Lucemburgum subsidiis firmavit, & Landresium pro Gallis asseruit. Postea in Ducatu Pedemontiaco Gallico exercitui cum sum̃a potestate præerat; & salubre Galliæ opus præstitit, cùm collapsam militarem disciplinam magna ex parte restitueret; quam utinam Gallia servâsset; nec tractus Rhenanus tot incendiis & fœdis depopulationibus squalleret. In acie inter Alpes ad Carignanum 14. Aprilis Anno 1544. commissa, ubi Franciscus iterum memorabilem victoriam retulerat, fusis Cæsareanorum viginti millibus, suum Carraciolus filium, Trajanum nomine, amiserat. Ipse penè Septuagenarius Susæ, suis victoriis, paulò post inter mortuus est. Qualis fuit Marinus Carraciolus, meritis suis adeptus, ut tertius esset, qui ex Carraciolis Sacram Purpuram obtinuerat. Is anno 1515. â Maximiliano Sphortia Mediolanensium Duce ad Concilium Lateranense ablegabatur. Cùm suam Leoni X. affatim probâsset prudentiam, cum Aleandro ad Carolum V. in Germaniam ablegabatur, ut Sedis Apostolicæ adversus Lutherum in comitiis Wormatiam indictis, causam sustineret, ejúsque proscriptionis edictum perurgeret. Minaces in Cæsarem & Electores Sectarii tunc literas spargebant, quibus bella necémque intentabant eam damnationem urgentibus, jactabántque, jam nobilium in armis stare quadringentos, qui ejusmodi Sententiæ ferendæ præstolarentur exitum; cúmque ad id nuntium Moguntinus concepisset formidinem, Carolus Cæsar ad illum versus, animosè subjiciebat: *Mutium olim jactâsse in castris Porsenæ, trecentos suorum esse, cùm solus veniret: videri has umbras, quæ non sint metuendæ.* Ex illo tempore Marinus Carraciolus tam charus Carolo esse cœperat, ut ad sua traductum ministeria, ad Angliæ Regem Henricum VIII. & Venetos Legatum mitteret. Postea Franciscum Sphortiam Cæsari reconciliaverat, quo beneficio devictus Sphortia Carraciolum Galeræ Comitem dixit. A Carolo Episcopatum Catanensem in Siculo Regno Ann. 1524. obtinuerat, in quo fratrem Successorem habuit. Ann. 1535. in Purpuræ honorem venerat. Ducatu Mediolanensi, morte Francisci Sphortiæ, Ducum ultimi, ad Imperium revoluto, Mediolanensium Prorex â Carolo nuncupabatur, ubi etiam devixit Ann. 1538. novem & sexaginta annos natus. Richardus Carraciolus Ann. 1383. ab Urbano VI. adversus Joannem Ferdinandum de Heredia, qui Clementi VI. antipapæ adhæserat, nuncupabatur. Innicus Carraciolus Teloniorum, annonæque in urbe Romana Præses, eo quidem tempore, quo orbem & Romam Contagiosa lues, frumentaria, ac vinearia, oleariáque caritas premebant, præsidis tamen studio, vigilantiâ, atque industriâ effecit, ut in Urbe rerum omnium affluentia, & annonæ vilitas incredibilis affulgeret; is quartam Purpuram in Illustrissimam Carraciolorum Familiam Anno 1655. intulit. His tot, támque præclaris Togâ sagóque Viris nostra hac ætate accedunt

gemi-

gemina fydera Innicus & Nicolaus Carracioli, Cœlum Neapolitanum suo fulgore illustratura. De Innico Carracciolo dictum N. XXXVI. Nicolaus Carracciolus Princeps disertissimus est, vigore ingenii & animi celeberrimus; Justitiæ cùm tribus & ultra annis Vicarium Urbis gereret, tenacissimus: Profusus in Pauperes, ut titulo Sancti Martini non frustra indigitatum intelligas; aut cùm comuni vocabulo Nicolaum nuncupent, ejus Divi in Episcopatu Castitatem, Gravitatem, Orationis Assiduitatem, Vigilias, Abstinentiam, Liberalitatem, & Hospitalitatem, in adhortando Mansuetudinem, in reprehendendo Severitatem perpetuò adhibet: ex brev. Cùm Nuntius Pontificius Anno 1700. ad Magnum Hetruriæ Ducem Cosmum ablegatus fuisset, ei Principi, Literarum & Literatorum amantissimo tantùm in amoribus erat, ut Carracciolus Arcem animi ejus teneret; nec minùs Clemens XI. expertam Carraccioli Sapientiam tantùm æstimabat, ut inter primas Sacri Regiminis curas haberet, tantas dotes in gloriæ solium elevatas, statim intueri. Hinc Capuæ Archiepiscopum Anno 1701. statim denominabat. Hæc Capua ex Campaniæ olim Urbibus prima erat, æmula Romæ, atque ob id ipsum perdita. Samnitium quidam, Livio teste, in Societatem urbis, agrorúmque recepti, festo die gravatos somno epulísque incolas veteres, novi coloni occiderant, urbémque occupaverant. Annibal Carthaginensium Dux eam urbem longè per orbem famosissimam reddidit. Is Anno 3786. ab orbe condito primus omnium per Alpes viam sibi in Italiam munivit. Primum Pugnatum erat ad Urbem Ticinum, deleto cum exercitu Cornelio Scipione, quem Scipio filius adolescentulus, postea Affricanus dictus, ægrè servaverat: Secunda acies comittebatur ad lacum Trasymenum, ubi C. Flaminus Romanorum Consul iterum cùm exercitu cædebatur: Tertia clades à Romanis ad Cannas Apuliæ vicum accipiebatur, ubi amplius XLV. civium Romanorum millia cæsa: In his Æmilius Paulus Consul & Senatores LXXX. Equitum multitudo tanta, ut aureorum annulorum modius, Carthaginem mitteretur. Actum tunc erat de Roma, orbis Dominâ, si Hannibal scivisset uti victoriâ; cùm Romæ etiam prætextatos & servos necessitas armâsset. Capua & magna Italiæ pars ad Annibalem defecerant. Sed Capuæ ille Cannas inveniebat; nam ubi Annibalis virtus Campaniæ delitiis emollita fuisset, â Scipionibus doctus est, vinci posse; Capua etiam â Romanis acerrima obsidione expugnabatur. 80. Principes è Senatorio ordine interfecti, 300. nobiles in carcerem conditi, ac multitudo civium venumdata; at propter agri fertilitatem urbs servata fuerat, ut esset aratorum sedes. Postea â Genserico Vandalorum Rege, & post eum â Longobardis delebatur, â quibus Nova Capua ad Vulturnum amnem ex veteris ruinis altero ab illis lapide, seu duorum amplius passuum millibus exstructa. Archiepiscopatus â Joanne IV. Pontifice Maximo An. 968. fundatus erat. Eum Eminentissimus Purpuratus Nicolaus Carracciolus, eâ Pastoralium Virtutum comendatione administrat, ut Capuam suam, Carthaginensium aliquando corruptelam, novas Campaniæ delitias, *Orthodoxi Orbis Delitiæ* ipsemet, afficiat; & si Capua pro Aratoribus aliquando â Romanis servata est, Carracciolus enimverò plantat, rigat, Deo incrementum dante; de cujus Religiosissimo zelo hoc etiam constat, quòd Anno 1722. duos Anglos, qui generosos ex Angliâ equos Neapolim vendituri ducebant, cùm subitò gravissima morbi vi Capuæ corriperentur, & ultima instarent, efficacissimis adhortationibus, Catholicos effecerit, meliorem quæstum non facturos, quàm cùm Cœlum, felici metamorphosi ex Anglis in Angelos, uti speratur, transformati, lucrifacerent.

Ee No.

No. XXXIX.

JOANNES BAPTISTA PATRITIUS ROMANUS.

JOannes Baptista tit. S. S. Quatuor Coronatorum Patritius Romanus Anno 1658. 24. Decembris Romæ vivere cœpit; credo equidem, *Majorum Gentium Diis* Romanum hunc Patritium annumerandum, si non â Romulo, certè ex te, Sacra Roma, oriundum. Non possum tuos, dum Romanum Hominem dico, Alma Roma, prætereire casus; injuriam tibi, procul dubio facerem, si complures alias comemorando Urbes, te solam Orbis Dominam, & admirabile incrementum silentio involverem; sed cùm integros Fastos impleas, veniam dabis, si uno veluti nucleo, penè infinitam casuum tuorum illiadem comprehendam. Condita videtur Roma Anno 3251. ab Orbe creato. Asylum in Capitolio aperuit, magnámque perfugarum multitudinem coegit. Ex tam parvis initiis tanta Urbs exstitit. An. ab orbe condito 3616. Romanus exercitus ad Alliam flumen â Gallis ad internecionem cædebatur; & Galli statim urbem, Brenno Duce invadebant, captam ferro, flammáque depopulabantur. Capitolium tamen â Romanis obtinebatur, quò se flos civitatis receperat: nocturna Gallorum irruptio ab anseribus patefacta; Hinc illis locus in Capitolio statuebatur; statim abhinc Galli â Camillo Romano tantâ clade cædebantur, ut ne testis quidem cladis relinqueretur. Anno â Christo nato 66. Nero Tyrannus magnam urbis partem, obscuris ædibus informem, per ludum incenderat, ut Trojæ repræsentaret incendium: incendii culpam, pœnámque in Christianos transtulit; ex cineribus tamen multò pulchrior Urbs renascebatur. Sub Constantino Magno Roma Sola & perpetua sedes Pontificis evasit; nam Constantinus, Pontificis Romani verecundiâ: Sedem Imperii aliò transferendam ratus, Bizantii in Thraciâ novam Romam condidit: Eámque Constantinopolim suo nomine appellavit. Urbem Romanam cum suo agro â Constantino Pontificibus omnino dono datam fuisse, est, cur affirmem; nam ea donatio consona videtur tanti Principis liberalitati, præsertim sub Monarchiâ: Deinde Francorum etiam Reges hanc possessionem â Longobardis ablatam, professi sunt, se tantùm restituere. Anno 410. Alaricus Gottorum Rex (erant hi Barbari, Christiani quidem, sed Arrianismo infecti, ex Septentrionalibus Germaniæ plagis) Romam improvisò adortus capiebat, diripiebátque: valuit tamen apud Barbarum & Arrianum Regem humanitas & Religio. Civibus temperatum, in tecta sævitum est, templis & Sacris vasis intactis. Ann. 452. Attilla Tyrannus, qui cum quingentis Hunnorum millibus ex Hungariâ egre-

dieba-



Ioannes Patritius Romanus, Archiepiscopus Seleuciæ, S. Smi. D. N. PAPÆ Thesaurarius Generalis, S. R. E. Præs-byter Cardinalis creatus a S. Smo D. N. CLEMENTE XI in Consistorio Secreto die 26. Decembris Anno 1715.

Ioh. Christoph Kolb exc. A. V.

Cum Gratia et Privil. S. C. Maj.

No. XXXIX.

JOANNES BAPTISTA PATRITIUS ROMANUS.

Joannes Baptista tit. S. S. Quatuor Coronatorum Patritius Romanus Anno 1658. 24. Decembris Romæ vivere cœpit; credo equidem, *Majorum Gentium Diis* Romanum hunc Patritium annumerandum, si non â Romulo, certè ex te, Sacra Roma, oriundum. Non possum tuos, dum Romanum Hominem dico, Alma Roma, prætcrire casus; injuriam tibi, procul dubio facerem, si complures alias comemorando Urbes, te solam Orbis Dominam, & admirabile incrementum silentio involverem; sed cùm integros Fastos impleas, veniam dabis, si uno veluti nucleo, penè infinitam casuum tuorum illiadem comprehendam. Condita videtur Roma Anno 3251. ab Orbe creato. Asylum in Capitolio aperuit, magnámque perfugarum multitudinem coegit. Ex tam parvis initiis tanta Urbs exstitit. An. ab orbe condito 3616. Romanus exercitus ad Alliam flumen â Gallis ad internecionem cædebatur; & Galli statim urbem, Brenno Duce invadebant, captam ferro, flammáque depopulabantur. Capitolium tamen â Romanis obtinebatur, quò se flos civitatis receperat: nocturna Gallorum irruptio ab anseribus patefacta; Hinc illis locus in Capitolio statuebatur; statim abhinc Galli â Camillo Romano tantâ clade cædebantur, ut ne testis quidem cladis relinqueretur. Anno â Christo nato 66. Nero Tyrannus magnam urbis partem, obscuris ædibus informem, per ludum incenderat, ut Trojæ repræsentaret incendium: incendii culpam, pœnámque in Christianos transtulit; ex cineribus tamen multò pulchrior Urbs renascebatur. Sub Constantino Magno Roma Sola & perpetua sedes Pontificis evasit; nam Constantinus, Pontificis Romani verecundiâ: Sedem Imperii aliò transferendam ratus, Bizantii in Thraciâ novam Romam condidit: Eámque Constantinopolim suo nomine appellavit. Urbem Romanam cum suo agro â Constantino Pontificibus omnino dono datam fuisse, est, cur affirmem; nam ea donatio consona videtur tanti Principis liberalitati, præsertim sub Monarchiâ: Deinde Francorum etiam Reges hanc possessionem â Longobardis ablatam, professi sunt, se tantùm restituere. Anno 410. Alaricus Gottorum Rex (erant hi Barbari, Christiani quidem, sed Arrianismo infecti, ex Septentrionalibus Germaniæ plagis) Romam improvisò adortus capiebat, diripiebátque: valuit tamen apud Barbarum & Arrianum Regem humanitas & Religio. Civibus temperatum, in tecta sævitum est, templis & Sacris vasis intactis. Ann. 452. Attilla Tyrannus, qui cum quingentis Hunnorum millibus ex Hungariâ egredieba-



Ioannes Patritius Romanus, Archiepiscopus Seleuciæ,
S. S^{mi}. D. N. PAPÆ Thesaurarius Generalis, S. R. E. Præs-
byter Cardinalis creatus a S. S^{mo} D. N. CLEMENTE XI.
in Consistorio Secreto die 16. Decembris Anno 1715.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

diebatur, Romam contendebat; verùm Leo Pontifex cognomento Magnus, Barbaro Regi ad Mincium amnem occurrebat, divináque eloquentiâ persuadebat, ut conversis repente signis abiret; is paulò postea invadere denuo Italiam moliens, in nuptiali convivio, cùm se vino onerâsset, ingentem vim sanguinis profudit; ita homo cruoris humani sitientissimus, suo cruore suffocatus extinquebatur. Anno 455. Gensericus Vandalorum Rex (juxta Ptolomæum in Poloniâ & Sarmatiâ usque ad mare Balticum habitârunt) cum trecentenis armatorum millibus, Italiam intrabat, & Romam captam per quatuordecim dies diripiebat; Leonis tamen gratiæ (Baronio teste) dedit, ut cædibus abstineret. Anno 472. â Recimero Occidentis Tyranno, urbs Romana tertiùm diripiebatur; sed Recimerus, post 39. dies, sævis corporis cruciatibus, extinquebatur. Anno 547. Totila Gottorum Rex, vir non paucis regiis Virtutibus clarus Romam vi ceperat; & urbem quidem incendebat, sed civibus parcebat; tota siquidem urbe præcones pronuntiare jussit, ut cives â victorum irâ, templorum sese religione defenderent. Anno 568. iterum Romæ trepidatum; nam Alboinus Longobardorum (gentis è Scandia oriundæ) Rex, pene innumerabiles copias è Pannonia Italiæ infundebat. Mediolano, Ticino, Venetiâ regione, Umbriâ, & Hetruriâ subactis, in eo erat, ut Romam caput rerum peteret; sed periculum mors ejus discussit; nam cùm Rosimundæ conjugi poculum ex patris ejus calvâ rex barbarus porrexisset, justam illi concitavit iram. Itaque vino somnóque gravem obtruncabat. Anno 728. Luitprandus alius Longobardorum Rex Romam obsidebat; sed Gregorius II. Regem, suum petentem caput, ultro adibat, infestúmque hostem adeò dictis & submissione placaverat, ut ille supplicis Pontificis Romani verecundiâ, sese ad ejus prosterneret pedes, & Apostolorum corpora veneratus, sine ullo maleficio exercitum reduceret. Anno 752. Aistulphus Longobardorum Rex bello universam invadebat Italiam, & Romanis, nisi se suáque dederent, extrema minitabatur. Pontifex Stephanus II. Pipini auxilium invocaturus in Galliam ibat. Nunquam ante eam diem major Romani Pontificis potestas visa: Venienti ad tria passuum millia Pipinus obviam processerat, ad ejus conspectum statim equo desilierat, eúmque procumbens cum conjuge, liberis, ac regni proceribus excipiebat, cuncto populo cantica occinente; inde Rex equi Pontificii frœnum tenens, ad regiam Pontificem deducebat; & Romæ beneficum sydus futurus, transcensis Alpibus, Longobardos profligavit, eósque coegit, ut Urbem Romanam cum vicina regione, & toto Exarchatu (nunc Romaniam vocant) in Pontificis manibus relinquerent, & ablata restituerent. Eam donationem Carolus Magnus, qui ultimum Longobardorum Regem Desiderium, eò quòd res ablatas Pontifici restituere abnueret, bis acie victum debellaverat, non modò confirmavit, sed multò etiam ampliora adjiciebat. Accessit postea Ludovici Pii, Ottonum I. II. & III. irrefragabilis consensus, ut in meridiana luce cœcutiant, aut invidis dentibus cœlum allatrent, quicunque ex extravagantibus humanæ Sapientiæ luminibus, contrarium sustinent. Ex eo tempore Ecclesia respirare visa; nisi quòd Henrici III. IV. V. & VI. & unà Friderici I. & II. (infausta planè orbis Orthodoxi nomina) multos Sacræ Romæ motus dederunt, quæ tamen adversus bruta illa fulmina stabat inconcussa, quia posterioribus illis temporibus ex melioribus nunquam defuerunt, qui laborantis Ecclesiæ causam adversus publicæ pacis perturbatores, defendendam susciperent; donec Anno 1527. Germani tragœdiam Romæ darent, qualem neque â Vandalis aut Gothis ante illam diem unquam experta fuerat. † Quippe Cæsareus miles, longâ inediâ ad quidlibet audendum paratus, Borbonio duce Romam advolabat. Borbonius, qui primus omnium mœnia scandebat, sclopo trajectus concidit; reliqui urbem ingressi, Romanam in compitis plebem, sub vexillis ad defensionem collectam aggrediebantur; in quam

† Massenius.

tam

diebatur, Romam contendebat; verùm Leo Pontifex cognomento Magnus, Barbaro Regi ad Mincium amnem occurrebat, divináque eloquentiâ persuadebat, ut conversis repente signis abiret; is paulò postea invadere denuo Italiam moliens, in nuptiali convivio, cùm se vino oneråsset, ingentem vim sanguinis profudit; ita homo cruoris humani sitientissimus, suo cruore suffocatus extinquebatur. Anno 455. Gensericus Vandalorum Rex (juxta Ptolomæum in Poloniâ & Sarmatiâ usque ad mare Balticum habitârunt) cum trecentenis armatorum millibus, Italiam intrabat, & Romam captam per quatuordecim dies diripiebat; Leonis tamen gratiæ (Baronio teste) dedit, ut cædibus abstineret. Anno 472. â Recimero Occidentis Tyranno, urbs Romana tertiùm diripiebatur; sed Recimerus, post 39. dies, sævis corporis cruciatibus, extinquebatur. Anno 547. Totila Gottorum Rex, vir non paucis regiis Virtutibus clarus Romam vi ceperat; & urbem quidem incendebat, sed civibus parcebat; tota siquidem urbe præcones pronuntiare jussit, ut cives â victorum irâ, templorum sese religione defenderent. Anno 568. iterum Romæ trepidatum; nam Alboinus Longobardorum (gentis è Scandia oriundæ) Rex, pene innumerabiles copias è Pannonia Italiæ infundebat. Mediolano, Ticino, Venetiâ regione, Umbriâ, & Hetruriâ subactis, in eo erat, ut Romam caput rerum peteret; sed periculum mors ejus discussit; nam cùm Rosimundæ conjugi poculum ex patris ejus calvâ rex barbarus porrexisset, justam illi concitavit iram. Itaque vino somnóque gravem obtruncabat. Anno 728. Luitprandus alius Longobardorum Rex Romam obsidebat; sed Gregorius II. Regem, suum petentem caput, ultro adibat, infestúmque hostem adeò dictis & submissione placaverat, ut ille supplicis Pontificis Romani verecundiâ, sese ad ejus prosterneret pedes, & Apostolorum corpora veneratus, sine ullo maleficio exercitum reduceret. Anno 752. Aistulphus Longobardorum Rex bello universam invadebat Italiam, & Romanis, nisi se suáque dederent, extrema minitabatur. Pontifex Stephanus II. Pipini auxilium invocaturus in Galliam ibat. Nunquam ante eam diem, major Romani Pontificis potestas visa: Venienti ad tria passuum millia Pipinus obviam processerat, ad ejus conspectum statim equo desilierat, eúmque procumbens cum conjuge, liberis, ac regni proceribus excipiebat, cuncto populo cantica occinente; inde Rex equi Pontificii frœnum tenens, ad regiam Pontificem deducebat; & Romæ beneficum sydus futurus, transcensis Alpibus, Longobardos profligavit, eósque coegit, ut Urbem Romanam cum vicina regione, & toto Exarchatu (nunc Romaniam vocant) in Pontificis manibus relinquerent, & ablata restituerent. Eam donationem Carolus Magnus, qui ultimum Longobardorum Regem Desiderium, eò quòd res ablatas Pontifici restituere abnueret, bis acie victum debellaverat, non modò confirmavit, sed multò etiam ampliora adjiciebat. Accessit postea Ludovici Pii, Ottonum I. II. & III. irrefragabilis consensus, ut in meridiana luce cœcutiant, aut invidis dentibus cœlum allatrent, quicunque ex extravagantibus humanæ Sapientiæ luminibus, contrarium sustinent. Ex eo tempore Ecclesia respirare visa; nisi quòd Henrici III. IV. V. & VI. & unà Friderici I. & II. (infausta planè orbis Orthodoxi nomina) multos Sacræ Romæ motus dederunt, quæ tamen adversus bruta illa fulmina stabat inconcussa, quia posterioribus illis temporibus ex melioribus nunquam defuerunt, qui laborantis Ecclesiæ causam adversus publicæ pacis perturbatores, defendendam susciperent; donec Anno 1527. Germani tragœdiam Romæ darent, qualem neque â Vandalis aut Gothis ante illam diem unquam experta fuerat. † Quippe Cæsareus miles, longâ inediâ ad quidlibet audendum paratus, Borbonio duce Romam advolabat. Borbonius, qui primus omnium mœnia scandebat, sclopo trajectus concidit; reliqui urbem ingressi, Romanam in compitis plebem, sub vexillis ad defensionem collectam aggrediebantur; in quam

† Massenius.

tam

tam immani truculentiâ insurgebant, ut projecta ad salutem promerendam arma nec supplicibus profuerint, nec ipsa templi adyta, Sacrorúmque Religio fugientes protexerit; sed inter aras Divorum opem, ac hominum miserationem implorantium ora ferro violarentur. Mox etiam ædes, aræque Divorum contemeratæ: expugnata virginum juxta ac matronarum, quamvis jurata Deo, hominibúsque pudicitia. Principum ac Purpuratorum domus ferro, direptione, incendióque vastatæ, nulla nec legatorum quidem reverentiâ; neque ab ipsis etiam mortuorum sepultis cadaveribus rapaces manus abstinebant, & inexsplicabilis avaritia, Hispanorum imprimis, nihil intactum relinquebat; & cùm non pauci novitiarum per Germaniam Sectarum erroribus aspersi in exercitu reperirentur, inde factum est, ut Sacro Purpuratorum Senatui, ipsíque Pontifici, omni contumeliarum genere illuderetur. Oratorium Pontificium equili aptabant, bullatásque literas equorum tergis substernebant; Lutherum verò adumbrato Patrum Senatu, fictáque suffragiorum imitatione Papam decernebant. Porrò tantâ insolentiâ in nobilissimam Domûs Vaticanæ Bibliothecam prædabundus miles grassabatur, ut damnum Europæ dederit, omnium eruditorum lachrymis deplorandum: † Ipse Pontifex Clemens tam arctè, miseréque in Vaticano, quò confugerat, obsidebatur, ut vetula olera vendens, quòd expetenti Pontifici lactucas aliquot in arcis fossam projecisset, funiculo per puerum submittendas, ante portam â quodam Centurione suspenderetur, oculíque ingemiscentis ad ea Pontificis, exposito complures dies infelici spectaculo, everberarentur. Carolus equidem Imperator, ad ejus calamitatem nuntii, publicam lætitiam ob natum Philippum filium edicto vetuerat, & ipse mutata veste justitium atratus indixerat; nec tamen Cæsareus exercitus, amplâ prædâ saginatus, antea discessit (nullius enim imperio parebat) quàm fœda lues Divinam Nemesin adesse monstraret. Inter eos belli turbines crevit inclyta (ut ad eam redeamus) Patritiorum familia. Ea quidem â Primæva origine Senas (vulgò Siena) patriam agnoscit, quæ in mediâ fermè Tuscia sita, inter principes Italiæ urbes commemoranda venit. Libera quondam erat, ac latissimo territorio potens civitas; sed eam Cosmus Medicæus Hetruriæ Dux, â Carolo V. adjutus, Anno 1555. in ditionem redigebat; hinc Sennenses, libertate amissâ, jugum quidem acceperant; sed sub mitissimâ Medicæorum Familiæ tutelâ acquiescentes, se captas non sentiunt, cùm pars libertatis sit, clementer regi. Hos inter Senenses sub initium Sæculi XVI. præclarus viguit Joannes Patritius, qui prudentiâ summus meruit, ut Episcopus Gaetanus in regno Neapolitano nuncuparetur: Insignis doctrinæ suæ partus complures libros reliquit; inter eos principem locum tenent, quos de Regno & institutione Regni, nec non de institutione Reipublicæ edidit, dignissimos, qui in Regum & Magnatum manibus perpetuò volvantur, revolvantúrque; nam optimam Regiminis normam, non ex Machiavelli Scholâ damnabiles aphorismos venditando, Regibus tradidit. Doctissima illa manuscripta A. 1519. & posteà iterum A. 1531. Lutetiæ Parisiorum typis impressa, publicæ luci exponebantur, ut Patritii nominis perpetuum existerent monumentum. Fuit & alius Patritius, Augustinus nomine, qui ex Senensi Canonico Episcopus Pienzæ (quæ urbs Senis proximè adjacet, & Pii II. Patria fuit, adeóque ab eo in Episcopatum evecta) factus. Is apud Pium III. è gente Piccolominea summâ gratiâ valebat. Antequam Piccolominus Cathedram Petri scanderet, cum eo in Germaniam, Secretarii munere, Patritius veniebat; hinc de Comitiis Ratisbonensibus, eo tempore ibi celeberrimo conventu celebratis, tractatum scripsit: postea Pii Pontificis jussu acta Concilii Basileensis excerpebat. Hoc Consilium â Martino V. Basileæ Anno 1431. inchoatum durabat usque ad Annum 1442. Acta in eo de Sacerdotiis, seu beneficiis & Censuris probaverat Nicolaus V. cetera improbavit Concilium Lateranense Sessione II. Idem Patritius præter insignem tractatum de ritibus & Cœremo-

† Famianus Strada.

nii

niis in Capella Pontificis, historias multas, literato orbi utilissimas, conscripsit: cùm calamum perpetuò in manibus haberet, Anno 1496. suis laboribus intermortuus est; vivit tamen in suis libris: Vivit in Eminentissimo Purpurato nostro Joanne Baptista Patritio, qui doctrinâ summus, majorum suorum absolutam in se imaginem exhibet. Hinc Clementi XI. acceptissimus, Seleuciæ Episcopus denominabatur, quam suam Seleuciam votis complectitur, ubi per Mahometicæ Sectæ superstitionem corporaliter interesse non datur. Seleucia urbs est Syriæ, haud longè ab Orontis Ostio, ubi eum mare Syriacum accipit sita. Haud procul Ecclesiâ Patriarchali Antiochenâ, ubi Anno 39. Divus Petrus primò omnium sedem fundavit, & per septennium rexit; ad discrimen aliarum Urbium, quæ eodem nomine veniunt, Seleucia Pieriæ cognominatur; supra eam Urbem est Mons Cassius, cujus excelsa altitudo quartâ vigiliâ orientem per tenebras solem aspicit. Mons est Eminentissimus Purpuratus Joannes Patritius, cujus in excelso vertice virtutes positæ: Tenebræ sunt Mahometica superstitio. Sol est, Deus Optimus Maximus, qui aliquando illuminabit abscondita tenebrarum, & quandocunque dixerit: *Fiet Lux.* Facta erit Lux; & ut Seleuciam suam illuminatam videat, votis, precibus, obtestationibus Cœlum Fabritius pulsat. Anno 1701, in Regnum Neapolitanum Nuntius Pontificius ibat, ut publicæ utilitati natam Sapientiam expromeret; statim Cardinali Cantelmo Archiepiscopo Neapolitano è vivis excedente, Vicarii munere, dum alius ejus loco denominaretur, Neapolitanæ Ecclesiæ præfuit. Sed quot motus tunc Alma Parthenope orbi dedit? Quantis cruentata cladibus Neapolis ingemuit? quàm providè inter illos turbines Pontificis Ministro utpote partium medio, & veluti sequestro, incedendum erat. Statim Anno 1702. haud satis in tempore pro piâ Austriâ vexilla in urbe Neapolitanâ sustollebant fidelissimorum procerum aliqui, eo luctuoso rerum eventu, ut deprehensi, indigno mortis genere, carnificis ferro colla darent. Eos inter fuerat Carolus de Sangro nobilissimus Dynasta, cujus in ferali pegmate, jam ultimum ictum exspectantis, hæc verba excipiebantur: *Carolus III. vivat, & ut Carolus vivat, moriatur Sangrus.* Ejus & Joannis Capeccii Marchionis Loffrani Ossa, Carolus III. rerum per regnum Neapolitanum potitus, humo erui jussit: â nobilissimis procerum in humeros sustollebatur Sandapila, & invisâ hostibus pompâ magnifico tumulo Dynastæ inferebantur, digni qui inviolatæ fidei suæ prœmia, etiam non sentientes, referrent. Toto illo tempore Joannes Patritius, partium semper medius, & inimicus nemini, cùm amicus omnibus esset, exstiterat; planè voluntati prudentissimi Pontificis, qui cum iisdem fluctibus luctabatur, omnino satisfaciebat; & Aldobrino Anno 1708. in ea Nuntiaturâ succedente, ærarii Pontificii Generalem Thesaurarium agere cœpit, cùm tutò opes traderentur, cui anima negotiorum priùs tradita fuisset. Ipsâ etiam Purpurâ omnium opinione, Solis suis virtutibus comendatus, dignus videbatur; quam proin Anno 1715. 16. Decembris Romanus Dynasta obtinuit, ut novum Patriæ suæ decus esset & ornamentum. Toto abhinc Triennio in maximè arduis Sacræ Romanæ Ecclesiæ muniis occupabatur; sed ut suarum etiam virtutum radios in toto latè ambitu diffunderet, ad Ferrariensem Legationem per abitum Julii Piazzæ S. R. E. Cardinalis vacantem in Consistorio secreto habito die 10. Jan. 1718. iis verbis, virtutum ejus encomio refertissimis destinabatur. *Ferrariensem Legationem, quam dilectus Filius noster Julius S.R. E. Cardinalis Piazza longè ultra Triennium, ad quod ei illa à nobis demandata fuerat, pari cum justitiæ ac prudentiæ laude administravit, committere nunc intendimus Dilecto pariter filio nostro Joanni ejusdem S.R. E. C. Patritio; de cujus fide, doctrinâ, rerum usu, probatáque in gravissimis ab eo laudabiliter gestis muneribus plurimùm in Domino confidimus.* Ex eo tempore Eminentissimus Patritius binis Pontificum Electionibus maxima spe sui semper interfuit. Planè si Carolo Magno, â Pontifice Adriano I in Patritium Romanum evecto (Anastasio, Blondo, Onuphrio, Sigonio, & Baronio testibus) is tituli honor gradum faciebat ad imperium, Eminentissimus noster Patritius, Nomine & Omine talis, ex Patritio fieri potest Pater Beatissimus.

 No,

No. XL.

NICOLAUS SPINOLA JANUENSIS.

Nicolaus titulo Sancti Sixti Cardinalis Spinola Januensis natus est 20. Februarii Anno 1659. ex decantatissima per orbem Spinolarum Familiâ, qui rerum gestarum magnitudine effecerunt, ut Saturnia Janua (nam â Saturno condita creditur) aurea sub tam felicibus syderibus iterum Saecula vivere videatur. Nomen trahunt â gentilitia, quam Spinolam vocant, sede, quae Marchionatûs praerogativâ gaudet. Imò meliore jure Seminarium dicam, ex quo in Principum Aulas prudentissimi Numae, in arenam Martis bellicosi Tarquinii prodierunt. Primus occurrit Paulus Spinola, qui togâ nescio, an cucullo magis praeclarus fuerit: Is expertissimae Vir prudentiae â Carolo II. Hispaniarum Rege ad pacem NimWegiensem Legatus mittebatur; licèt ea Pax Hispaniae utilitatibus adversaretur (nam Comitatus Burgundiae in Galliae manibus destituebatur) necessaria tamen erat, viribus Hispaniae adversa belli fortunâ haud parum diminutis. Ægrè decem hominum millia in Belgio alebantur: vectigalia quinquennio etiam anticipata fuerant: Accedebant aulica bella, externis longè deteriora. In foederatis exigua spes reposita manebat; nam omnes ita opinabantur, nullum foedus tam arctè adstringere, ut amici causâ quispiam semet projiciat, neque ut manum ei porrigat, qui in eosdem secum vortices auxiliatorem tracturus videatur. Hinc Anno 1679. ea Pax Hispaniae tam necessaria, tam â subditis exoptata, Paulo Spinola Pacificationis interprete, firmata. Postea in aulâ Mariae Annae Reginae ex Serenissima Domo Palatinâ summum praefectum agebat; sed rerum humanarum caducitatem, contemplatus, onustum Saecularibus curis navigium, ne inopino forte solutum naufragio interiret, in portu collocavit, cùm ad Fratres Minores Cappucinorum, aulâ derelictâ, Anno 1695. felix transfuga, transgrederetur. Viderit rebellantes subditos, incerta procerum studia, foedera rupta, maligna in aulis consilia, in media pace bella, in bellis rerum detrimenta longè deterrima. Contemplatus fuerit, quòd in principum aulis, insultent procellis divitiae, aggerantur in decumanos fluctus voluptates, terreant luxuriae syrtes, minentur honorum ac dignitatum scopuli, hient charybdes avaritiae, latrent libidinis scyllae, pugnent curarum symphlegades, resorbeat vanitatis Euripus, adulationum, voluptatúmque Acheloides dolosa modulatione exitium minitertur; hinc Sanctissimo odio suam sublimitatem, inania titulorum nomina fastidio, vestem togatam rigido habitu, frontis jubar cucullo, aedium laxitatem brevissimâ cellulâ, contemptu honores, imperium parendi legibus, aulae mensas frugalitate, atavorum pompas solitudine, famam silentio, divitias sponte suscepta egestate commuta-



Nicolaus Spinula, Ianuensis, Archiepiscopus The„
barum, Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor,
S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SS.mo
D.N. CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio Se,
creto die 16. Decembris 1715.

I. Crist. Kolb exc.

mutavit: Mortuus erat Anno 1699. pro quadriennii impensâ cœlum lucratus. Ejus Filius Philippus Antonius Spinola, togâ, ságóque inclytus, ab Anno 1707. ad Annum 1713. Proregis potestate Siciliæ præerat: Hispannis, utpotè inter eos educatus, vir clarissimus habebatur; nec minùs in Regiâ Aulâ Viro meritissimo primus gratiæ locus patebat; de quo dubitari potest, in se, an in Patre major censendus sit, cùm alter in gerendo, alter in deponendo Imperio gloriosus existat. Julius Spinola natus Anno 1612. Pontificis in Aulâ Imperatoris Nuntius, tam præclarus meritis extiterat, ut non modo Episcopatum Luccæ, verùm etiam Anno 1666. ab Alexandro VI. Purpureum Galerum, doctissimi Capitis ornamentum obtineret. Joannes Baptista Spinola natus Januæ Anno 1646. 3. Augusti Julium in Germaniam euntem comitabatur: Italam Sagaciam, & dexterrima Consilia Imperatori Leopoldo I. tantùm probaverat, ut ad suam Aulam traductum, Camerarium diceret. Inde Romam ad dignitates evocatus, ab Alexandro VIII. Secretarius Congregationis *della Consulta*, ab Innocentio XII. Urbis Romanæ Gubernator Anno 1691. denominabatur. Vir Severus, nec ad Aularum blandimenta flexibilis, toto Regiminis tempore, Authoritatis Romanæ retinentissimus fuit; hinc ei ab exterorum Principum Legatis non infrequens lis mota; meritis tamen suis, Pontificiorum jurium juratissimus assertor, consecutus fuerat, ut ab eodem Innocentio XII. Pignatello A. 1695. 12. Decembris Purpuram obtineret. Alius quidam Joannes Baptista Spinola (ex iis, qui Hispaniam Patriam agnoscunt) natus Anno 1615. 27. Septembris, primùm Episcopatum Mazaræ in Regno Siculo, postea Archiepiscopatum Materæ in Regno Neapolitano, inde Archiepiscopatum Januensem, postea à Clemente X. Urbis Romanæ Præfecturam, demum ab Innocentio XI. Anno 1681. 1. Septembris Sacram Purpuram impetraverat. Hic aliis post alias dignitatibus auctus, & omnes prorsus inoffenso pede transiens, in subsecutis Scrutiniis nunquam non dignus visus erat, qui ipsam Divi Petri Cathedram scanderet. Sed fuerint Viri illius ex Illustrissimâ Spinolarum Familiâ togâ clari; afferam imortalis nominis virum Ambrosium Spinolam, quem militaris peritia ad summum gloriæ apicem provexit. Si priores illi atramento & calamo rem Catholicam strenuè propugnârunt, hic Orthodoxæ Religionis hostibus, galeâ & gladio instructus, formidandus habebatur. Si Moyses illos & Aarones ambabus manibus amplexata est Sacra Roma, hunc Gedeonem, Ecclesiæ hostium fulmen vix non adoravit. An. 1604. Ostendam, illam Belgii fortissimam Spartam occupaverat: Ea urbs à V. Julii MDCI. usque ad XXII. Decembris 1604. à Batavis propugnabatur; quibus tamen Virtuti Spinolæ succumbendum denique fuerat. Anno 1606. Bergam ad Rhenum, cæso Edmundo Scoto, urbis Præfecto, recuperabat. Eodem anno Grollam, Zuphaniæ urbem, pulso inde Mauritio Orangio, obsidione liberaverat. Ad Bergam ad Zomam, quam Anno 1622. circumsidebat, minùs prosperè res succedebat; prout fortuna nemini ex integro favet. Verùm insequenti An. Schenckii arce ad Vahalim occupatâ, quam Hollandiæ clavem nuncupant, Batavorum fulmen habebatur. Anno 1628. Bredam, excitatis pluribus propugnaculis, quorum unum alteri perpetua sæpè committebatur, ita undequaque conclusit, ut nullam obsessis spem relinqueret externæ opis accipiendæ; & vix ullum ante eam diem opus in Belgio visum, quod ex castrensi disciplinâ perfectius fuisset; ita ut ad stupendum opus inspiciendum, peritissimi machinatores passim accurrerent: hinc integro Anno in ejus oppugnatione urbis circumvoluto, fortissima Urbs Breda Urbium Expugnatori Spinolæ pariter cessit. Ergo Gregorius XV. Pontifex Maximus, absolutæ felicitatis Heroem, Cæsari & Scipioni, Maximis Nominibus, magnifico rerum ab eo gestarum præconio comparaverat. Postea adversus Fridericum Comitem Palatinum, qui regni Bohemiæ Regem proclamari se jusserat,

Pala-

Palatinatui immittebatur, qui suis ipse spoliatus ditionibus, damno suo edoctus est, quàm prope se consequantur, propria amittere, dum quis aliena appetit. Tandem Ambrosius Spinola Heroicum Spiritum Superis Sedibus, Religionis egregius propugnator, quoad vixisset, habitus, transmiserat Anno 1630. Filium post se reliquit Augustinum, virum prorsus egregium, & Patriarum virtutum hæredem: cujus insignibus virtutibus, accedentibus Patris meritis, Paulus V. Pontifex Maximus tribuerat, ut eum Sacro Purpuratorum Collegio Anno 1620. adlegeret. Hi fuêre gloriosissimi ex Spinolarum Gente Antecessores, in quos Eminentissimus noster Purpuratus Nicolaus Spinola ita intueri visus, ut sibi imitandos unicè proponeret. Religione summum, Sacræ Aræ sibi vindicabant: in causis forensibus exercitatissimum, Curiæ deposcebant. Utrimque summam laudem adeptus, Antecessorum gloriam omnimodè adæquabat. Primò omnium Thebarum Archiepiscopus nuncupabatur. Ea Thebarum Urbs in Bœotia sita est. Olim potentia & rerum magnitudine per Græciam celeberrima erat. A septem Regibus oppugnatam constat. Hinc etiam septem Portarum nomen traxit. A Cadmo Phœnicio condita est, qui Draconem, Æolidis Principem debellaverat. Ea Urbs Epaminondam progenuit, inclytum in Martis arenâ ducem, & celebratissimum in curiis Oratorem. Hercules ea ipsa in Urbe educatus fuerat; & in robur verè Herculeum excreverat. Haud procul Helicon est, mons Apollini & Musis sacer. Enimverò Thebarum Archiepiscopus Georgius Spinola septem quasi portas omnibus pandit, cùm Facilis alloquio, cunctis ad se venientibus aditum præbeat. Thebanus Cadmus est, Draconis victor; draco, quem debellandum suscepit, vitia sunt, quæ in Integerrimi Antistitis mentem neutiquam cadunt. Thebanus Epaminonda est, tam ore facundus, quàm heroicis virtutibus inclytus, cùm sui victor nobilis animus, supra affectuum nubes celsissimi Athlantis instar elevetur. Hercules est; nec tamen ejus virtus ullas sibi columnas figi patitur. In Helicone Apollo habitat; nam literarum amantissimus ipse, literatos fovet, & largis Stipendiis ditat. Postquam Rainutio Pallavicino in urbis Romanæ regimine successisset, justitiam clementiæ ita attemperatam exercebat, ut rei Severum in eo Judicem unà reformidarent, & Patris unà Clementiam in mitissimo animo experirentur. Cùm apud Innocentium XII. Generalem Thesaurarium ageret, virtutum sibi thesauros, sedulissimâ administratione unà comparabat. Apud Sacram Rotam Auditor creatus, cunctos audiebat, & cum omnium admiratione oracula fundens, audiebatur omnibus. Tam insignia in Sacram Rempublicam merita Purpuram mereri visa; quam in gloriosos Antecessores suos Spinolas toties cadentem non degener ipse anno 1715. 6. Maii Clementis in se favore obtinuerat; quem tamen favorem Religione & prudentia provocaverat. Anno 1716. die Divæ Virgini in cœlos Assumptæ Sacra, huic Cœlitum Reginæ supplicabat, ut vires, animos, Victoriam Christiano in Hungaria Exercitui suppeditaret. Exauditus est Religiosissimus Antistes. EVgenIVs CæDebat tVrCaM: Anno 1717. repetitæ preces, & ecce! tVrCa IterVM CæDItVr, & DeCIMa oCtaVa AVgVstI (Superis ad Classica venientibus) BeLgraDVM CaroLo restItVItVr. Si & Thebas nobis Cœlum, nostra vota suspendens concessisset, novus in Helicone Apollo, Eminentissimus Purpuratus Gregorius Spinola Thebarum Archiepiscopus consedisset.



Gibertus Boromeus Mediolanensis, Patriarcha Antiochenus,
Episcopus Novariensis, SS.^mi Dñi Nri CLEMENTIS PAPÆ XI.
Cubiculi Præfectus, S.R.E. Presbyter Cardinalis, creatus, et
publicatus à Sanctitate Sua in Consistorio Secreto, habito in
Quirinali Palatio die 15. Martij 1717.

Ioh. Christoph Kolb exc.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maje. Cath.

41

No. XLI.

GIBERTUS BORROMÆUS MEDIOLANENSIS.

Gibertus tit. S. Alexii Cardinalis Borromæus Mediolanensis, Episcopus Novariensis natus est 12. Decembris Anno 1671. ex Illustrissimâ Borromæorum familiâ, quæ nominis sui gloria Lombardiam illustrat Universam. Si quidem Trinarius numerus perfectus existat, ex Nobilissimis Borromæis Triumviros, eósque Sacræ Romanæ Ecclesiæ Purpuratos omnes assero, ex quibus de reliquis dignoscas licet. Primus occurrit Divus Carolus Borromæus, illud sanctitatis Sydus, & totius Italiæ decus & Ornamentum longè illustrissimum. Necdum Sol iste plenè orbi ortus erat, cùm jam in aurorâ plenam meridiem Orbi exhiberet; nam supra parientis matris cubiculum superna lux prodigiosè corruscans, quis puer iste futurus esset, designabat. Adolescens factus, viam viri gradiebatur; & Clericali militiæ adscriptus, miles evadebat, qui Cœlo triumphos, orco clades dedit. Reditus Ecclesiasticos in manus pauperum statim detulit; neque ad vitam quidem congruè sustendandam, necessaria sibi reservans. Cùm eximiæ ejus virtutes statim coronandæ viderentur, rarissimo exemplo vigesimum tertium ætatis annum vix satis egressus, â Pio IV. Sacro Purpuratorum Collegio ocyus annumeratus est. Mediolanensis Archiepiscopatus, suo viduata Pastore, non diu anxiè circumspexit, quem pastorem haberet; assumendus erat, cui similem Mediolanum tunc equidem non habuit. Is omni studio in id nitebatur, ut Concilium Tridentinum, sub Paulo III. inchoatum, & sæpiùs interruptum, reassumeretur; & reassumptum, denique finiretur. Votorum etiam compos factus est; nam Generale hoc & Oecumenicum Concilium Pontificibus Paulo III. Julio II. & Pio IV. celebratum, magno Orbis Orthodoxi gaudio suum exitum sortiebatur An. 1563. Postea ad Helvetios & Rhœtos finitimos Carolus Borromæus paternam curam extendebat; & larga messis huic Sanctissimo Antistiti obtigerat, cùm vel obstinatissimi tantæ virtuti manus darent. Liberalitatem tota Lombardia in eo Principe obstupescebat; nam cùm ex divendito principatu Uritano quadraginta aureorum millia obtinuisset, unâ die in pauperes totam summam erogârat. Indigentiam Principis miseratus nescio quis, nihil habenti viginti millia aureorum legârat; sed ille spernere divitias dudum doctus, nec obolum sibi retinuit, pauperes pro se hæredes substituens. Cùm præter suppellectilem, quod distribueret, non haberet, etiam eâ privari in lucro posuit. Laboribus fesso, nuda humus lectus erat; & ne molliter unquam jaceret, nec lectum retinuit. Quis credidisset, in mitissimo animo vehementes Spiritus durare potuisse? ille tamen zelo Domini totus quantus exarsit, quoties videret, Ecclesiastica jura â quopiam diminutum iri. Cùm atrocissima pestis Mediolanum depasceret, crucem bajulans, & fune ad collum alligato, publicè incedebat, quantùm sibi peccatorum Maximus, tantùm aliis visus minimus. Lucidissima hæc Lombardiæ stella ad suum occasum vergebat Anno 1584. imò ad aliud & longè nobilius Hemisphærium translata, splendere lucidiùs cœpit. Orbi certè non interiit, quem maximis beneficiis hodiedum complectitur; nam Sanctorum fastis â Paulo V. pene imenso Mediolanensium gaudio illatus, multis in dies inclarescit miraculis. Magni nominis authore mihi compertum constat, quòd

cùm Augustissimæ Imperatrici Elisabethæ Guelferbitanæ Anno 1713. mense Aprili particula Corporis Divi Caroli spectanda & deosculanda præberetur, in eâ clarissima signa pusionis bellè formati comparuerint; quod optimi ominis loco acceptum, multiplicem prolem Augustissimæ Domui Austriacæ, quam Deus æternam velit, portendere videbatur. Nascebatur triennio abhinc Leopoldus Archidux Austriæ, felicitatis nostræ sydus futurum, si non data modò, sed & servata ea votorum nostrorum Cynosura fuisset. Secutæ fuère Anno 1717. 13. Maii Maria Theresia: Anno 1718. 14. Septembris Maria Anna: Anno 1724. 5. Aprilis Maria Amalia, singulæ lectissimæ Regiæ Austriæ filiæ, & Hispaniæ Infantes, quæ tantùm Orthodoxo Orbi præstare possunt, quantùm Eudoxia Imperio, Ildegunda Hispaniæ, Clotildis Galliæ, Theodelinda Italiæ, Edelburga Angliæ, Gisela Hungariæ, Margaritha Scotiæ, Dampurga Poloniæ, Alga Russiæ, Mathildis Tusciæ, Elisabetha Turingiæ præstiterunt. Possunt & hæ Semiramides evadere, quæ victrices per Imperium Aquilas exsplicent, esse Amazones, quæ Gloriæ campum victoriis emetiantur, fieri Judithæ, quæ dabunt salutem in Israël: Secundus ex celebratissimâ Borromæorum familiâ celebrandus venit Fridericus Borromæus, grande iterum Lombardis nomen, & publicæ procurator felicitatis. Non potuit non maximus evadere, cùm Carolum Borromæum morum institutorem nancisceretur, qui hunc suum consobrinum, præstantissimi ingenii adolescentulum, ad suam Aulam maturè traduxerat. Cùm summa morum innocentia stupendo in studiis profectui accederet, suis ipse manibus Sacris Ordinibus, Ecclesiæ hoc lumen futurum, Carolus initiaverat. Postea Fridericus in celeberrimo Collegio, Ticini â Carolo fundato Rhetoricam, summis ingeniis ad eum audiendum undequaque affluentibus publicè, & novus è rostris Cicero docuit. Latinam linquam tam eleganter eloquebatur, ut Lombardiam, omni barbarismo procul exulare jusso, Romano doceret ore loqui; Hinc summum Virum Sixtus V. Cardinalem dixit, & Clemens VIII. Ecclesiæ Mediolanensi Anno 1595. præposuit. Libros edidit prorsus eximios. De Episcopo concionante: Medicamenta literaria: de Christianæ mentis jucunditate: de Sacris nostrorum temporum oratoribus &c. &c. Eo etiam immortali beneficio literatum orbem sibi obstrinxit, quòd An. 1609. Collegium, ubi insignem ipse bibliothecam instruxerat, erexerit, quod Bibliothecæ Ambrosianæ Collegium nuncupari voluit. Est illa veluti illustrium virorum receptaculum, & literaturæ melioris officina. Celebratissimæ huic per orbem Bibliothecæ virum literatissimum Antonium Olgiati præposuerat, qui manuscripta ad novem millia, Friderici impensis, in illo omnibus aperto humanæ sapientiæ thesauro reponebat. Ex Vincentii Pinentelli Bibliothecâ, tanta vis librorum accedebat, quanta duodecim aut pluribus curribus advehi debuerat. Placidissimè exspiraverat Fridericus A. 1632. cùm sanctitatis pene apicem attigisse videretur; certe tantâ vir humilitate erat, ut summi Pontificatus apicem, cui proximè accedebat, honorum neglector, repudiaret. Tertius ex Purpurato Borromæorum Triumviratu dicendus restat Eminentissimus Sacr. Rom. Eccl. Cardinalis Gibertus Borromæus, in quem præclara majorum suorum decora ita cadunt, ut aucturus videretur, si summo Vertici quidpiam amplius superaddi posset. Ea est tua, Illustrissima Borromæorum Familia prærogativa, ut Borromæum nasci, & Sanctitatis Borromeæ vestigiis insistere, penè pro eodem reputetur. Ita Gibertus Carolum imitandum sibi proposuit, ut inde factum fuerit, ut & Ipse Integerrimi Antistitis laudem planè ab omnibus referret. Ad rem penitus comprobandam, non meis verbis, sed Romano utar oraculo; nam cùm Clemens XI. de Giberto Borromæo, Sacro Purpuratorum Collegio annumerando, ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales referret, ita ipsum proposuit, ut simul affirmaret, eum *tam morum innocentiâ quàm aliis Sacro Præsule dignis virtutibus, insignes suæ gentis Cardinales æmulari.* Certè Clementi XI. Borromæus

maeus tantùm in amoribus erat, ut quamdiu in vivis superesset, nihil officiorum in eo magis, magisque exornando prætermitteret; enimverò extraordinarii favores fuêre visi, quos Gibertus â Clemente experiebatur. Primò omnium Antiochenæ Ecclesiæ, ubi primam Divus Petrus Cathedram fundavit, Patriarcha nuncupabatur. Sic Romanæ Cathedræ, cui Soli Primatus debetur, propè admoveri visus, cùm proximam ab eâ sedem obtineret. Antiochia Metropolis Syriæ est: Oronti adjacet, ubi is Mari Mediterraneo committitur; constabat olim ex quatuor contiguis Urbibus, quarum quælibet suo muro cingebatur. Sarraceni Syriâ occupatâ, Antiochiam expugnârant Anno 637. Heraclio Imperatore. Nicephorus Phocas Orientis Imperator recuperabat An. 966. iterum in Sarracenorum manus venit Anno 970. Ex eorum manibus Ann. 1097. urbem extorserat Godefridus Bullionius. Ultimum Ann. 1268. capta erat â Sultano & penitus eversa. Daphnes lucus omnium amœnissimus, olim in ejus erat suburbio, cujus nullam arborem exscindere vel distrahere licebat; Hodie etiam ex Antiochiæ ruderibus, teste Monconyo, silva enata est, amygdalis & ficis arboribus lætissimè consita. Hanc ut rigare possit & plantare, aut potiùs excisis arboribus, in novam Antiochiam convertere, ibíque Patriarchalem sedem figere, Giberti Borromæi Antiocheni Archiepiscopi Sanctissimorum Votorum summa unicè est. Anno 1713. Novariæ Episcopus denominabatur. Novaria Petri Lombardi Patria fuit, quem Magistrum scientiarum nuncupârunt. Quantùm ille literis, tantùm eximio Religionis studio Gibertus Borromæus Novariensibus splendidum Pietatis una & Doctrinæ Sydus prælucet. Paulò postea â Clemente Pontificii Cubiculi præfectus seligebatur, quo haud tacitè Sanctissimus Pater innuebat, quanto in eum amoris affectu raperetur, cùm suo perpetuò adhærentem lateri vellet. Hinc ei proximus ad Sacram Purpuram factus gradus, quæ tam insignium Viro meritorum Anno 1717. 15. Martii obtigit; quo quidem tempore res evenit, quæ planè evicit, Gibertum Borromæum in animo Clementis paucos inter primatum tenere; nam Sanctissimus Pater, manifestam sui in eum animi tesseram exhibiturus, per Abbatem Cassinam, Magnum suum Cœremoniarium eidem Cardinalitium habitum, in quo ipse fuisset, cùm Pontifex crearetur, transmiserat, ceu planè dignum judicaret, ut cujus in habitum transgressus esset, in ejus etiam aliquando solio consp iceretur. Faustissima dies, quâ Cardinalis dicebatur, summo Mediolanensium gaudio celebrabatur. Nec festivi ignes, quos Princeps Familiâ adornabat, defuêre, qui claritudinem Neopurpurati denotare visi. Ipsa Domus Albana in partem felicitatis veniebat. Quippe Theresia Borromæa Carolo Albano, Clementis XI. ex fratre Horatio Nepoti, eidémque Sacri Romani Imperii Principi declarato, felicissimis hymenæis Anno 1714. juncta fuerat. Prædicta Maria Theresia filia est Caroli Borromæi perspectissimæ prudentiæ Principis, quem Caroli VI. Borromæorum Illustrissimæ familiæ, pro ejus in Serenissimam Domum Austriacam fidissimo & perpetuo studio addictissimus, non modò Sanctiori Consilio adlectum voluit, sed & virum regendis populis natum, Regno Neapolitano immisit, ut Proregis potestate florentissimum regnum regendum susciperet: Si itaque Eximiis, quos commemoravi, ex Illustrissimâ Borromæorum Familiâ, Triumviris Hunc quartum Superaddamus, est, cur térque quatérque beatos Borromæos pronuntiemus.

No.

No. XLII.

EMERICUS CSAKIUS HUNGARUS.

Emericus tit. S. Eusebii Csakius Hungarus Archiepiscopus Colocensis natus est An. 1678. 28. Oct. ex Illustrissima Csakiorum Familiâ, quæ Gentis antiquitate, & rerum gestarum magnitudine, nulli in Apostolicâ Hungariâ Familiarum quidquam concedere videtur. Bonfino teste à Zabolcho Hunnorum Duce, qui A. 744. Istro superato, sedem in Hungariâ fixerat, ortum ducit. Sed brevì ex Hunnis evasêre Hungariæ Apostoli. An. 1336. duo Germani Fratres ex Illustrissima Csakiorum Familiâ, verè nobile par fratrum, Beatorum catalogo inscribebantur. Ladislaus Csakius An. 1435. Transylvaniæ Princeps erat. Joannes Hunniades ille Turcarum terror, & Christiani orbis propugnaculum longè fortissimum, qui Mahometis II. potentiam non semel fregit, ex Csakiorum aulâ egregius alumnus prodierat, ubi educatus in Herculeum robur excreverat. Georgius Csakius militiam Joannis Hunniadis secutus, super strata Muselmannorum cadavera gloriosus victor procubuerat. Nicolaus Csakius A. 1500. Cenadii Episcopus erat, quæ urbs non longè ab eo loco, ubi Tibiscus Marysium flumen excipit, sita est. Georgius Csakius cum immortalis nominis heroe Nicolao Serino A. 1566. Sigethum prodigiosa virtute adversus Solymanum Turcarum Tyrannum propugnabat. Solymanus obsidioni intermoriebatur, ejus morte v. ferrimè à Vezirio occultatâ: & Christiani heroes, fortissima eruptione in hostem facta, ubi unus contra mille stabat, ad unum enecabantur omnes. Ladislaus Csakius Scepusiensis Comitatûs (Zips) Dynasta supremus, An. 1649 Judex Regiæ Curiæ à Ferdinando III. denominabatur. Stephanus Csakius Eminentissimi nostri Purpurati gloriosissimus Parens, Augustissimæ Domui Austriacæ juratissimo studio addictus (ut illibatæ in Reges fidei laude illustre est Csakiorum nomen) à Leopoldo Ferdinandi Filio eidem Regiæ Curiæ Judex præesse jussus. Is A. 1675. multam operam posuerat, ut Hungariæ malecontentos Leopoldo conciliaret: ad eos in Transilvaniam profectus (quinque ibi coierant millia) hortabatur, desinerent parricidales gladios in patriæ viscera demergere; vel in victoriâ patriam succumbere: Cæsaris esse tantam æquitatem, Imperium tam dulce, ut nulla per Europam reliquam natio, quàm in Austriacâ dominatione clementiùs habeatur; si insanire pergerent, Hungarorum nomen sibi probrosum, exteris detestabile facturos. Nec inanis fuerat Csakii labor: redierant haud pauci, clarique imprimis nominis ductor Emericus Comes Balasius; odio, cædibúsque Germanorum inter columnas factionis habitus. Dignus planè Stephanus Csakius erat, qui filium progigneret Emericum Csakium, à quo Purpuræ Honor in illustrissimam Familiam primò omnium inferebatur; immò tota Hungaria inde exultare visa, cùm à Petro Pazmano, qui Cardinalis creatus An. 1623. suæ Nationis Purpuratum non vidisset. Enimverò Emericus Csakius S. R. E. Card. jam ab ipsis incunabulis perspicua futuræ Magnitudinis indicia exhibebat. Eum parentes, piissimum par conjugum, antequam in lucem oriretur, Deo consecraverant; nam diu improles religiosissima mater, votum conceperat, se eum, quem utero ferret infantem, Deo & Sacræ Religioni, ceu debitas primitias unicè mancipaturam. Inde nec alio unquam, quàm religioso indutus habitu, conspiciebatur; sic à teneris pietati innutritus, laboriosam Virtutem in naturam traxit; & quandoquidem suavissimis moribus & candidissima indole esset, ut literis unà generosus animus imbueretur, Cassovium mittebatur, ubi in celeberrimo ejus Urbis Seminario admirandos in Studiis progressus faciebat, ita ut jam in adolescentiâ Sapientiam senilem exhiberet. Licet Mars Turcicus literis

obstre-



Emericus Czacki Hungarus, Archiepiscopus Colocensis S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo Dño Nro CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio secreto die 12. Iulij 1717., et publicatus in simili Consistorio die 1. Octobris eiusdem Anni.

I. Christoph Kolb. exc.

Cum Gratia et Privil: Sacr. Cæs. Maje. Cath.


obstreperet, & Hungaria intestinis discissa motibus in ejus adolescentiam incideret, Mens tamen excelsa, & in Parnassi Vertice posita, adeóque nubibus superior, cum Abdolonymo quodam bellorum undique circumsonantium strepitus, quibus tota Europa concutiebatur, non audiebat. Florebat tunc magnis adversus Hungaros rebelles progressibus Illustrissimus Pater, cui fidissimo partium Architalasso Cæsar suas per Superiorem Hungariam copias regendas tradiderat, ut â malecontentorum insultibus imunem provinciam præstaret; cúmque adeò Emericus Csakius Cassovii Musis vacaret, gloriosus pater, ne Palladis Alumnum inimicus Mars interturbaret, foris excubabat. E Seminario Cassoviensi ad Romanum Soc. J. Collegium Emericus Csakius properabat, quem utique iis Sapientiæ Magistris, fieri Maximum oportebat; certè quem hauserat prorsus eximium, pro Sacra Religione tuenda, iis authoribus zelum, inconcusso studio, in patriam redux, perpetuò conservavit, & neque ad aures quidem admittebat, quidquid alii, mediarum veluti partium homines, quod Sacræ Religioni adversaretur, obganniebant; usitatam videlicet sæcularibus cantilenam: velificandum esse qualibuscunque regnorum utilitatibus. Religionem Deo Cordi futuram. Alios Aphorismos in urbe orbis Domina, prudentissimus Csakius hauserat: Sacra Religione salva, inconcussam stare regnorum felicitatem; quoties Sacra hæc anchora movetur, toties fluctuare simul Reipublicæ navem. Esse hæresin contumaciæ argumentum, dúmque ex hominum mentibus sensim excutiat Dei jugum, detrectare atque excutere humana similiter Imperia; hinc multorum postea odia incurrebat Eminentissimus Csakius, illorum videlicet, â quibus vituperari, laudari instar erat. Contrà Orthodoxa Hungaria amplissimas statim præbendas Csakio offerebat. Nam postquam is Româ discessisset, propugnatis, & Innocentio XII. dedicatis ex Theologiâ mysticâ Thesibus gloriosus, primò omnium Agriensis Ecclesia eum in Canonicum adoptavit; postea eximius ejus in animarum salute procuranda Zelus effecerat, ut Cassoviensis Ecclesiæ Pastorem, Vir Princeps & regendis populis natus, integro triennio agere vellet. Inde Abbatiam haud procul Waradino obtinuerat, quam â miraculoso curru nuncupant; nam inde currus, quô Divi Ladislai demortui Corpus ferebatur, nemine impellente, suapte Waradinum iverat; nec minus Præfecturam Possoniensem, summæ spei Dynasta obtinebat; in Bello Hungarico, quando malorum omnium incentore Ragoczio regnum miserè dilacerabatur, amicabile pacis sydus futurus erat, nisi suum planetam, inquies Hungaria, Martem elegisset. Hoc egregio studio suo, Patriæ necessitatibus impenso, in oculis Austriæ pretiosus evadebat Emericus Csakius. Hinc Leopoldus I. Waradini Episcopatum in eum contulit. Eum Episcopatum â Sancto Ladislao Hungariæ rege fundatum constat, ubi etiam sacra ejus ossa hodiedum requiescunt. Josephus I. ad Archiepiscopalem sedem Colocensem tot suis, tot familiæ meritis præclarum Virum evocabat; is Episcopatus omnium primus erat, quem Divus Stephanus A. 1000. erexerat, quo quidem in solio ex Purpuratis Principibus Emericus Csakius primus sedit. Carolus VI. Sanctiori suo Consilio Virum expertissimum adlegit, & in arduis quibusve causis, Regni Hungariæ necessitates concernentibus Sobriis integerrimi Viri consiliis utitur. Sic tres ex Augustissima Domo Austriacâ Imperatores, Leopoldus, Josephus, & Carolus in unum Emericum, maximis quibúsve muniis exornandum, conspirârunt; quæ ante eum felicitas, paucis obtigerit. Nec etiam Sacra Roma defuit, ut Sacræ Religionis in Apostolico regno assertorem strenuum ex condigno remuneraretur. Purpura restabat, quæ tantis meritis deberi visa. Pro ea summo Viro impetrandâ, Augustissima Imperatrix Elisabetha Guelferbitana intercedebat; nunquam meliùs suas preces interponi rata, quàm cùm tam Illustre Ecclesiæ Sydus, in Purpureo Coelo collocatum vellet. Eo tempore victrices copias Cæsar per Hungariam explicabat; & â Divi Stephani temporibus usque, nullius quàm Caroli per Hungariam Majestas Augustior, aut ditio amplior visa. Belgrado, & Temes Wariaè Turcarum manibus ereptis, claves ad cin-

gulum nunc Austria portat, quibus Turciam sibi aperiat; hinc Romano Pontifici æquissimum visum, ut unde seges victoriarum accresceret, eò gloriæ bravîum referretur. Ergo Emericum Csakium An. 1717. 12. Julii Cardinalem volebat, ut Hungariæ triumphis Purpuræ honorem, Hungaro collatum homini, supperadderet. Rem Poeta quispiam his versibus complectebatur.

1. *Cur Emerice rubes, cur verno tempore Csaki?*
Arva, nemúsque virent. Cur Emerice rubes?
2. *Nescis? præteritus gramen depinxerat Annus,*
Terráque Turcarum rubra cruore fuit.
3. *Summi Pontificis rubor hic penetraverat Aulam,*
Et subito Præsul Candidus erubuit.
4. *Hunc Augusta Viro Victoria parta cruorem*
Excutit, & virtus Principis Eugenii.

Causam uberius expresserat Clemens XI. cùm in Sacro pectore reservatum 1. Octobris memorati Anni 1717. promulgaret. Ejus ad S. R. E. Card. verba ea fuêre. *Venerabiles Fratres. Ut Hungaricis victoriis plenior hac die lætitiæ cumulus addatur, ad gloriam Omnipotentis Dei, Sanctæque Rom. Ecclesiæ Utilitatem ac decus palam hodiè evulgare ac declarare intendimus illum Cardinalem, quem in Consistorio Secreto die 12 præteriti Mensis Jul. habito creavimus, & in pectore reservavimus, videlicet Venerabilem Fratrem Emericum Csakii Archiepiscopum Colocensem; congruum enim ac valdè opportunum existimamus, hoc tempore Hungaricum præsulem, non tam generis claritate quàm virtutibus præstantem, amplissimo Ordini Vestro adscribere, ut tam ipse, quàm alii illius Apostolici Regni Episcopi ad agrum sibi creditum excolendum nunc maximè alacriores reddantur, cum Messis amplior majorem operariorum sedulitatem exquirit: ipsúmque Regnum speciali quodam jure huic sanctæ sedi addictum, quippe quod ei jam dudum à S. Stephano Rege oblatum fuerat, novo hoc & præclaro Pontificiæ largitatis argumento lætari valeat.* A. 1718. rubeum biretum, ab Abbate Maffejo allatum, Sacrato Vertici Cæsaris manus imposuit; Tam apposita oratione Emericus grates habebat, ut simul ostenderet, se Apostolicæ sedi ad sanguinis usque profusionem, quam Sacra Purpura denotaret, devotum; & Augustissimæ Austriacæ Genti, avita Csakiorum fide, quoad Spiritum traheret, addictissimum. An 1719. Comitem Virmontium, Cæsaris ad Aulam Turcicam Plenipotentiarium, cùm secundo Danubio Constantinopolin properaret, omni honorum significatione Coloczæ excipiebat, sincerissimo gaudio gaudere visus, quod Pace Passaro Wiciensi, cujus Virmontius interpres extiterat, Belgradum Hungariæ propugnaculum longè fortissimum Cœli favore, Cæsaris fortuna, & invictâ Eugenii virtute è Turcarum manibus ereptum fuisset: illud, inquam, Belgradum, quod A. 1453. Joannes Hunniades belli fulmen (quem apud Csakios educatum diximus) adversus centum & quinquaginta Turcarum millia, & pene infinitum navium numerum, Joanne Capistrano præsidiarium militem animante, fortissimè propugnaverat, frendente licet & ringente Mahomete II. XL. Turcarum millibus amissis. A. 1719. Agriam venienti Emerico, loci Episcopus Gabriel Erdödus obviam processit: tres Hungarorum equestres turmæ, festâ scloporum salutatione venientem excipiebant. Erant illi omnes tygrydum pellibus & Leopardorum ad horrorem venusti. Cives inter, ex utroque latere, quà incedendum erat, in armis stantes, ad Episcopalem Aulam devehebatur; ubi decentissimâ Pompâ exceptus, & opiparam habitus fuerat. Verùm nunquam magis gaudere Csakius visus, quàm cùm A. 1719. Dominicum Corpus tantâ undequaque affluentium Hungarorum multitudine circumferret, ut Illustrior Pompâ â Divi Stephani temporibus in Hungariâ non visus videatur. Videbat Hungariam fertilissimum agrum esse, ubi exstirpatis Sterilibus herbis, Almæ Religioni ampla messis succresceret. Ut Ipse hunc Agrum magis magisque plantaret & rigaret, eodem adhuc An. 8. Sept. Leustovii ab Emerico Pangrazio Episcopo Pharensi, eodémque Præposito Scepusii, assistentibus unà Stephano Görgesio, Præposito sancti Gabrielis de Gabore, & Ecclesiæ Waradinensis sumo Custode, necnon Jacobo Marskoveskio & Joanne Pelczo, omnibus Infulatis Abbatibus, ad majorem Dei Gloriam, & S. R. Eccl. incrementum, prout indubie speratur, initiabatur. Mense Nov. Cassovium ibat, ubi campanam quadraginta centipondiorum, è turri Ecclesiæ Patrum Soc. J. suspendendam, in honorem Divi Donati consecrabat: Vespere ad Seminarium se conferebat Augustâ suâ præsentiâ locum beaturus, ex quo ipse (suo videlicet Parnasso (sub egregiis scientiarum Magistris, tantus Apollo prodiisset. An. 1721. post Clementis XI. è vivis excessum Romam, Electioni interfuturus, properabat. Secum unà in Principem Urbem Nepotem Csakium adducebat, ut Romanam oculis hauriret magnificentiam, animo imbiberet virtutes. Neoelectus Pontifex Innocentius XIII. Hominem Hungarum, in quô tot decora inveniret, singulariter distinguebat, nulla in eum, quàmdiu Romæ esset, Paterni Amoris significatione omissa. Antequam Hungariam repeteret, quò eum regni necessitates evocabant, in suâ S. Eusebii Ecclesiâ, quam Patres Bernardini tenent, possessionem capiebat, Bernardum imitatus ipsemet, utpote qui verbis non nisi mel ferre didicisset. In Generalibus Regni Comitiis, post ejus reditum Possonii celebratis, tam prompto in Augustissimam Domum animo omnes ferebantur, ut cùm Germanus Cæsar Hungarum cum Hungaris ageret, Germanizare Hungaros cum Cæsare credidisses. Tanta illis Augustissimi Nominis, tot per Hungariam triumphis adversus Turcas nobiltati, Reverentia existit! Enimverò Carolo VI. in Hungariæ solio sedente, Geisæ, Stephani & Ladislai Apostolico regno nunquam deerunt; neque etiam Adelberti (Hungariæ Conversores erant) deesse videbuntur, quamdiu Eminentissimo Purpurato Emerico Csakio simillimi ad Ecclesiæ Clavum Antistites, â Sapientia & Religione commendatissimi, sedebunt.

No.





Leo Potier de Gesures Gallus,
Archiepis. Bituricensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis,
creatus in Consistorio Secreto à SS.^{mo} D.N.
CLEMENTE PAPA XI. die 29. Novembris 1719.

Ioh. Christ. Kolb exc.

Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

43.

No. XLIII.

LEO DE POTIERS, CARDINALIS DE GESURES GALLUS.

LEo Potiers Cardinalis de Gesures Gallus, Archiepiscopus Bituricensis natus est Anno 1656. 15. Augusti ex Illustrissimâ Potierorum per Gallias Familiâ. Satis ex Galliæ fastis constat, quòd Comitatus Valentiæ (vulgò Valentinois) ad Rhodamum amnem in Delphinatu situs, ad vetustissimam Potierorum Familiam aliquando spectârit; sed Ludovicus II. Comitum ultimus, non habita ratione patrui Caroli, ad quem ejus Comitatus possessio, Ludovico sine liberis decedente, spectabat, Regibus Galliarum Comitatum divendidit, quem Illustrissima Potierorum Familia tribus integris Sæculis, non interrupta successionis Serie, â XII. videlicet Sæculo ad XV. obtinuerat: tantam videlicet cladem unius è familiâ malè concors animus, toti Stemati, avitâ possessione deturbato, inferre valuit. Ludovicus XI. hunc Comitatum Delphinatui inserebat. Verùm Ludovicus XIV. Cæsari Borgiæ, Alexandri VI. antequam Pontifex esset, è legitimo thoro filio, eum Comitatum, quem Ducatûs prærogativâ donabat, tradiderat, multùm obnisis, sed frustra contra torrentem Potieris. Inde ad Principes Monœci (vulgo Monacco) Ludovici XIII. donatione Principatus transiit, â quibus hodiedum obtinetur. Mansit tamen inclyta Potierorum Familia, Dynastiis, opibus, & rerum gestarum gloriâ celeberrima. Gentilitiam sedem in agro Cenomanensi (le Maine) habent. Gevres vocant, qui locus Marchionatûs prærogativâ gaudet. Diana Potiera nata Anno 1500. juratissimo odio in Hugonottos, quorum principia in ejus tempora incidebant, ferebatur. Hugonottorum nomen sub id tempus ita exortum fertur. Erat Cæsaroduni (Tours) incolis in more positum, ut ad terriculamenta infantibus facienda, Hugonem quempiam nominarent; nam is, ut quidem rumor ferebat, noctu urbis pomœria obequitabat, & obvios lacessendo & pulsando, grave incolis spectrum & urbis terror evadebat. Tunc Sectarii, qui Cæsarodunum frequentes inhabitabant, circa ea pomœria noctu sua conventicula celebrabant, cùm interdiu conveniendi libertas non esset; hinc pueris quasi nocturni lemures etiam digito monstrabantur, atque â memorato Hugone nomen per deridiculum trahebant. Sed hæc nomina erant; illud rem propiùs tangit, quòd Diana Potiera, quæ in Reginæ ministerio versabatur, omnem, quâ ad stuporem pollebat, eloquentiæ vim, apud Henricum II. Galliarum Regem in id unicè contulerit, ut eum Regem adversus Hugonottos, totius Regni viribus debellandos, incitaret. Et ferox hæc Tullia multùm effecisse videbatur; cùm Henricus Tarquinium imitaretur, qui summa papaverum culmina (sectariorum capita) demetere cœpisset. Sed luctuosissimus casus eos Henrici conatus abruperat. Rex Sororem suam Margaritham Anno 1559. Emanueli Philiberto Sabaudo uxorem tradiderat; sed nunquam Gallia nuptiarum hilaria funestiori catastrophe clauserat; nam cùm Rex equestrem decursionem insti-

instituisset, ad quam totius Europæ hastas provocaverat, unâ alterave die palmam semper laude ipsemet decurreret; sed cùm tertiò repetito campo cum Gabriele Comite Mongomiero, Prætorianæ cohortis præfecto, galeâ præproperè non satis occlusâ, decurreret, ab adversæ hastæ fragmento, apertam buculam irrumpente, transfosso dextero oculo, ictóque inde cerebro, ante oculos infinitæ multitudinis, quam ipse ad funus videlicet suum ambitiosè convocaverat, pene exanimis procubuerat, & quinto abhinc die decedebat; sed est in re feliciora fuêre tempora Eminentissimi nostri Purpurati Leonis Potierii, quippe insana duellandi libidine, per regnum penitus sublatâ; nam cùm Galli, utpote audens & bellica natio, mutuis provocationibus privatas plerumque lites dirimere soliti essent, & magna pars nobilium, debitum Reipublicæ sanguinem, ejusmodi inglorio certamine prodigeret, adeò ut intra paucos annos plures privatarum inimicitiarum victimæ è vivida natione caderent, quàm decretoriâ in acie cadere potuisse, vulgo crederetur; hinc Ludovicus XIV. eam Regni sui labem miseratus, sanctissimè edixit, & dicta juramento confirmavit, morte moriturum, quisquis inimicum gladium in alterius vulnere defixisset; Nullas à se ea in re Regum aut Principum qualiumcunque preces exaudiendas; publicâ infamiâ notandos, sive quis victor in arenâ hostem prostravisset, sive etiam victus damnabili pugnâ animam efflavisset: Si quis è regni finibus transgressor pedem extulisset, pœnam non defuturam, ejus effigie manu carnificis è patibulari cruce suspendendâ. Staturam Manliano rigore legem, si vel regius Princeps pro omnibus latam temeraret: Ejus, qui provocaretur, honoribus satis consultum iri; modò reponeret notum illud (le Roy ne veut) seu quod idem est: *Regis edictum, ne compaream, obstat.* Audite hoc reliqui per Europam Principes! statuite vestris in Regnis similia Christianæ mansuetudinis exempla; neque permittite, ut vindice ferro frater in fratrem gladiaturus insurgat; nisi velitis, fusum copiosissimè sanguinem â vestris manibus aliquando reposci. Sed in iis veluti induciis belligerandum tamen erat Eminentissimo nostro Purpurato Leoni Potiero: Sacra Roma classicum cecinit, Christianissima Gallia ad victoriam generosum pugilem invitabat. Inimica signa sustulerat Quesnellus; sed è Capitolio fulminatus profugus ibat Amstelodamum. Restabant tamen repullulantes reliquiæ, quas Ludovicus XIV. regia authoritate supprimebat. Eô extinctô, sub minorenni Rege Quesnelliani impetum reassumebant; sed modò adultum, est, quòd reformident: immò Quesnellus penè per Galliam nullus est; & si qua nubes Gallicum cœlum obfuscavit, Sol tamen esse non desiit. In gravissimo hoc negotio Potierus Gallicus Hercules erat, qui pro infallibilibus Clementis XI. Sanctionibus, ad ultimum usque vitæ halitum tuendis, fidem Sanctissimam interponebat. Ea laudabilissima declaratio Viri Principis fuit, quem Christianissima Gallia vel exinde inter paucos prorsus eximium habeat. Is natam Galliis Sapientiam in Romano publico Orbis theatro maturè exhibuit; & spectaculum visu jucundum erat, cùm vel Protonotarium Apostolicum ageret, ubi appensus in staterâ semper justus, semper incorruptus inveniebatur, vel Referendarii utriusque signaturæ munus eâ sui commendatione obiret, ut multa referendo, palmarem semper laudem ipsemet referret; Hinc eximiis suis commendatus meritis, â Ludovico XIV. ad Bituricensem Ecclesiam regendam evocabatur; ad quod fastigium evectus, nihil antiquius habuit, quàm ut religiosæ vitæ integritate, & in omni victu cultúque modestiâ, eam dignitatem tueretur. Dicta Biturigum Urbs (Bourges) Aquitaniæ olim Caput, quinque & viginti annis ante Christum natum tam feroces Spiritus gesserat, ut Julium Cæsarem, formidandum illud orbi nomen, minaciter excluderet; hinc ex quadraginta Bituricensium millibus

vix

vix octingenti è civibus evaserant: posterioribus temporibus cùm Carolus VII. Galliarum Rex, deleta maxima nobilitatis parte, ab Anglis, totum regnum spe devorantibus, in summas angustias redactus fuisset, Lutetiâ Parisiorum sedem Biturigum in Urbem transferebat; hinc ab Anglis contemptim *Biturigum Rex* nuncupabatur. Leo Potierus de Gesures Julio Cæsare major est, quantùm quidem fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit mœnia; nam austeræ vitæ Vir, sibique durus, fluxarum rerum, & vitæ non necessariorum commodorum osor perpetuus & magnanimus existit: Extra fabulam Rex est suis Bituricensibus, quos Regali Vir Purpura splendidus Sanctissimis legibus firmat. De Ecclesiâ Biturigûm constat, quòd totius Galliæ longè vetustissima existat; nam Ursinum quempiam ajunt, ab Apostolis in Galliam missum, Ecclesiæ ibi fundamina jecisse: Nec itaque mirum esse videatur, Eminentissimum Purpuratum Potierum de Gesures in Benedicti XIII. Pontificis Maximi è gente Ursina amoribus hærere, dum quidem reminiscatur, illum dignissimum eâ in Ecclesiâ successorem esse, quam Virtus Ursina fundavit. Bituricensis Ecclesia sub Nicolao I. Primatum in Galliâ tenuit; hinc Magnus sit oportet, qui eam regendam suscipiat. Ex eâ Biturigûm Ecclesia, Ursino Antesignano, XVIII. Episcopi Sanctorum fastis illati numerantur; in eos Sanctitatis Magistros Leo Potierus ita mentem, oculósque advertit, ut Sanctissimis vestigiis probè insistat. Erat in domesticis Galliæ bellis Biturix Hugonottorum sedes; sed jam Leone Potiero ad clavum sedente, pietatis evasit domicilium. Bituricenses cives ob fidem egregiam Ludovico XI. & Carolo VII. adversus Anglos præstitam, Nobilitatis prærogativâ singuli gaudent; si hi ob fidem nobiles, iterum eos inter Rex sit oportet Leo Potierus, qui inconcussa fide Ecclesiam, Regem, Patriam complectitur universam. Planè non vulgaribus fulgentem meritis, Clemens XI. dignissimum judicabat, qui Purpuratus esset; Modestissimo Viro rubedinem incutiens, cùm etiam ab externâ Poloniâ commendatum, ad Purpuram vocaret: Nam ea Clementis Anno 1719. 29. Novembris Promoventis verba fuêre. *Creare intendimus Leonem de Gesures Archiepiscopum Bituricensem. Hic per plures annos in hac Alma Urbe Collegio Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium, ut benè nôstis, adscriptus, acceptus omnibus, invisus nemini, modestissimè vixit: ac interim Utriusque Signaturæ Referendarium laudabiliter egit. Discessit ab hac Urbe corpore, non animo, quippe quem retinuit semper erga Apostolicam sedem obsequentissimum, erga Romanam Curiam amantissimum.* Non vivacioribus Apelles coloribus depingere Probatissimum Antistitem potuisset. Regiminis artes hauserat â sapientissimo Parente Leone Potiero, Duce de Tresmes, Pare Franciæ, Marchione de Gesures, d' Annebaut, Gandelu, & Fontenay-Marevil, qui in Aulâ Ludovi XIV. frequens & gratiosus, in eo Sapientûm cœtu, qui ad Regiam tanto sub Rege undequaque affluebant, Maximus evaserat. Virtutes cum materno Lacte imbiberat ab illustrissima Matre Maria Francisca Angelica du val, quæ Stemmatis sui Ultima, virtutibus omnes præibat. Æmulum Virtutum in primâ adolescentiâ nanciscebatur egregium Fratrem Franciscum Bernardum Potierum, quem insignia sua merita ita evexerunt, ut Lutetiæ Parisiorum Præfecturam, id est, Caput Rerum, & Animam Regni obtineret. Ipsemet Eminentissimus Purpuratus exemplo traxit illustrissimas Sorores Mariam Joannam natam An. 1657. & Susanam natam An. 1659. ut Sæculo valere jusso, ad Monasterium Monialium Visitationis S. Mariæ in suburbio sancti Jacobi Parisiensi Sanctissimo Consilio transirent. Denique Magisterio est generosis è Fratre Francisco Nepotibus Francisco Joachimo Bernardo Potiero Marchioni de Gesures nato An. 1692. Ludovico Leoni Potiero Marchioni de Gandelu, nato An. 1695. & Stephano Potiero Comiti de Tresmes nato An. 1697. ut optimi Regiminis normam probè edíscant, & justitiam, Clementiæ attemperatam semper possideant; seu Tales evaderent, qualis ipse reverâ esset. Nam edit Hic Leo (Leo Potierus de Gesures) rugitus improbis, favum distillat in ore Probis.

 No.

No. XLIV.

GEORGIUS SPINULA CARDINALIS S. AGNETIS JANUENSIS.

GEorgius tit. S. Agnetis extra mœnia Cardinalis Spinula Januensis, Cardinalis S. Agnetis nuncupatus natus est An. 1667. 5. Junii. In eo equidem Natura, Fortuna, & Virtus experimentum capere visæ, in quantam gloriam valeant, si in unum hominem beandum universæ conspirent. Nobilissimum sanguinem & maximarum rerum capacissimum â Spinulis hausit: institutione discretus, industrius, probus, ac eruditus evaserat: forensium rerum perpetua tractatio effecit, ut rerum omnium exquisitam experientiam, in maximis quibusvis negotiis pertractandis sagacitatem, & providam in futuros eventus mentem afferret; & ne humana unquam, quam summam possidet, sapientia, â vero tramite aberraret, Religionem Comitem in arduis quibusve negotiis Prudentiæ perpetuò adjungebat, ut illa facem præferente, hæc inoffenso pede denique incederet. Ab Innocentio XII. ad Romani Regiminis curas advocatus, Centumcellis Gubernator præesse jussus est. Ea Urbs vulgari indigitatione Civita vecchia (vetus Civitas) dicitur: portu egregio, ac Triremium Pontificiarum statione nobilis: Ptolomæo portus Trajanus vocatur: Pontifex Innocentius XII. portum, situ comodum, omnibus nationibus, eò negotiationis causâ appulsuris, liberum aperuerat; hinc in quo summam ille rerum magna ex parte collocabat, Georgii Spinulæ manibus, in quo multùm confidebat, ocyus comittebat, ut aperti emporii honos penes ipsum denique foret. An. 1699. ad præfecturam Viterbiensem evocabatur, ut in ea urbe, olim publicis universæ Hetruriæ conventibus nobilitatâ, absolutissimi ministri fundamina jaceret. Inde Pontificis Nuntius Magni Hetruriæ Ducis ibat, & jam plenis radiis Phœbus lucebat. Postea Cæsareæ Archiepiscopus nuncupatus est, ut cùm Occidentalem orbem præclaris suis virtutibus illustraret, ardentissima Vota in orbem Orientalem unà extenderet. Cæsarea urbs est Cappadociæ, ad Melam fluvium & Argæi montis radices jacens, cui Basilius Magnus An. 369. præfuerat: est & alia Cæsarea urbs Ciliciæ, quam Pyramus amnis præterfluit: Archiepiscopatûs honore gaudebat, & cum urbe Tarso, Divi Pauli patriâ, de prærogativa contendebat. Neocæsarea urbs in Ponto est, Gregorii Nazianzeni patria. Cæsarea Palestinæ ad lacum Genesareth sita est, ubi Divus Paulus in vinculis biennio egit. Cæsarea Philippi Libanum montem ab oriente tangit, ad quam cùm versaretur Salvator, discipulos interrogabat, quem homines se esse dicerent. Enimverò Georgius Spinula, sanctissimis curis totum orbem complexus, Alexandri Magni instar, unâ manu Orientem, alterâ Occidentem contingere visus. An. 1710. ad Polonos nuntius ibat, Friderico Augusto de suo in regnum reditu Pontificis nomine gratulaturus: omnibus regiæ benevolentiæ signis exceptus, in Regiâ postea ita versabatur, ut omne studium in id impenderet, ne inter eos turbines, ubi gravida nubibus tempestas ab Oriente, Gottico Æolo excitante, detonitura in Poloniam videbatur, res orthodoxa quicquam detrimenti pateretur. Munere probè defunctus, & integerrimi Ministri laudem ab omnibus consecutus, ad insignem Nuntiaturam Viennensem Pontificis mandato evocabatur. Magnificentissimo, qualis Pontificium Nuntium decebat, comitatu Urbem Germaniæ Principem & Cæsarum Regiam intrabat. Præibant currus Cæsareorum Ministrorum omni arte elaborati, & auro argentóque splendidissimè exornati,



Georgius Spinula, Archiepis. Cæsareæ, apud Cæsaream Maiestatem Apostolicæ Sedis Nuntius Ianuensis, S. R. E. Præsbÿter Cardinalis Creatus in Consistorio Secreto a SS.mo D.N. CLEMENTE PAPA XI. die 29. Novembris 1719.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

nati, quorum singulos sex equi, phaleris & omni ornamentorum genere superbè exultantes ducebant. Camerariorum Cæsaris curruum is ordo erat. Primus Currus Friderici Adolphi Comitis Herbersteinii erat. II. Christophori Ernesti Comitis de Fuchs. III. Antonii Francisci Comitis Strattmani. IV. Caroli Josephi Comitis Lambergii. V. Joannis Leopoldi Comitis Kuffsteinii. VI. Joannis Alberti Comitis à S. Juliano. VII. Adriani Comitis de Enckevoird. VIII. Caroli Ernesti Comitis Rappachii. IX. Joannis Adami Comitis de Paar. X. Ottonis Christophori Comitis Volckræ. XI. Francisci Comitis Kinskii. XII. Gundaccari Popponis Comitis Dietrichsteinii. XIII. Francisci Comitis de Brandeiss. XIV. Michaelis Joannis Comitis de Althan. *Sequebantur currus Sanctioris Consilii Consiliariorum.* I. Christophori Joannis Comitis Schallenbergii. II. Ottonis Henrici Comitis Hochenfeldii. III. Leopoldi Comitis Uhlefeldii. IV. Leopoldi Comitis Herbersteinii. V. Camporum Mareschalli Comitis Gronsfeldii. VI. Comitis Kovenzel VII. Sigismundi Comitis Kevenhülleri VIII. Ducis d' Uceda Hispani. IX. Caroli Ludovici Comitis Sinzendorffii. X. Josephi Comitis de Paar. XI. Rudolphi Sigismundi Comitis Sinzendorffii. XII. Comitis de Paar Supremi Postarum Præfecti. XIII. Archiepiscopi Valentiæ Hispani. XIV. Aloysii Comitis Harrachii XV. Comitis Rabutini. XVI. Caroli Friderici Comitis Schönbornii. XVII. Comitis Corsanæ Hispani. XVIII. Leopoldi Comitis Herbersteinii. XIX. Friderici Ernesti Comitis de Windischgraz. XX. Philippi Ludovici Comitis Sinzendorffii. XXI. Joannis Friderici Comitis Seileri. XXII. Josephi Comitis de Cordana Hispani. XXIII. Caroli Maximiliani Comitis Turrii & Valsassinæ. XXIV. Ottonis Ehrenreich Comitis Abenspergii. XXV. Francisci Principis Mansfeldii XXVI. Floriani Principis Liechtensteinii. Post hos splendidum Comitatum Pontificii Nuntii quàm proximè anteibat Principis SchWarzenbergii Supremi Aulæ Mareschalli currus, auro & argento, quaquaversus oculos verteres, ditissimus. Post hunc ipsius Georgii Spinulæ magnificus comitatus apparuit, dignus amplitudine veteri & Romanâ magnificentiâ, dignus Pontificii Nuntii excelsâ prærogativâ, dignus Spinularum celeberrimâ familiâ, quæ nominis sui gloriâ Januam patriam nobilitat. Præibat currus ex aula Cæsaris honoris ergo missus, in quo Pontificii Nuntii Auditor, ejúsque Secretarius, & alii duo ex ejus ministerio vehebantur. Post hunc Pontificii Nuntii Circumpedes ibant; iique omnes bini & bini, pretiosissimis induti sagulis incedebant. Inde omnium longè pulcherrimus & pretiosissimus ex Aulâ Imperatoriâ currus Illustrissimum Nuntium vehebat, cui ex adverso Princeps Liechtensteinius, summus Aulæ Præfectus sedebat. Planè omnium oculos atque ora Viennensium ad se trahebat Illustrissimus Nuntius, qui humanissimo supercilio neminem non ex affusè affluentibus beare visus: currui circumfundebantur Cæsarei circumpedes, honoris ergo additi. Post currum honorarii ephebi Pontificii Nuntii, generosis orti natalibus, equis vehebantur. In capitibus galericuli, plùmulis decori, videbantur. Proximè his Proprius Pontificii Nuntii currus tanto sessore quidem vacuus, ceterùm regali magnificentiâ instructissimus, vehebatur: Hunc excipiebant alii duo Currus, alter Illustrissimum Venetæ Reipublicæ Legatum, alter Reverendissimum Regiæ Urbis Viennensis Episcopatum vehens, suo etiam artificio, ad omnem magnificentiam exacto, uterque comendandus. Longissimum ordinem claudebant reliqui currus ipsius Pontificii Nuntii, in quibus ceteri ejus officiales, decoro habitu exornati, sedebant. Ubi in aulam deventum, Imperator exquisitissima oratione sua erga sedem Pontificiam Studia contestabatur. A. 1716. Illustrissimus Spinula Sacris Undis abluebat Neonatum Austriæ Principem, cui Leopoldi, Josephi, Joannis, Antonii, Francisci de Paula, Hermenegildi, Rudolphi, Ignatii, Balthasaris nomen inditum: ei unà assistebant Archiepiscopus Pragensis, & Valentianus, præter alios complures Episcopos, & Infulatos Antistites, quorum ad viginti tres numerabantur; sed in cunis suffocata tunc quidem est Orthodoxi orbis spes. Doctorum aliqui, suum dolorem, ex tantâ jacturâ conceptum, veluti solaturi

laturi

laturi, ad anagrammata convertebantur; quorum illud insigne eo tempore producebatur. Programma: *Carolus Sextus Imperator.* Anagrama: *Uxor pariet tres Masculos.* Nec etiam illud sua laude carebat Programa: *Carolus VI. Imperator semper Augustus.* Anagrama: *Certus sum, tu Augusta Rom. I. paries V. proles.* Accedit purissimum Chronologicon ex illis Lucæ 1. verbis; veluti prognosticon in An. 1726. Et eCCe ELIsabeth Cognata tVa, & Ipsa, ConCepIt fILIVM In seneCtVte sVa. Sed certiora auguria in Pietate Austriacâ ponenda; nam talibus columnis, publicæ felicitatis osoribus collabi visis, Cœlum succollabit. An. 1718. secundò genitam Caroli VI. filiam sacris lustralibus Undis ablutam, Ecclesiæ Dei initiavit. Planè toto eo, quô Viennæ morabatur tempopore, tantâ apud Imperatorem, doctorum Capitum amantissimo, gratiâ valebat, ut amicabilia cum eo colloquia in longum tempus nunquam non extraheret. Cùm Turcarum Tyrannus An. 1715. infesto bello Italiam provocaret Universam, & in solo Imperatore, qui lectissimum militem sub signis habebat, omnis spes reposita maneret, Georgius Spinula ex mente Pontificis ferventissimis Orationibus ad pium bellum, adversus infideles gerendum, Cæsarem excitabat. Et hanc Sapientiam perorantem Cæsar ita audiebat, ut qui Christianæ Reipublicæ commodis suapte omnia tribueret, eo impulsore maturè rem aggrederetur, dignissimo facinore, quod cœlum postea tam præclaris victoriis coronârit. Nec minùs Clementi dignissimus visus labor, quem Georgius Spinula in eo egregio negotio exantlaverat, ut purpurâ compensaret. Promotio ea contigit An 1719. 29. Nov. Ejus & Cornelii Bentivoli laudes (nam unà ad Purpuram evehebantur) unica simul oratione complectebatur, in quâ quot verba, tot incomparabilia utriusque præconia reperies. *Ambo* (inquiebat Sanctissimus Pater) *commissa sibi à nobis gravissima Munia, alter scilicet in Nuntiatura Viennensi, in Parisiensi alter, ut alia ab utroque prius gesta prætereamus, non sine diuturnis laboribus, angustiis plurimis, rerúmque ac temporum asperitatibus maximis, summâ fide summâque sedulitate expleverunt.* Insigne hoc erat, è Romani Oraculi Tripode, prolatum encomium: cui non absimile illud visum, quod An. 1716. in Brevi quopiam Apostolico, in quo Imperatori decimæ per omnes hæreditarias provincias colligendæ concedebantur, ejúsque gravissimæ rei Executio Georgii Spinulæ sagacissimæ curæ unicè demandabatur, idem Clemens XI. in Egregii hujus Viri laudes superaddidit; nam cùm Spinulam in eo Brevi Sanctissimus Pater nominâsset, statim imortali nominis ejus gloriâ subjungebat. *De cujus integritate, fide, prudentiâ, rerum usu, ac rei Christianæ, & Catholicæ Religionis, location publici studio plenè confidimus. Breve Apost. dat. 1716. 15. Febr.* An. 1720. mense Januario in obitu Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ Palatinæ, Leopoldi I. Romanorum Imperatoris fel. mem. relictæ Viduæ funebre officium decantabat: Ei etiam morienti astiterat, piissimâ animâ haud dubiè in cœlos avolante; nam cùm immortalis nominis Imperatrix vitam duxisset sanctitati proximam, eò tamen se, matrona humillima submiserat, ut hoc Epithaphium, nec aliud sepulchrali lapidi incidi juberet. ELEONORA MAGDALENA THERESIA, *misera peccatrix, mortua A. 1720. 19. Januarii.* Mortua est plena meritis, plena virtutibus, cujus tota vita Schola erat pietatis; de quo illud Ecclesiastici c. 1. locum habuerit. In DIe DefVnCtIonIs sVæ beneDICetVr. Hoc ultimum laborum erat in sua Nuntiaturâ Eminentissimo Purpurato. Inde Romam factus redux, statim aliud lugubre exspirantis dignitatis spectaculum, refugis luminibus, intuitus est; nam Clemens XI. onustam innumeris curis & meritis navem ad felicitatis portum applicuerat, mundo valere jusso, Patiebatur Ecclesia ingentem hiatum, tam grandi Antistite amisso; sed suppletum videbat Michaele Angelo de Comitibus, ceu novo de cœlis Genio surrogato. Qui cùm circumspiceret, in quem partem maximorum laborum, quibus simul omnibus supportandis nec fortissimus quidem imensis humeris Athlas sufficiat, inclinaret, satis aptus videbatur tot exercitatus summi momenti, & ponderis laboribus Eminentissimis Purpuratus Georgius Spinula; in quem laboriosissimum Secretariatûs status munus conferebat. Etiam eo Sole terris occidente, astris illato, apud Benedictum XIII. is est, Qualis Pio, & Regio Jonathæ Religiosus David erat; *Ab eo dilectus valde.* Nam Amor semper quærit sibi similem.

No.



Cornelius Bentiuolus, Archiepis. Carthaginiensis apud Galliarum Regem Apostolicæ Sedis Nuntius, Ferrariensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis Creatus in Consistorio Secreto à SS.mo D. N. CLEMENTE PA. PA XI. die 29. Novembris 1719.

Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

45

No. XLV.
CORNELIVS BENTIVOLVS FERRARIENSIS.

Cornelius tit. S. Hyeronymi Illyricorum Cardinalis Bentivolus Ferrariensis natus est A. 1668. 27. Maij, ex Bentivolorum decantatissimâ per orbem Familiâ, quæ magnam sibi in Historiâ partem vindicat. Eorum vetustissimam Originem ad Entium quemdam, è Sardiniæ Regibus, plerique referunt. Ergo Regiæ Originis Bentivolorum Gens habenda; certè Arragoniæ Reges, aliósque complures per Europam Principes, affinitatibus complectebatur. Hinc Regiorum Spirituum retinens Bentivolorum Gens, sub initium Sæculi XV. cùm magnis Italia motibus concuteretur, Bononiæ dominatui iminebat. Joannes I. Bentivolus armis strenuus An. 1400. spei compos factus; verùm Anno 1402. cruentâ acie victus, vitâ pariter & dominatu exuebatur, Bononiâ ad Pontificem redeunte. Brevì tamen iterum jactâ aleâ, ad Bentivolos, Annibale Duce, Bononia revolvebatur; sed eo An. 1445. ad aras obtruncato, successio ad Joannem II. Bentivolum, Annibalis filium, revolvebatur. Joannes bellicâ gloriâ Bentivolorum nomen longè illustrissimum per Italiam reddidit: Pontifici Sixto IV. & Herculi Ferrariæ Duci adversus Venetos armis junctus, multa feliciter confecit; certè Cæsaris Borgiæ, Italiæ Imperio affectantis spem, armis abrupit. Neque tamen ea felicitas diu tenuit, & sua clade probè edoctus est, quantò faciliùs sit, novum Imperium acquirere, quàm semel obtentum retinere. Nam â Julio II. An. 1506. ingenti exercitu collecto, Bononiâ exigebatur, & penè Septuagenarius in exilio biennio abhinc obibat, Bononiæ Ducum ex Bentivolis ultimus, quæ urbs modò sub mitissimo Pontificis Regimine leniter requiescit. Mansit tamen inclytum Bentivolorum nomen; ex quibus Cornelius Bentivolus, apud Guisios Principes in Galliâ gratiosus, eorum favore militarem præfecturam in Galliâ obtinuerat; & cùm in Martiâ Scholâ summus evasisset, Alphonsus II. Ferrariæ Dux ad se evocârat, ut suis copiis sum̃a cum potestate præesset: cui egregiam Bentivolus in bello operam præstitit; & præsertim in Ferrariâ muniendâ, sum̃am, quam in bellicis machinationibus hauserat, sapientiam exhibuerat. Sed fuerit magnus ille in se; multò tamen Major in Guidone filio fuisse videtur. Is S. R. Eccl. Lumen, Italiæ Sydus longè Illustrissimum, & Bentivolorum singulare decus & ornamentum evaserat. Natus erat An. 1579. Absolutis in Academiâ Patavienſi Juris Prudentiæ Studiis, Romam ad capessendam Rempublicam accedebat. Cùm Clemens VIII. Princeps oculatissimus, egregiam Ejus indolem introspexisset, primò sibi eum â cubiculis honorarium ministrum, tum secretum ab Arcanis Epistolis scribam elegerat. A Paulo V. Clementis Successore, in Referendariorum Ordinem adscitus, ac insuper Archiepiscopus Rhodiensis creatus, Belgicam Provinciam, ut Nuntius Apostolicus administravit. Albertus Archidux Austriæ Belgii Gubernator eum tam charum habebat, ut in difficillimis Reipublicæ temporibus ejus consilio perpetuò uteretur; evaserat enim Belgicarum rerum callentissimus, prout etiam Belgicam historiam vulgari idiomate conscripserat, in quâ cùm libero Styllo adversus Batavos uteretur, calamum in eum striaxerant satis mordacem. Postea â Paulo Nuntius in Galliam missus est, ubi Regis Ludovici XIII. benevolentiam tantùm sibi conciliaverat, ut eum Vicarias Regni sui apud Romanum Pontificem Protectoris partes agere voluerit; hinc virum meritissimum Paulus Pontifex Presbyterum Cardinalem creaverat, anteà quàm è Galliâ discederet. Titulo S. Joannis ante Portam Latinam

fuerat insignitus; & rectè: cùm latinè loqueretur, & scriberet castissimè. Tam accurata etiam Etruscè loquendi scribendíque elegantia in eximio Viro erat, ut nunquam ad Urbanum VIII. accederet, quin, ipso fatente, ejus â mœrore ad hilaritatem, lætitiámque animum traduceret. An. 1641. Episcopus Prænestinus nominabatur. Urbano VIII. vitâ functo, nihil propiùs erat, quâm ut is ad Pontificatûs apicem perveniret; nam cùm Hispanis & Gallis gratissimus esset, cùm apud utrosque Legationem præclarè obiisset, utraque Natio, licèt diversis aliàs studiis invicem abirent, in eum conspiratura videbatur. Conclave tamen ingressus Guido, palam omnibus dixerat, vitæ sibi finem adesse; nec suffecturas sibi vires ad ea incomoda perferenda, quæ sustinere loci angustiæ cogerent. Dictum, factum! decesserat piissimè An. salutis 1644. ætatis 67. in Palatio Vaticano: Sic verificata pariter erat Harioli edictio, ipsum in Vaticano moriturum vaticinantis. Libros reliquit suæ monumenta prudentiæ, dictam Belgicam historiam: Legationem suam Belgicam: Descriptionem Trojæ: Comentaria rerum Ecclesiasticarum: Egregium volumen epistolarum ad varios scriptarum, dignissimum opus, quòd in doctorum manibus versetur. Sic Hesperus ille in Cœlo Bentivolorum An. 1644. occubuit, novo felicitatis Bosphoro An. 1668. iisdem Bentivolis orituro, qui spem Pontificatûs cùm altero sepultam, Nepos dignissimus in se resuscitet. Est ille Eminentissimus noster Purpuratus Cornelius Bentivolus, de quo est, cur sibi Patria Ferraria multùm congratuletur. Prout â Sanctitate Roma, â Nobilitate Neapolis, â Vetustate Ravenna, â Magnitudine Mediolanum, ab ædium Superbiâ Genua, â Divitiis Venetiæ, â Felicitate Mutinæ, â Dignitate Ferraria, â Fertilitate Bergomum, â Sedulitate Luca, ab admirandâ pulchritudine Florentia, â Grassa pinguedine Bononia, â Doctrinâ Patavium, â Miraculis Lauretum, ab Amoribus & Delitiis Capua, ab Italis cognominantur, ita Ferraria Bentivolorum Patria â Civilitate nomen sibi unicè vindicat; imò Civilitatem ipsam progignere visa est, quando Cornelium Bentivolum Orbi dedit, quem ingenio tam amœno dicunt, ut Nuntius ad Gallos missus, in blandos eorum mores, nec tristi Saturno graves, sese facilè insinuaret; quibus cùm Itala accederet sagacitas, non potuit non in omnibus pro sede Pontificia negotiationibus esse felicissimus; erat tamen magna Negotiorum moles Prudentissimo Viro exhauriendа. Nam ejus Nuntiatura in turbulenta Galliæ tempora inciderat, ubi Quesnellus apud multos (nam subtiliter peccare visus) patrocinium inveniebat: ea calamitas sub minorenni rege latiùs serpebat, multo per reliquam Europam strepitu excitato. Heterodoxi de novâ Gallicanâ Ecclesiâ nescio quid per orbem blaterabant, & ineptiæ Sapientibus videbantur, quidquid ii plenis buccis de iis Galliæ motibus ubique crepitabant. Non ea erat unquam Galliæ labes, quæ insanabilis videretur; & Bentivolus Æsculapius fuit, qui vulneri cicatricem unà obduceret. In mutuos amplexus & oscula An. 1720. doctissima Galliæ Lumina coibant, & nihil quod S. R. E. Constitutionibus adversaretur, adversæ etiam factionis Principes sanctè profitebantur. Staturam suam Authoritatem Saluberrimis Sanctionibus â Pio V. & Alexandro VI. Pontificibus adversus Jansenismum jam olim latis. Sartam, tectam per Galliam futuram Clementis XI. Sanctissimam Constitutionem, quæ incipit UNIGENITUS &c. desinant itaque Sectarii, inani veluti somnio præcincti credere, Gallicum solem ex integro Eclipsin pati, cui aliquam Quesnellus labem affudit. Inter ista nubila, sub fortissimis Pontificiarum Constitutionum propugnatoribus Rohannis, Bissiis, Potieris, Polignaciis, Malleis &c. &c. Serenior Sol prodiit; & Quesnelliana hæc Philosophia, quæ tot damnabiles æquè ac periculosos aphorismos unà secum attulit, in oculis Christianissimæ Galliæ jam evilescere incipit. Necdum nodus tam intricatus evasit, ad quem dissolvendum Alexandri gladio opus sit. Benedicti XIII. Cœlis data, terris concessa Sapientia hujus difficultatis ex integro dissuendæ Solutrix erit: Aut si etiam Necessitates Galliæ acerbiora remedia reposcerent, in Ludovicis Regi-

Regibus Alexandri, Regio gladio difficultates enodaturi, non desiderarentur. Planè Bentivolus, quamdiu in Regiâ aula versabatur, in eo totus fuerat, ut Principem Aureliacensem, Galliæ Ministrissimum verbis efficacissimis animaret, ut pro iis Scintillis extinquendis, properè aquam affunderet: *In celeritate victoriam sitam, eruendum lolium, antequam firmas radices ageret: non ejusmodi Rem esse, quæ cunctando restitueretur: præsentem morbum properâ medici ope, ne porrò ingravesceret, egere.* Alia etiam lis, sed facilè consopienda, in ejus Nuntiaturam incidebat. Rupellæ Sanctorum Episcopo de finibus & reditibus cum vicinis Episcopis negotium enascebatur: Interponebat Bentivolus apud Sacram sedem suam authoritatem, & res ita ex æquo decidebatur, ut utrisque satisfieret. Fuerat Rupella Sæculi XV. & XVI. Sectæ Hugonotticæ fortissimum propugnaculum: inde caput extulit hæresis per Franciam, Henrico II. Francisco II. ejus filio, Carolo IX. & posteum Henricis III. & IV. & ultimùm Ludovico XIII. multoties insultare visa. Ludovicus caput rerum petendum ratus; urbem terra, marique obsessam tam arctè premebat, ut fame A. 1628. ad deditionem compelleretur. Ad æternam memorabilis ejus victoriæ memoriam, qua Hugonottica Secta per Galliam prostrata jacuit, Ludovicus XIII. statuerat, cum sedis Pontificiæ authoritate, Episcopalem sedem ibi erigere; ut ubi hæresis vexilla fixisset, Christianæ erigerentur monumenta Pietatis. Ea res exitum demum consecuta erat A. 1648. sub Ludvico XIV. qui Hugonotticam Sectam, paterno ferro magna ex parte accisam, non degener filius omnino prostraverat, regnóque expulerat; sed remanserant de finibus lites; quas Bentivoli, ut ajebam cura, amicabiliter discusserat. Hinc Eximiæ dotes eum dignissimum effecerant, quem Philippus Aureliacensis in amoribus haberet, & religiosissimum crederet, cùm Aulam pro Sacrâ Religione adversus Quesnellianos tuendâ iterum iterúmque irremisso studio pulsaret; Ante omnes Sacra Roma in remunerandis Eximiis Viris utique oculatissima, ad honorum culmen hanc Virtutem sibi elevandam ducebat. Jamdum An. 1712. Carthaginensium Archiepiscopum denominaverat; ejus videlicet urbis, quæ Romæ quondam æmula, summum denotaret. Certè nimiùm quantum Eminentissimus Bentivolus aspirat, ut Vineam Domini ibi noviter riget & plantet. Enimverò Carthaginensis sedes, quæ olim CXXV. sub se habebat Episcopos alios, hodiedum miserè squallet, facta sub tributo Domina Gentium. Urbs ipsa ad exiguum vicum redacta, ab hortulanis ferè solis, utpote frugum feracissima hodie inhabitatur. Utinam novus Hortulanus accedere posset Cornelius Bentivolus, & destructissimus indubiè hortus, sedulissimâ ejus Antistitis culturâ reflorescere: Tertullianos & Cyprianos Carthaginenses imitaretur, qui Ecclesiam calamo, ore, doctrinâ solidàrunt. Quanta gaudiorum seges Religiosissimo ejus pectori accreverat, cùm Philippus V. Hispaniarum Monarcha sub exitum An. 1720. Septam in Affrica (Ceutam hodiedum appellant) ad fretum Herculeum quinque lustris à Mauris totius Imperii viribus obsessam arctâ obsidione, Barbaris inde depulsis, liberaret! Neque quidquam ei magis in votis fuerit quàm ut victricia Hispanorum signa per Affricam ubique figerentur, & sua Carthago, Ecclesiæ restituta, novos triumphos celebraret. E Galliâ Bentivolus, Purpuram Romæ, & rubeum Galerum è manibus Clementis XI. acceptaturus, A. 1720. revertebatur. In eum Purpuræ honorem veniebat die 29. Nov. An. 1719 Causas Clemens XI. luculenter exprimebat, disertè pronuntians, *eum non sine diuturnis laboribus, angustiis plurimis, rerúmque ac temporum asperitatibus maximis summa fide summáque diligentia suam Nuntiaturam explevisse.* Rubeum Birretum Ferrariam Abbas Rasponus afferebat. Inde Romam Regalis Purpuræ decorus Majestate ingrediebatur. Octoginta currus, Romana decori Magnificentiâ, venienti præsto erant Quos inter Princeps Marcus Antonius Borghesius acceptissimum sibi Cornelium Bentivolum decentissimâ Aulæ Pompâ excipiebat. Cùm è manibus Pontificis rubeum pileum acciperet, Jacobum Eduardum Stuardum (quem Sacra Roma Angliæ Regem nuncupat) spectatorem habebat; dignissimus enim Bentivolus visus, in quem, ceu virtutum prototypon Europæ Reges, affinitatum etiam vinculis Bentivolis innexi, intuerentur.

No.

No. XLVI.

PHILIPPUS THOMAS BOSSU DE ALSATIA BELGA.

Philippus Thomas Bossu tit. S. Cæsarei, Cardinalis de Alsatiâ, Archiepiscopus Mechliniensis natus est Ann. 1680. 12. Nov. ex nobilissimâ Belgas inter Bossuviorum Familiâ, ad quam ille maximum decus & ornamentum afferre visus. Joannes Henninius Comes Bossuvius sub Margaritha Parmensi Belgii Gubernatrice, armis inclytus erat; & quando Valencenatûm pars magna Anno 1562. â Sacra Religione deficiebat, Joannes Henninius fidus, impigérque miles mandatum accipiebat, ut in eam Urbem se illicò transferret, & turbas pro suâ sapientiâ componeret. Intrabat is Valencenas, & motus ille statim conquieverat. Hinc Bossuviorum Gens ex sede sua Gentilitiâ, Valencenatum urbi proxima, tunc equidem salutem clarissimæ Flandrorum Urbi afferebat. Maximilianus Bossuvius, Torquatus aurei Velleris Eques, bellicâ non minùs laude inclarescebat: Eum Philippus II. Anno 1559. equestri nobilium turmæ præficiebat, ex earum videlicet numero, quarum in bellis Virtus tantùm invaluerat, ut celebres per Europam exinde canerentur Belgarum turmæ. Hic Valencenam Anno 1567. secundò rebellem tantâ vi aggrediebatur, ut intra quatuor horas, tormentis perpetuò in urbem detonantibus, munimenta dejiceret: quô territi principio cives, se urbémque Victoris Clementiæ subjiciebant; sic secundò salus â Bossuviis Valencenatibus reddita. Anno 1569. Annam Maximiliani Imperatoris filiam, Philippo II. Hispaniarum Regi desponsam, in Hispaniam Bossuvius deducebat, quo charo pignore allato, regem sibi arctiùs obstringebat. Postea Bossuvius, Hollandiæ, Zelandiæque & maritimæ Belgarum oræ præfectus, adversus Batavos multa feliciter gessit; sed fortuna magnis invida viris, Anno 1573. denique effecerat, ut prœlio navali cum Batavis comisso, vir summus caperetur; & hoc veluti arce rerum occupatâ, victoria penes hostes stabat. Quanta Bossuvii Virtus in eo prœlio fuerit, satis inde constare potest, quod navis ejus prætoria (inquisitionem Hispanicam vocitabant Hollandi) â ceterâ classe destituta, octo & viginti horarum spatio contra viginti hostium navigia tam strenuè depugnaverit, ut non ante in hostium potestatem venerit, quàm è trecentis classiariis non plures quàm octoginta, iique præter quindecim saucii omnes, superfuerint. Tunc demum ultimæ Virtutis exemplo edito, vela submittebat. Eo ipso tempore ad Hagam Comitis ab Hispanis Philippus Marnixius Aldegundius, primariæ apud fœderatos existimationis & loci capiebatur, adeò ut polliceretur Orangius, quæ audiret, Aldegundo fieri ab Hispanis, paria se Bossuvio relaturum. Sed postea res contigit, quæ satis edocuit, etiam splendida orbis sydera exorbitare posse; nam Bossuvius desperatâ redemptione, quam hostes callidè immensi pretii fecerant, ut facerent nullam, temporum œstro abreptus, Orangii castra sequebatur; nec tamen ei unquam ex integro adhærescere visus est, & facilè callidioribus apparebat, eum professione Orangianum, animo Hispanum esse: Religio-

ni



THOMAS PHILIPPVS DE ALSATIA BELGA
ARCHIEPIS. MECHLINIENSIS BELGII PRIMAS
S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS CREATVS
DIE XXIX. NOVEMBRIS MDCCXIX.

Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

ni Catholicæ unicè addictus, illas partes sibi deserendas judicabat, quæ in fœdere Gandavensi Anno 1576. inviolatum avitæ Religionis cultum statuissent, & jam toto cœlo, promiscuis religionibus admissis, â suis promissionibus discederent. Adhæc Orangii dominatum abominabatur, facilitate Belgarum adversus Principem suum abutentis. Hinc de reditu cogitabat; sed cùm in hoc Pio consilio versaretur, morbo correptus, & paulò post, ut multi suspicabantur, veneno à Batavis, tantùm Virum Hispanis partibus invidentibus enecabatur. Rem dictu atrocem Bernardinus Mendoza Hispani Regis in Angliâ Legatus, in suis ad Alexandrum Farnesium 1579. 26. Februarii datis literis disertè affirmabat, ipsum etiam authorem nominando, cujus authoritas rumorem suppressit. Certè Eques Rimaldus in suis commentariis Scriptum reliquit, Bossuvium morti proximum Orangius cùm inviseret, quùmque superveniente sacerdote, cœleste viaticum impertituro, contemptim percunctaretur, quid cœremoniarum illud esset, Bossuvium importunam hominis vocem aversatum non abstinuisse, quin amissam pariter rem, decus, vitam ei palam exprobraret, adjiciens, se certè animam, quæ sola superesset, â quoquam sibi eripi non passurum. Sic mortuus est Catholicissimus Vir ille inclytus, calamitosorum magis temporum, quàm suo errore in transversum actus. Ejus successores Catholicæ rei addictissimi fortunas, sanguinem, vitam pro Regibus Hispanis sæpenumero exposuerunt, meriti, ut Chimaci Principatus & Comitatus Bellomontii in Hannonia jure sanguinis ad eos devolverentur; nam Philippus Ludovicus Henninius Comes Bossuvius, Eminentissimi Purpurati Thomæ Philippi de Bossu illustrissimus Avus uxorem duxerat Annam Alexandri Chimacensis Principis, & Magdalenæ Comitis Egmontiæ filiam; hinc Ernesto Dominico Duce Arembergio ac Principe Chimacensi Anno 1686. in regno Navarræ, cui Proregis potestate præerat, sine liberis decedente, Carolus Ludovicus Antonius Henninius Comes Bossuvius, Eminentissimi Purpurati Germanus Frater, in dictum principatum Chimacensem, Aviæ suæ Gentilitiam sedem, succedebat. Sed longè magis Illustrissima hæc Familia nobilitatam se sensit, cùm in Eminentissimo nostro Purpurato Thomâ Philippo Bossuvio d' Alsace novum Ecclesiæ sydus daret. Is egregium Patrem Philippum, torquatum aurei Velleris equitem nactus, sub ejus disciplina Magnus evaserat. Cùm ad Sacram militiam adspiraret, insigniter doctum, dignitatibus Ecclesiasticis sua merita admovebant. Primò omnium Præpositus in Basilicâ S. Bavonis in Urbe Gandavensi factus, eum Gandavi titularem Divum, eximiis Virtutibus imitabatur. Divus Bavo sub exitum Sæculi VI. in Brabantiâ nascebatur, sæcularis diu homo, donec â Divo Amando Episcopo Wormatiensi, eodémque Belgarum Apostolo meliora edoctus, sanctitatis apicem attingeret. Ejus celebris memoria Gandavi est; Harlemenses etiam tutelarem Urbis suæ Divum eximio cultu aliquando prosequebantur. Sed quàm dispar modò par Sororum! Gandavum totius Belgii Urbs longè maxima (quippe quæ cum suis fossis septem milliaria belgica in circuitu continet) Orthodoxæ Religionis cultu, ejectis Anno 1584. ministris Calvinisticis, & eorum loco Catholicis sacerdotibus & religiosis familiis in urbem reductis, hodiedum utplurimùm floret. Contrà Harlemum urbs inclyta, Post Amstelodamum Bataviæ Princeps, cujus in obsidione Ptolemaidis (Damiatam vocant) Anno 1248. tanta virtus erat, ut primas referre visa fuerit; cùm novo artificii genere navem, validissima è ferro serrâ præpilatam misisset, quâ ferreæ catenæ, portûs claustro obstructæ, ceu tenue filum disrumpebantur; urbs inquam illa splendida, potens, Religiosa suo splendore utplurimùm decidit, quando cum Tutelari suo Bavone sacram religionem excussit. Antequam Cardinalis Bullonius, adversa omnia expertus in Galliâ, Romam iret, sacri Col-

legii Cardinalis Decanus futurus, Thomam Philippum Bossuvium Gandavensem præpositum præmittebat, qui suam ad Romanam Aulam adventum Sanctissimo Patri significaret; jam ex tunc suâ se sapientiâ Romanis Bossuvius commendabat, nec pœnitendum iter fecerat, cùm sui indesituram memoriam abiens relinqueret. Tunc quidem Sanctissimus Pater eum Honorarium â cubiculo ministrum dicebat. Nec minùs in Belgio summæ eum dignitates exspectabant; nam non modò â Carolo III. rerum summâ per Belgium potito, sacratiori Senatui adlegebatur; verùm etiam Anno 1714. Mechliniensis Archiepiscopus ob eximiam probi antistitis, laudem, quâ in Belgii oculis mirificè corruscababat, denominabatur. Is Archiepiscopatus â Philippo II. Hispaniæ Rege authoritate Pontificis Pauli IV. Anno 1559. erigebatur. Primus loci Archiepiscopus erat Antonius Perenottus Granvellanus, ab ingenio, literísque, quas in plerisque Europæ Academiis cum plausu didicerat, instructissimus: ea erat ingenii celeritate, ut interdum quinque semel amanuenses, & quidem variis linguis (nam callebat omnino septem) defatigaret: Annos quatuor & viginti nec plus natus, in Concilio Tridentino pro Carolo V. Imperatore, cum stupore audientium, & senilem in juvene sapientiam admirantium, perorabat. Hic itaque talis tantúsque Vir, quem Belgii annales admirantur, primus omnium Sacram Purpuram Mechliniensi Metropolitanæ sedi intulit; & postquam centum supra sexaginta anni ab ejus creatione, quæ contigit Anno 1561. interfluxêre, Excelsa Virtus ad idem fastigium Thomam Philippum Bossuvium d' Alsace vocabat. Quæ Causa Tanto Viro Purpuram conciliârit, malim ex Pontificio Oraculo, quàm ex me intelligatur; planè prorsus insigne elogium erat, quô virum Virtuosissimum Clemens XI. in consistorio secreto Anno 1719. 19. Novembris habito, cùm eum Cardinalem diceret, exornabat: verba se ita habebant. Creare intendimus *Thomam Philippum de Alsatia de Bossu Archiepiscopum Mechliniensem.* Pergebat. *Plura hic referre possemus de hujus illustris Præsulis eximiá vigilantia, quam, ubi primùm ad suæ Ecclesiæ Regimen admotus fuit, adhibuit semper & adhuc constantissimè exhibet, ut omnes Catholici Belgii Christi fideles, præsertim verò commissæ sibi oves, quæ ut contagii locis, ita & periculis propinquiores sunt, â venenatis pravarum doctrinarum pascuis sedulo arceantur. Sed Unum duntaxat dicere sufficiat; quod nimirum ipse ex cunctis Catholicæ Ecclesiæ Episcopis primus fuit, qui Constitutioni nostræ, quæ incipit* Pastoralis, *humiliter obsequens, nostróque inhærens exemplo, eos omnes, qui aliam nostram Constitutionem, quæ incipit* UNIGENITUS, *debita submissione suscipere recusârunt, aut in posterum recusâssent, ut veros Sacræ Romanæ Ecclesiæ Filios se minimè agnoscere, disertissimè declaraverit, sibique cum illis nullam deinceps communionem Ecclesiasticam extituram palam pronuntiaverit, donec integrè resipiscerent, rejectâque penitus audaciá refragandi, per veræ obedientiæ exhibitionem, pristinæ charitati & unitati ab hac sancta sede restitui mererentur.* Cùm Purpureo Capitis tegmine Oliverius statim Româ aderat, quod in Principe ejus Urbis Ecclesiâ (sede videlicet sua) Belgii Proceribus & Præfecturæ Mechliniensis Dynastis, & Populo numerosissimo undequaque affluentibus, summo omnium plausu sacrato ejus Vertici imponebatur. Postea Sanctissimi Patris per Belgium Nuntius Santinus Presbyter ab eo ordinari avebat. Bossuvius ipse quadriennio ante â Pontificio Nuntio Georgio Spinolâ (nunc Eminentissimo Sacr. Rom. Ecclesiæ Cardinali, assistentibus unà Ladislao Erdödo & Colonitzio, hoc Vaciensi, illo Nitriensi Episcopo, in Presbyterorum Ordinem veniebat. Nam Zelosissimus, si quis alius, Princeps Purpuratus, rem in Mytrato Antistite longè pulcherrimam credebat, si quam quis Ecclesiam regendam suscepisset, eidem etiam usque ad Aras, Sacerdos Magnus futurus, quotidiè deserviret.

No.



IO. FRANCISCUS S. R. E. PRESBYTER
CARDINALIS BARBADICUS VENETUS
EPISCOPUS PATAVINUS CREATUS DIE XXIX.
NOVEMBRIS MDCCXIX ET PUBLICATUS DIE XXX
SEPTEMBRIS MDCCXX.

Ioh. Christoph Kolb exc.

No. XLVII.

JOANNES FRANCISCUS BARBADICUS VENETUS.

JOannes Franciscus tit. SS. Petri & Marcellini Cardinalis Barbadicus Venetus Episcopus Brixiensis natus est Anno 1658. 27. Aprilis ex Illustrissimâ Venetos inter Barbadicorum Familiâ, quæ Originis vetustate primis annumeranda. Antequam Attila Orbis terror copias suas penè innumerabiles, Italiæ infunderet, in Histriâ habitabant; sed ut ejus furorem, igne ferróque omnia depopulantis, declinarent, ad Venetas paludes confugiebant, & novam sibi patriam in Republicâ illâ, ex aquis subitò emergente, constituebant. Ipsum Nomen Barbadicorum magnitudinem denotat. Nam Paulo Gradensi teste, fuit Arrigo quidam, patriam *Muggiam* (alii Mugliam vocant) ad sinum Tergestinum sitam, nactus. Is Anno 880. Sarracenos, Urbis Tergestinæ mœnia ex improviso scandentes, tantâ clade prosternebat, ut pauci è victoris manibus elaberentur. Mox ex divictorum barbis, quas evelli jubebat, crinitam torquem sibi confici curabat. Hinc in perpetuam ejus rei memoriam Arrigo ille, Barbarigo â Barbis cognominabatur. Manlium ego Torquatum vocandum existimo; imò Manlio major erat. Hic auream torquem, uni detractam Gallo, è collo suspenderat; contrà alter non nisi compluribus stratis suæ poterat erigere monumenta victoriæ; hinc valde congruè Barbadici Leopardos pro insignibus elegerunt, quando robore plusquam Leonino Illustrissimam stirpem fundârunt. Excellentissima Venetorum Respublica ad Ducale fastigium ex Barbadicis duos assumpserat: Marcum Anno 1485. cui brevissimum regimen obtigit; nam nonus mensis extinctum vidit: & post eum Augustinum Barbadicum, Marci Germanum Fratrem, qui suum Pollux Castorem sequebatur, alternas in Cœlo Veneto vices obtinere visus. Ejus Regimen utplurimùm inde nobilitabatur, quòd Veneti per id tempus, Cypri rege cum stirpe extincto, Cyprum Insulam, Reginâ Catharinâ tradente, occupaverint. Erat Catharina nobilis Veneta, Marci Cornari filia, quam Jacobus II. Cypri Rex sibi Conjugem elegerat. Inclyta Venetorum Respublica, hoc matrimonium illustratura, Catharinam publicâ præconis voce in filiam adoptaverat. Jacobo II. Anno 1474. mortuo, regnum ad ejus filium posthumum, quem Jacobum III. nuncupabant, devolvebatur; sed eo etiam suis adhuc in cunis extincto, ex ultimis Jacobi II. tabulis, Regni possessio ad Catharinam Cornaram spectabat: Hæc Originis probè memor, celeberrimum regnum Venetis Anno 1485. filia patribus, relinquebat. Ea possessio fermè per duo Sæcula tenebat; verùm Anno 1570. â Solymo Turcarum rege insula oppugnari coepta. Belli itaque Societate inter Pontificem, Hispanum regem, & Venetos inita, ingens classis auxilio obsessis mittebatur; cæterùm certamine dignationis inter Duces orto, dum ad Cretam sedebatur, Cyprus expugnabatur; ut Turca semper nostris discordiis cresceret. Quidquid ea de re sit, Barbadicorum prudentiæ adscribendum, quòd Cypro potiti sint Veneti: utinam & alii suum beneficium fecissent, ut conservaretur. Quis Procuratores S. Marci, nobiles Senatores, & complures ad exteros Principes Legatos, unius veluti paginæ angustiis hic circumscribere valeat? Unum nunquam intermoriturâ ejus Viri memoriâ

tota

tota Italia retinebit, Joannem videlicet Barbadicum, qui Anno 1378. Procurator Divi Marci dictus. Is primus Venetos edocebat, quâ arte tormenta, ballistas, & majores sclopos in hostem librarent; eo etiam nocumenti genere laudem comeritus, utpote in defensionem patriæ, & in solos hostes profligandos à se equidem destinato. Quis Augustinum Barbadicum silentio involvat, qui in prœlio ad Echinadas insulas Generalis Provisoris (Proveditorem vocant) munere functus, maximum momentum ad victoriam attullerat. Ea pugna comittebatur Anno 1571. Joanne Austriaco summa cum potestate classi præfecto. Pius V. Pontifex Maximus è Sacra Dominicanâ Familia certam à Deo pollicebatur victoriam; & manifestum initâ pugnâ cœleste auxilium fuit: nam ventus, qui adversus nostris erat, in hostem versus; hostilis classis victa, captáque est, memorabili ad posteros victoriâ. Captæ triremes fermè CC. ad XXX. Turcarum millia extincta. VI. millia capta. Christianorum Captivorum XV. millia servitio exempta. Hanc victoriam Pius V. eâ ipsâ horâ, quâ obtenta fuerat, Deo revelante, cognoverat, súisque familiaribus indicabat; victima tamen cadebat Augustinus Barbadicus, in capite sagittâ ictus; quæ cùm veneno infecta fuisset, imortalis Nominis Viro, unâ à prœlio horâ, moriendum fuit. Vivit tamen strenuissimus Christiani Nominis Propugnator in perpetuâ posterorum memoriâ. Gratæ Venetiæ *in Aula del Consiglio* Marmoream Statuam huic Christiano Herculi posuerant, quæ ejus unà & Barbadicorum nomen perpetuò loquetur. Ex iisdem Barbadicis IV. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales invenio, quos Regalis ea Dignitas in oculis Universi Orbis longè illustrissimos reddidit. Angelus Barbadicus Episcopus Veronæ Anno 1408. à Gregorio XII. in Purpuræ honorem advocabatur; & Angelum moribus exprimebat. Gregorius Barbadicus Aloysio Contareno Venetæ Reipublicæ ad pacem Monasteriensem Legato Comes & Consiliarius ob egregias animi dotes à senatu adjungebatur. Inde Belgium, Germaniam, & universam Galliam peragraverat. Postea ab Alexandro VII. Chisio, quem Monasterii cognoverat (Pontificis ibi Nuntius erat) utriusque signaturæ Referendarius, & Prælatus Domesticus creabatur. Mox Episcopus Bergomensis factus; & demum Anno 1660. die 5. Aprilis Sacro Purpuratorum Senatui cooptatus. Ejus Viri Virtus prorsus eximia fuit: Alter Carolus Borromæus vulgò indigitabatur, quem etiam munificentiâ in pauperes quàm proximè adæquabat; nam decies centena aureorum millia in Ecclesias & pauperes profuderat; cui similes Eleemosynarios Quæstuosæ Venetiæ quàm paucissimos dederint. Tertius ex Barbadicis Purpuratus accesserat Marcus Antonius Corcyræ Episcopus. Hunc Innocentius XI. primum Montis Fiasconis Episcopum, subinde Anno 1686. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem dicebat. Erat probissimæ Vir vitæ, & inter nostri Sæculi decora numerandus. Obiit Anno 1706. plenus meritis & virtutibus. Iis omnibus quartus accedit Eminentissimus noster Purpuratus Franciscus Barbadicus, Vir, qui in Sacrâ Republicâ administrandâ, admirabilia præbuit documenta prudentiæ. In quo Religio semper ita enituit, ut Romanis in oculis pretiosus evaderet: qui summam rerum experientiam, in causis forensibus frequenter exercitatus, ita possidet, ut nihil sit, quod ejus Sagaciam effugere videatur. Prima ei in Sacrâ Republicâ præfectura apud Urbinates obtingebat, ubi Pontificis Prolegatum maximâ sui comendatione agebat. Anno 1713. Auditor Rotæ, Venetæ Reipublicæ nomine creatus, tam solidâ sapientiâ, & eâ integritatis laude, ac constantissimæ justitiæ tenore incidentes causas dijudicabat, ut Sacra Roma de eo Viro, ad quem ceu justissimum causarum parentem omnes concurrebant, summoperè sibi gratularetur. Sapientiâ itaque & Religione summus, Episcopus Brixiensis (Bresciam urbem vocant) Anno 1714. denominabatur, ut quam in foris quàm abundantissimè exhibuisset prudentiam, in suis non minus ovibus pascendis exsereret. Brixia Episcopi sedes Garziæ amni adjacet; validis muris,

&

& castello, quod Gubernator nunquam egredi audet, munita, opibus Florens Venetiarum Nobilis sponsa appellatur. Divus Apollinaris, à Paulo Apostolo ad Ravennates missus, Evangelium Christi omnium primus ibi prædicaverat. In Basilicâ ejus Urbis Ecclesiâ prodigiosa illa Crux hodiedum asservatur, & magna religione colitur, quæ Constantino Magno, cœlis delata, audita cœlestis Genii voce: IN HOC SIGNO VINCES Maxentium Tyrannum debellandum dedit. Sic certam victoriæ tesseram Barbadicus penes se, tanquam Episcopus Brixiensis perpetuò tenet, quâ Pastor Vigilantissimus vitiorum Tyrannide agrum Brixiensem liberet, eos sibi Maxentios debellandos credens, qui in Deum, Superos, & Religionem hostes jurati insurgerent. Dein Brixiæ suæ vigilantissimus Gubernator perpetuò adhærescit, nisi quando eum Universalis Ecclesiæ necessitates Romam advocant. Armatam Itali Brixiam cognominant, cùm optima ibi arma cudantur. Est, cur multò feliciorem nuncupent, quòd Episcopum penes se habeat, qui ex instructissimo virtutum suarum armamentario, tela depromit, *quibus possit resistere in die malo, & in omnibus perfectus stare.* Hinc Sanctissimus Pater Clemens XI. dignissimum judicabat, quem Purpuræ gloriâ insigniret. Facta fuit Promotio 29. Novembris, An 1719. Nec tamen promulgatio ante trigesimam diem Septembris Anni 1720. subsecuta fuit. Interim ille neutiquam latebat; Sed quem in pectore Pontificis occupaverat locum, eximiarum virtutum suarum famâ præoccupabat. Rubeum Capitis tegmen Abbas Bianchinus Brixiam deportabat. Venienti obviam missus Principis Currus, quem sex generosi equi trahebant, quo ad Basilicas Episcopi Ædes, applaudente populo, devehebatur. Tota Urbs in hilaria effundebatur, & festivis ignibus lætissimam diem celebrabat, quâ Corona gloriæ corruscantem charissimum sibi Episcopum vidit. Eodem anno cùm Epidemica lues Massiliam misere depasceret, non modò omnes curas ad publicæ incolumitatis præsidium contulit; sed indictis etiam pro vitanda mortalitate precibus, cœlestem opem implorare non prætermisit. Hinc solemnem Processionem ad Basilicas ædes indixit, populum hortatus, ut â peccando desisteret, tunc etiam Angeli percutientis manum cessaturam; frustra enim adversus delictorum ultionem portas occludi & muniri, nisi peccatorum pestes arceantur, & vitia, quæ calamitates invehant, emendentur. Clemente XI. Sanctissimo Patre funerato, Barbadico Romam eundum erat, ut in illo Orbis celeberrimo conventu novum unà calculo suo Pontificem diceret; & Innocentium XIII. dixerat, Virum Religione & Sapientiâ summum. Is Barbadicum maximi semper fecerat, morum integritatem, quam in se excolebat, admiratus in Altero. Quamdiu Romæ Barbadicus versabatur, aut Curiis interfuit, aut Basilicas obivit, aut cùm eximiæ Sapientiæ Alumnis, quos Sacra Roma, propositis etiam prœmiis, ad se invitat, & in unum veluti sertum colligit, suavissimos Sermones miscuit. Ecclesiam S. Petri & Marcellini, suæ demandatam curæ, cùm primùm adiret, largis eleemosynis plusquam triumphalibus ignibus lætissimam sibi diem illustrare visus. Ejus etiam Ecclesiæ Religiosos, instructiore solito mensa, reficere visus; quin Ecclesiam antiqui Operis, restaurari curavit. Roma discedens, S. S. Crucis Particulam adamantibus circumquaque appositis corruscantem, è Sacratis Pontificis manibus donum acceperat; nec minùs Benedictus XIII. Venetum Hominem, Venetus pene ipsemet (quandoquidem Sacræ Dominicanæ Familiæ ibi adscriptus, mundo & patriâ valere jusso, Spiritualiter renascebatur) summâ benevolentiâ amplectitur. Certè Venetiæ de gemino veluti sole in Barbadicis sibi uno eodemque tempore corruscante, summoperè exultant. Nam una Ætas Petrum Barbadicum Patriarcham Venetum, & Joannem Franciscum S. R. E. Cardinalem (in Cœlo Veneto Geminos) intuetur.

No. XLVIII.

LUDOVICUS CARD. DE BELLUGA ET MONCADA HISPANUS.

LUdovicus tit. S. Mariæ Transpontinæ Cardinalis Belluga & Moncada Hispanus natus est An. 1663. ex Illustrissimâ Moncadarum per Hispaniam Familiâ, quæ originem referre videtur ad Dapiferum quemdam, qui ad initium Sæculi VIII. vivebat. Misera tunc per Hispaniam rerum facies oriebatur; nam Comes Julianus, qui in Mauritaniâ pro Rege Roderico gubernatorem agebat, filiæ â Rege violatæ probrum ulturus, ex Affricâ Mauros in Hispaniam evocabat. Ingrediebantur illi Anno 712. florentissimum regnum è freto Herculeo per fluvium, qui veteribus Bætis vocabatur. Posteriore anno Rodericum acie victum occidebant. Post eam victoriam octo ferè mensium spatio tantùm Sarraceni per Hispaniam occupârunt, quantum vix 800. annis postea recuperârunt Christiani. Astures tamen, Cantabri, ceteræque montanæ gentes cõmunis cladis imunes fuêre; nam in loca, præcipitiis inaccessa se recipientes, effecerunt, ut aliquæ Christianorum reliquiæ per Hispaniam remanerent. Eos inter turbines excrevit Illustrissima Moncadarum Familia, ceu redivivus ex Hispaniæ cineribus Phœnix; nam cùm circa annum 733. Cataloniam Sarraceni invaderent, quidam Dapifer dictus exstitit, qui strenuam Catalonis opem adversus infideles præstabat. Non desunt, qui eum Dapiferum ad Comites Palatinos referant, utpote Sacri Romani Dapiferos Imperii; ego prout rem incertam affirmare non ausim, ita etiam aliorum opinionibus nihil detractum volo. Id indubitatò constat, quòd ejus Dapiferi filius, Arnoldus dictus, Ludovico Pio Francorum Regi, Barcellonam Cataloniæ caput è Sarracenorum manibus extorquenti, tam iterum gnaviter operam navârit, ut pars magna victoriæ ejus virtuti deberetur; hinc â Ludovico generositatis prœmium Comitatum Moncadam in Cataloniâ retulit. Postea Illustrissima hæc Familia è bello enata, belloveluti propagari visa est. In arenâ Martis egregius fuit Franciscus Moncada, qui anno 1633. Bochanium in Belgio occupavit; & inter sumas regii ærarii difficultates, Isabellâ Clarâ Eugeniâ Belgii Gubernatrice extinctâ, Catholicum Belgium adversus Batavos, longissimo armorum successu elatos, fortissimè propugnavit. Huic Marti Pallas maritata videbatur; nam Græcam & Latinam linguam eleganter loquebatur: Studio Historico mirè capiebatur: in omni antiquitate versatissimus erat: Astronomiæ & Matheseos tantoperè amans erat, ut Athlas videretur esse, suis perpetuò affixus syderibus. Longè ante illum Wilhelmus Moncada Petro Arragonum Regi fidelissimam operam navârat, ut Siculum regnum, â Gallis abstractum, ad Hispanos transferretur; nec enim tristes illas Vesperas, pro Gallis satis lugubriter decantatas, serenior postea lux excipere poterat; immò Galli, quas ultum ibant injurias, â Moncada acie victi, nova clade augebant. Inde ex Moncadis non pauci in Siculo regno sedem fixerant, ibi imposterum futuri, ubi Hispanicæ fortitudinis erexissent trophæa. Wilhelmus Moncada Sacram æquè ac profanam Rempublicam, utramque professus, meritis complectebatur; nam Regno Siciliæ, proregis potestate, prudentissimè administrato, postquam charissimam conjugem amise-



Ludovicus Belluga e Moncada Hispanus,
Episcopus Carthaginiensis, S.R.E. Præsbiter Cardinalis
creatus in Consistorio Secreto a S Smo D.N.
CLEMENTE PAPA XI. die 29. Novembris 1719.

Ioh: Christoph Kolb exc: A.V.

Cum Gratia et Priv: S:C:Maj.

48

miserat, rerum caducitatis admonitus, aulâ valere jussâ, sacræ militiæ adscribi voluit, purpurâ dignissimus judicatus, quam An. 1667. obtinuerat. Tam Illustribus Antecessoribus hac nostra ætate novum sydus accessit Ludovicus Cardinalis de Belluga & Moncada. Is ex ephebis vixdum egressus, admirandæ eruditionis specimina dederat. Perspicaci, vividóque ingenio summis quibusve negotiis pertractandis aptus videbatur. Animo aperto est, & candido, nec aularum lenociniis assueto. Planè generis sui splendorem virtutibus æquavit & auxit. Primùm Murciæ Episcopus factus est. Murcia hortus totius Hispaniæ vocatur. Ergo Moncada flos longè pulcherrimus in hunc hortum transplantandus erat. Nescio, an Amaranthum dicam? nam in amoribus omnium est. An Ambretum? nam gratissimum virtutum odorem spargit. An Imperatoriam? nam affinitatum juribus Reges complectitur. An Hyacynthum? quem candore æquat. An Lilium? verecundia parem facit. An Rosam? certe Purpuratus evasit. An Heliotropium? soli semper suo, cœlo affixus hæret. An Violam in infimo serpentem? Vir Maximus enimverò latere vult. Postea Ludovicus de Belluga & Moncada Ecclesiam Carthaginensem obtinuit. Murciæ Episcopatum lubens dimisit, quamvis non nisi novem Leucis Carthagine distet; adeóque facilè unà regi potuisset â Viro, cujus immenso Zelo unicus non sufficit orbis. Nova Carthago ab Asdrubale Carthaginensium Duce exstructa, & â Scipione eodem, quo venerat die, præter omnium exspectationem capta fuerat. Hic Virginem Captivam Allucii Celtiberorum Principis eximiæ formæ sponsam intactam ipsi, parentibúsque restituit; & eo facto animos hostium sibi devinxit. Et quàm verecundum Virum in Ludovico Belluga Sacra Roma intuita est? nam cùm is An. 1721. mense Julio ad Divam Virginem Rotundam (olim Pantheon nuncupabatur) sacris operaretur, iis finitis, ad sacram Synaxin sumendam, quam suis ipse manibus distribuebat, fœmina quædam Romana, non satis decorè vestita, & eo habitu juventutis corruptela futura, unà cum aliis accedebat. Castissimus Vir eâ veluti inobservanter præteritâ, cœlesti pabulo reliquos reficiebat. Quo facto commeritus est, ut Carthaginis Novæ Episcopus novus etiam â Romanis Scipio nuncuparetur. Nec etiam, si ad alia, descendere velimus, novo huic Scipioni Annibal unquam defuit, in quem fortis insurgeret. Vidit multa â Magnatibus per regnum agitari, quæ juribus Pontificiis apertè reclamabant; nam Regalia (ut vocant) Regni tam latè extendebantur, ut authoritati Pontificiæ multùm inde decederet. Hinc ille liberrima voce & calamo usus est, magnatum odia non reformidans, cùm Dei, Sacræ Sedis, & Religionis causam propugnaret. Nec ideò calamum strinxit, ut bravium gloriæ reportaret, quod vel invito, ut statim accipiemus, obtrudendum erat. Nam etsi omnes virtutes in suavissimum consortium admittat, humilitatem tamen veluti suam domesticam & sororem imprimis agnoscit. Tam præclarum Virum Clemens XI. Romanorum Patrum Collegio annumerandum censuit. Rem in Consistorio secreto habito Anno 1719. die 29. Novembris Patribus proposuit; & illi unò veluti ore assentiebantur omnes. Pontificis de eo sermo is erat, ut quot verba, tot Insignis Viri encomia effunderet. Oratio ejusmodi fuit. *Creare intendimus, &c. &c. Ludovicum Belluga Episcopum Carthaginensem Orthodoxæ Veritatis Zelatorem Maximum: Pontificiæ Authoritatis intrepidum Defensorem: Ecclesiasticæ Libertatis Assertorem fortissimum: Magnum Religiosissimæ Hispanicæ Nationis Lumen & Ornamentum.* Sed quantùm ille summo huic Honori, quô se indignum judicabat, obluctabatur? quem non lapidem movit, ut hanc â se dignitatem instantissimis precibus deprecaretur? quas non fores pulsabat, ut alii unà secum preces unirent? Sed quantùm ille in reluctando obfirmatus, tantùm Sanctissimus Pater in latâ sententiâ firmus & immobilis extitit. Causam Sacri Collegii Purpuratis his verbis innuebat; quæ planè merentur, ut non tantùm hic appo-

nan-

nantur, sed Auro etiam & Cedro in duraturam rarissimæ demissionis memoriam insculpantur. Ubi nuper (inquiebat Pontifex) de Viris pietate & doctrina præstantibus, & de hac Sancta Sede præclarè meritis, Cardinalibus creandis deliberavimus, obversata imprimis fuit oculis nostris eximia Virtus Dilecti Filii Nostri Ludovici de Belluga & Moncada Episcopi Carthaginensis, jam pridem digna, quæ excelsiori loco posita, non amplius intra unius Ecclesiæ limites coarctaretur, sed latiùs se effunderet in Ecclesiæ Universæ Utilitatem. Illum propterea, sicuti nôstis, cum pluribus aliis egregiis & benè meritis Viris in Amplissimum Vestrum Ordinem cooptavimus, ac S. R. E. Cardinalem renunciavimus, ad nostræ sollicitùdinis adjumentum, ad Apostolicæ sedis Subsidium, ad Ministerii Vestri, laborísque Consortium. Verumtamen Nostra hæc non minùs justitiæ quàm benevolentiæ sententia, tametsi Fraternitatum Vestrarum suffragiis commendata, & publicis privatísque ceterorum gratulationibus excepta, ipsum duntaxat modestissimum & Religiosissimum Episcopum contristavit: ita ut per datas ad nos literas precibus, obsecrationibus, & obtestationibus plurimis collatum sibi honorem declinare tentaverit, neque solùm causas plerasque suæ cunctationis attulerit, sed aliorum etiam apud nos officia ad obtinendum demandati Ministerii immunitatem per multas tam Vobis, quàm aliis scriptas Epistolas imploraverit, tantóque studio conatus sit, ut Dignitatis amplitudinem defugeret, quantùm vix filii hujus Sæculi adhibere possent, ut honores arripiant. Inter cæteras verò moræ suæ causas Voti cujusdam anteà emissi, ac fortassè etiam jurisjurandi Religione â novis ejusmodi Honoribus, ac Muneribus accipiendis se submoveri significavit. Hæc tamen Optimi Antistitis cunctatio, cùm novum ac firmissimum nobis ediderit ejus virtutis testimonium, non modò nos â proposito non deduxit, verùm in persolvendi prœmii judicio amplius confirmavit. Quam ob rem, divino priùs enixis precibus invocato præsidio, habitáque super hac re cum non nullis ex Fraternitatibus Vestris, aliisque pietate, prudentiâ, ac doctrinâ præstantibus Viris deliberatione matura, de illorum unanimi consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientiâ nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, quem antea meritissimum quidem, sed nec cogitantem in Sacrum Vestrum Collegium adscripseramus, hærentem modò, nolentem, & renuentem, ac propterea magis merentem, in Virtute Sanctæ Obedientiæ ad accipiendam Cardinalatûs dignitatem compellendum censuimus, eique tam Voti, quàm etiam, si opus esset, jurisjurandi vinculum relaxavimus per literas nostras in formâ Brevis, quas ad illum per celerem cursorem jam misimus; præcipuum propediem ex ejusdem Dignitatis insignibus, Birretum scilicet Purpureum, de more missuri. Integram hujusce rei seriem Vobis ex hoc loco aperiendam duximus, ut de tantæ Virtutis Laude, ac Societate gaudium vestrum impleatur. Etsi enim comunis ea sit omnibus, causa lætitiæ, debet tamen in peculiarem Ordinis Vestri gratulationem redundare, ad quem nimirum solam â Pastorum Principe cœlestem Coronam exspectans Carthaginensis Episcopus, non ancipitem aut lubricam, sed certam, tutámque viam sibi munivit, atque ut intraret, salutari metu ac Religione deterritus, meruit etiam compelli; cùm summo Pietatis candore, ac Christianæ humilitatis sinceritate, nec Dignitatis Vestræ sublimitatem meritis æquâsse, nec ferendo oneri parem se viribus esse fateretur. Quemadmodum igitur nos officii nostri esse duximus ad præmissa devenire, ne tam illustre Virtutis specimen Sacri Collegii Vestri splendori subtraheretur: ita vos, venerabiles Fratres de præclaris hisce Exemplis, quæ præcipua sunt gradûs, locíque vestri ornamenta debitas Virtutum Domino gratias agite &c. &c. *Hæc usque Romani Pontificis Oraculum.* Ego quod tantis encomiis superaddam, ne potiùs obfuscem, vix satis reperio. Unum est, quòd Virum Humillimum monitum velim, ut ne aliquid imposterum (cùm tantas Virtutes possideat) magis vereatur, quàm ne ex Purpurato Principe Mytratum evadat Orbis Caput.

No.



Iosephus Pereira de Lacerda Lusitanus,
Episcopus Pharaonensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis,
creatus in Consistorio Secreto à SS^mo D. N.
CLEMENTE PAPA XI. *die 29. Novembris 1719.*

Ioh. Christoph. Kolb, exc.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj^e. Cath.

No. XLIX.

JOSEPHUS PEREYRA DE LA CERDA LUSITANUS.

JOsephus tit. S. Susannæ Cardinalis Pereyra de la Cerda Episcopus Pharaoensis natus est Anno 1667. 9. Junii ex longè Illustrissima Pereyrarum de la Cerda Lusitanos inter familiâ, quam â Regibus Castellæ & Legionis Ortam asserunt; De la Cerda vocantur; nam Ferdinandus Alphonso X. Castellæ & Legionis Rege An. 1254. progenitus, in sua nativitate crinitus â tergo comparebat; hinc nomen de la Cerda, seu â crinibus in posteros propagavit. Regiam originem eximiis animi dotibus Josephus Pereyra de la Cerda exhibet; qui cùm consilio, acri, vegetóque ingenio, ac dicendi venustate in Aulâ Lusitanâ niteat, gravissima regni negotia primæ admissionis Dynasta, probatissimâ cunctis Sapientiâ pertractat. Dynasta Dives opum, liberalitatem cunctis exhibet, Lusitanâ dignam Magnificentiâ; hinc in Procerum animis, in quos è gratioso hoc cœlo aureus indies imber depluere videtur, utplurimùm dominatur: Populo etiam, qui promptam munificentiam in Principibus amat, tam acceptus habetur, quantùm vix alius; nihil tamen illi magis solemne est, quàm egentium necessitatibus subvenire; hinc in lucro ponit, amplissimas gazas in eleemosynas pauperum profundere, qui eum veluti canalem credunt, quô beneficia in totum regnum dispergantur: accedit probatissima solertia, quâ regni comodis irremisso studio Optimus Minister invigilat; nam Secretariatûs statûs (ut vocant) arduo æquè ac honorificentissimo munere defunctus, eam regiorum negotiorum Præfecturam, & veluti animam rerum, tam inoffenso pede percurrebat, ut nihil illo unquam integrius visum. Justitiam nullo vendibilem pretio ita administrabat, ut qui pauper cum potente litem haberet, toties victor ab ipso recederet, quoties causa ipsi suffragari visâ. Accedit eximium Religionis studium; & cùm Turcarum Tyrannus A. 1715. Christianum orbem gravissimo bello impeteret, Regem animabat, ut instructissimam classem adversus ea Barbarorum tentamenta, Oceano Mediterraneo immitteret: super omnia in redimendis captivis, apud fideles detentis, nemo ipso liberalior unquam visus. Patres Trinitarii largissimas stipes, â munificâ ejus manu in hunc usum sibi porrectas, vix satis dignis encomiis deprædicare poterunt. Ah! quàm graviter miselli illi sub imani Turcarum jugo vapulant! Date Christiani pro stipitibus stipem, & flagella iracundiæ â vobis avertetis. Tam insignibus fulgentem meritis Pereyram, pro Sacrâ Purpurâ impetrandâ Rex sibi in Aulâ Pontificis comendandum censebat. Et Clemens XI. tam promptus fuit in gratificando, quàm Aula Lusitana Religiosa semper exstitit, in commodis sacræ sedis pro virili promovendis. Causam hanc Sanctissimus Pater in Promotione factâ Anno 1719. die 29. Novembris, luculenter expresserat. Verba sic se habebant: *Creare intendimus Cardinalem Josephum Pereyram de la Cerda Episcopum Pharaonensem* (pergebat) *novo hoc ac planè singulari, immò & insuetam erga nationem Lusitanam Pontificiæ benevolentiæ testimonio declarare cupimus, nequaquam nos immemores esse magnanimæ illius alacritatis, quâ superioribus annis Charissimus in Christo filius Noster Portugalliæ Rex tanta cum sui nominis laude, non tam officiis ac precibus nostris adductus, quàm verius eximiæ Pietatis suæ stimulis incensus prævalido, iteratóque quamplurium bellicarum, ac munitissimarum navium subsidio Christianam Classem adversus Turcas adjuvit. Præterea eundem Regem hac ipsa paternæ charitatis nostræ præclara significatione incitatum nuperæ, quam fecimus, ad Sinas expeditioni, Regio suo patrocinio, quo illam ceteróqui, utpote ad majorem Divini Nominis gloriam, Catholicæque Religionis feliciora incrementa, unicè directam, plurimùm fovendam esse non dubitamus, uberius semper, impensiùs, ac benigniùs adfuturum confidimus.* Enimverò Lusitaniæ Rex, (ut rem enucleatè exsplicem) in bello, quod Venetis cum Turcis Ann. 1715. enascebatur, instructissimâ, quam Mediterraneo immisit, classe, magnum momentum afferre visus, ut ne Corcyra in Turcarum manus insequente anno devolveretur. Tunc quidem sex bellicas primæ magnitudinis naves, præter duas Liburnicas (Fregattas vocant) & unam

Tartaram, quâ annona veheretur, in laborantis Italiæ subsidium armaverat; quin Regius frater Emanuel Lusitanus, egregio Christianæ rei propugnandæ studio inflammatus, in Hungariam abibat, sub invictissimo Heroe Eugenio suæ adversus Turcas rudimenta positurus militiæ. In celeberrimo prœlio, quod An. 1716. ante Petro-Waradini mœnia committebatur, tam generoso impetu, gloriosus hic Volo, in hostes sui immemor invehebatur, ut indubiè in Turcarum manus nobilis præda incidisset, nisi desultorius Eques ex Legione de Galbes altiùs provectum, exitio maturè subtraxisset. In obsidione TemesWariensi contineri non poterat, quin inscio etiam summo Exercitûs Imperatore, approximationum opera ingrederetur; & quamvis ferreus imber undique ex urbe deplueret, sua tamen statione dimovendus non erat, donec pilâ ictus equus concidit, & ipse levi vulnere in femore læsus, â propè astantibus, multis etiam contestationibus factis, pene compelleretur, ut egrederetur. Pridie illius diei, quam decretoria illa, & per orbem decantata pugna ad Belgradum committeretur, Regius hic Princeps nobilem suum sonipedem ita alloqui auditus: Eja generose sonipes in crastinum aut nobis vincendum, aut in acie occumbendum erit. Vaticinium meliore eventu in solo equo exitum invenit. Pila per manicam invictissimi Herois Eugenii transvolans, pone astantis Principis equum momento citiùs prostravit, innoxio sessore; stupentibus, qui rem propiùs inspiciebant, & ita secum concludentibus, pilam neci destinatam, ne sacrilegii rea fieret; illæsis principibus, in solo demum equo peccare voluisse. Alterum â Lusitanâ Aulâ Sedi Pontificiæ præstitum beneficium fuit, cùm suum in causa Senensi patrocinium apud Senarum Imperatorem interponeret. Videbatur amplissimum illud Senarum Imperium album ad messem, cùm inimicus homo jamdum sub Innocentio XII. Zizania Superseminare inciperet, ne Christianæ fidei seges in immensum, uti sperabatur, excresceret. Oriebantur enim inter Senenses Missionarios acerrimæ contentiones, & in dies magis invalescebant, tam circa quasdam voces Sinicas ad sanctum & ineffabile Dei nomen exprimendum ibidem usurpatas, quàm circa nonnullos earum gentium ritus, veluti superstitiosos â quibusdam Missionariis reprobatos, ab aliis verò, utpote eos civiles tantùm asserentibus, permissos. Movit ea res Clementem XI. ut inter prima felicissimi sui Regiminis negotia hoc haberet, Virum aliquem, morum integritate, doctrinâ, ac prudentiâ commendatum, tanquam Visitatorem Apostolicum cum potestate Legati de Latere, ad præfatum Sinarum, aliáque finitima Indiarum Orientalium regna, ablegare, qui rem summi momenti propiùs inspiceret, & inspectam Sacræ Sedi referret. Eligebatur Carolus Thomas Maillardus Taurinensis, Patriarcha Antiochenus, pietate, doctrinâ, & prudentiâ longè præstantissimus; verùm ille Chinensibus tam ingratus veniebat, ut Macai diuturnâ custodiâ detineretur: ubi plurimis laboribus attritus, & diuturnis ærumnis confectus, quas forti magnóque animo sustinuerat, vir religiosissimus An. 1710. die 8. Jun. moriebatur. Commeritus fuerat, ut in oratione funebri ab ipso Clemente XI. ejus honoribus habito nominaretur *Orthodoxæ Religionis zelator maximus, Pontificiæ Authoritatis intrepidus Defensor, Ecclesiasticæ Disciplinæ Assertor fortissimus, Cardinalitii Ordinis lumen & ornamentum.* Is Clementi, cùm absens Cardinalis crearetur, rescripserat: *Dimissurum se potiùs omnes dignitates, quàm Europam, Missionibus Senensibus derelictis remigraturum.* Cùm mortem, viribus deficientibus propinquam sentiret, ultimas tabulas confecit, in quibus relictâ pauperibus pecuniâ, Consanguineis legata Cruce, Propagandæ Fidei Opus verè sanctissimum ex asse hæredem scripsit: illustre documentum relinquens, quæ & qualia esse debeant eorum testamenta, qui de Altari vixerunt, & Ecclesiæ Ministerio sese addixerunt; Tandem An. 1715. die 19. Martii Pontificia Constitutio emanavit, quâ certa formula definitè præscribebatur, juxta quam omnes per Imperium senense Missionarii, deposito etiam desuper juramento, se imposterum gerere deberent, ut ita sublatis dissidiis, Christianæ Religionis, Catholicæque fidei propagationem turbantibus, omnes tandem id ipsum dicerent

rent in eodem sensu, & in eadem sententia, unóque ore Deum glorificarent. Multa tunc equidem in nostram Europam nunciabantur de turbis, in Senarum Imperio excitatis, postquam hæc Constitutio eò devenerat; neque etiam revera difficultates, impedimenta, & discrimina deerant, quæ illius promulgationi intercesserunt; hinc non paucos timor subibat, ne Senensis Imperator irritatus consilium de ejiciendis Missionariis in animum admitteret. Sed victrix Religio vexillum sustulit. Nam lætissima Nuntia paulò pòst ex Sinarum Imperio accipiebantur, disertè affirmantia, longè in præsens abesse pericula illa, quæ Christianæ legis Professoribus impendere timidiores occinuerant: animabatur Clemens XI. ut novum Apostolicum Nuntium eò terrarum ablegaret: in promptu fore omnia: & Chinensem Imperatorem prono in Christianos aliàs animo, honorificâ ejusmodi ablegatione indubiè magìs magísque conciliandum. Ex altera parte Joannes Portugalliæ & Algarbiorum Rex suis Indiarum Administris, ac potissimùm Goanis & Machaonensibus seriò mandavit, ne ullam Executioni Pontificiæ Constitutionis moram interponerent; sed omni labore in id incumberent, ut dicta Constitutio integrum suum & plenarium consequeretur effectum: adhæc idem Rex pro constantissimâ suâ erga Apostolicam sedem reverentiâ opem omnem, præsidium, & patrocinium, apud Chinensem Imperatorem â se, suísque administris interponendum, Pontifici pollicebatur. Properabat igitur Carolus Ambrosius Mediobarbus Papiensis, Patriarcha Alexandrinus, ut Visitator Apostolicus cum Potestate etiam Legati de Latere ad Sinarum, aliáque Indiarum Orientalium Regna. Iter per Lusitaniam tenebat, eo consilio, ut debitas regi Portugalliæ Gratias Pontificis nomine ageret, qui pro felici ejus expeditionis eventu opem omnem addixisset. Is Patriarcham præcipuis Honoris significationibus prosecutus, Regia magnificentiâ excepit, liberaliter tractavit, & honorificentissimè dimittebat. Sic hunc nodum Gordium, quem indissolubilem Heterodoxi, suos Catholicæ Ecclesiæ triumphos invidentes, pro certo canebant, Clementis XI. Magnanimitas, Sapientia, Virtus, & Felicitas enodavit: Pia Lusitania consilium, operam, subsidiúmque contulit, & hæ illustres causæ fuêre, quæ Josepho Pereyrâ de la Cerda purpuram procurârunt, eò quidem magìs, quòd is Maximorum Consiliorum in Regiâ Aulâ Administer saluberrima hæc pro Orthodoxa religione consilia prò virili promovisset, factus canalis, per quem intensissima sua desideria Sanctissimus Pater ad Regem derivaret. Certè Rex tam charum habebat, ut duodenos è suâ Aula nobiles, qui ad Neopurpurati obsequia præstò essent, denominaverit. Ipsum Regni Lusitaniæ Protectorem in Aulâ Romanâ esse voluit, quem tamdiu Regno Utilem, ejúsque commodis unicè factum senserat. Eo auctus Honore An. 1721. Romam venit suo primùm calculo Pontificem dicturus; & Michaelem Angelum de Comitibus dixit, Principem Lusitanæ Nationi gratissimum, utpote apud quam Pontificis Nuntius per aliquot annos acceptus omnibus, invisus nemini vixerat. Die 2. Augusti magnifico comitatu Ecclesiam S. Susannæ, suæ demandatam curæ, intrabat. Ipsemet ad Principem Aram solemnem missam decantabat, assistentibus sacrificanti duobus magni nominis Abbatibus, quorum singulos annulo, cujus auro pretiosus adamas includebatur, donatos voluit. Tam illa die quàm etiam aliàs sæpiùs, cùm Romæ versaretur, complures ex Purpuratis Senatoribus, & aliis Romanis Dynastis Conviviis, Lusitanâ semper instructis magnificentia, adhibuit; certè aliquando visus est, è figuratis desuper nubibus, amicabilis imber decidere, qui obsoniorum varia genera penè in ora convivantium ingesserat. Nec minùs octingenta scuta Romana Studiosæ juventuti in Romano Seminario, quadringenta scuta pauperibus in Hospitali prope Ecclesiam S. Clementis, & lautas dapes monialibus ad S. Susannam, titularem suam Ecclesiam transmitti curabat. Ut equidem dies adeptæ Possessionis in eadem Ecclesia, ob summam munificentiam Eminentissimi Purpurati, multorum Sermonibus celebraretur. Die 28. Octobr. in eâ ipsa Divæ Susannæ Ecclesiâ è Sacris Undis levabat Hebræum quemdam, suos inter primo habitum loco; cui non modo Joannis Josephi Pereyræ nomen gratiosissimo favore indultum volebat; sed ad sua traductum ministeria inter Camerarios habet; & multùm sibi de suo Romam itinere gratulari videbatur, quòd ex Erebi jugo ereptam animam, cœlo mancipâsset. Tam equidem Eminentissimus Purpuratus Josephus Pereyra Pharaonensis Episcopus Pharum se exhibuit, qui errantibus in tenebris, & umbra mortis lucem præferret.

No.

No. L.

MICHAEL FRIDERICUS EX COMITIBUS DE ALTHANN GERMANUS.

Michael Fridericus tit. S. Sabinæ ex Comitibus de Althann Episcopus Vaciensis Germanus natus est Anno 1678. die 24. Junii ex Althannorum Nobilissimâ per Germaniam nostram Dynastiâ, quæ factorum magnitudine, in solio gloriæ jam dudum collocatam se vidit. Ut ad ipsa Althannorum incunabula redeamus, origine Suevi sunt. Bucelino teste Gebhardus Thannus in Sueviâ vixit circa annum 334. & tunc Ethnicæ Superstitionis tenebris Germania adhucdum involuta erat, non nisi post 400. annos sub Gregoriis II. & III. Pontificibus Maximis illuminanda. Dictus Gebhardus arcem Waldburg in Superiori Sueviâ à Ducibus Alemanniæ donum acceperat; hinc Truchsessii de Waldburg, Zeil & Wolffsegg &c. &c. notissimæ per Germaniam nostram Familiæ suam Originem ad eum referunt. Babo Thannus, viribus potens, pro Ducibus Sueviæ & Alsatiæ, quos agnationis vinculo contingebat, adversus Carolum Martellum, Majorem Domûs Regni Franciæ, arma arripiebat. Verùm in prœlio adversus Francos Heros generosus An. 719. occubuit, eo quidem anno, Bonifacius à Gregorio II. Papa missus, Evangelium in Germaniâ annuntiare incipiebat. Mangoldus de Thann præclaris factis famosus vixit circa annum 801. quo quidem anno Carolus Magnus regnare in Germaniâ cœpit, & veræ fidei lumen jam plenis radiis Germanis corruscabat. Hesso de Thann Ottoni Magno egregiam adversus Hungaros operam præstabat; verùm Magnus hic Heros An. 955. super coacervata hostium cadavera generosus victor occubuerat, quando ante Augustæ Vindelicorum mœnia Otto Imperator, prodigiosâ cruce, quam de cœlo Genius Divo Udalrico, Augustano Episcopo afferebat, animatus, Hunnos tanta strage debellabat, ut pene ad unum cæderentur omnes. Prodigiosa Crux in Ecclesia P. P. Benedictinorum ad S. S. Udalricum & Affram in hac Urbe Augustana hodiedum asservatur, cujus in aspectu gloriosam mortem Hesso de Thann obierat. Chuno de Thann, idémque Truchsessius de Waldburg A. 1124. in Monasterio Weingartensi (Ravenspurgo quàm proximè adjacet) Abbas erat; quo quidem tempore Octo insignes Viri ex Illustrissimâ hac Familiâ religiosam Deo Vitam in eodem Monasterio ducebant. Sed nemo ex antiquis nobilissimam hanc Familiam magis illustrare visus est, quàm Dietmarus de Thann. Is Sacræ Expeditioni, quæ in Palæstinam A. 1217. suscipiebatur, cum Leopoldo Austriaco interfuit: licet multum profecta ætate canesceret, bellica tamen virtute clarus virescebat. Leopoldum Ducem inter medios hostium cuneos periclitantem sua virtute incolumem præstitit: in Ptolemaidis expugnatione An. 1219. magnum pondus inveteratæ virtutis Dux partibus afferebat; cùm Leopoldi copiæ, Dietmaro absente, aliquam à Barbaris cladem passi essent, re ad Leopoldum delata, cùm is Dietmarum prœlio non interfuisse cognosceret: *Res bene se habet*, ajebat; quandoquidem bonus meus senecio gladium necdum strinxit. Cùm militum necessitatibus Dietmarus unicè invigilaret, Optimum Senem Patris loco habebant; hinc ab iis vernacula linguâ der alte Thann cognominabatur. Mansit in posteros inclytum Althannorum nomen; immò cùm in gentilitio scuti Symbolo albam fasciam, quæ coccineam aream in medio distinguit exhibeant, in cujus sumitate ducalis pileolus con-



MICHAEL FRIDERICUS EX COMITATIB. DE ALTHANN
GERMANUS EPISCOPUS VACIENSIS
S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS CREATUS DIE
XXIX. NOVEMBRIS. MDCCXIX.

Ioh. Christ. Kolb. exc.

Cum Gratia et Privil. Sac.r Caes. Maj.e Cath. 50.

conspicitur, ex concessione Leopoldi Austriaci id unicè factum videtur. Iis insignibus litera A adjungebatur, ut denotaretur, ex Thannis factos fuisse Althannos. Abies longissimo tempore excrescens, eadémque firmissima, invictum animi robur, & inviolatam erga Augustissimam Domum Austriacam Fidem denotat. Duo filii ex Dietmaro superstites, togâ unus, alter sago, clarissimi erant. Henricus Constantiæ ad lacum Bodamicum Episcopus creatus, eam Ecclesiam multa cum laude regebat; contrà Conradus, qui se è Patris Dietmari nomine Althannum vocari volebat, armis strenuus, Conradum IV. Romanorum Imperatorem è Sueviæ Ducibus in Italiam sequebatur, cùm is Neapolim & Siciliam, suum ex aviâ suâ Constantiâ patrimonium, armis repeteret. Imperatore in Germaniam reverso, armorum præfectura per Italiam penes Conradum Althannum relinquebatur. Sic jam ex tunc Althanni in Regno Neapolitano propugnando versabantur, quod à Suevis ad Andegavenses, ad Andegavensibus ad Arragonios, ab Arragoniis ad Castellanos, â Castellanis ad Austriacos devolutum, Fridericus Althannus S.R.E. Cardinalis Vicario nomine quàm felicissimè hodiedum administrat. Joannes Althannus Ferdinandi Catholici militiam in Hispania secutus, in Grannadæ obsidione â Mauris occidebatur, quam urbem Ferdinandus Hispaniæ Rex è Maurorum manibus extorquebat An. 1491. postquam octo menses integros obsidio durâsset. Ergo in Hispaniâ etiam gloriosa Althannorum stirps suæ erexit trophæa Virtutis. Adolphus Althannus an. 1396. in cruentissimâ illa acie cecidit, quando ad Nicopolim in Mœsiâ sexaginta Christianorum millia, Sigismundo Imperatore ægrè Constantinopolim elapso, obtruncabantur. Cladis causa fuêre Galli, qui nimiâ victoriæ fiduciâ, non exspectatis, quos unà adesse oportebat, Germanis, Hungaris, aliisque, in hostem præproperè invehebantur, pro speratâ gloriâ vulnera, & miserabilem, totique orbi Orthodoxo lugendam stragem reportantes. Wolffgangus Althannus primus erat, qui ex Sueviâ in Austriam transgressus, & Sedem in Murstetten figens, Aquilinis Oculis se propiùs probaret: A Ferdinando I. ob ingentia sua suorúmque merita Liberis Sacri Romani Imperii Baronibus adscribebatur. Qualis, quantúsque fuit Michael Adolphus Althannus, qui apud Rudolphum II. gratiâ præpotens, ab eodem campi Mareschallus, & Præfectus Strigonii, fortissimi adversus Turcas Christianorum propugnaculi denominabatur. Nec præter sua merita; nam cùm Alba Regalis an. 1601. â Christiano exercitu occuparetur, illæ fossæ, aquis præaltæ, medio corpore tenus sese immittebat, & sic ad hostem veniebat. Cùm Strigonium in eodem bello ab Adolpho SchWarzenbergio, admoto urbis portæ pyloclastro, expugnaretur, inter primos ingrediebatur, dignissimus postea visus, ut in oppido, ubi victrices Aquilas inter primos sustulisset, præfecturam obtineret. Is ab eodem Rudolpho Sacri Romani Imperii Comes dictus est, eâ honoris prærogativâ ad posteros pariter transmissâ. Rudolpho II. mortuo, idem gratiæ aditus apud Mathiam Cæsarem Heroico Viro patebat: ab eo ad pacis negotiationem, cum Turcis ineundam Althannus mittebatur; ut qui fortis in arenâ Martis Ulysses fuisset, prudens in Pacis consiliis Ajax existeret. Apud Ferdinandum II. tertium firmatâ potentiâ omnia poterat. Cujus etiam ad Polonos Legatus ibat. Demum apud Ferdinandum III. raro in Aulis prodigio, cùm difficilè plerumque sit, aliis post alios successoribus placere, eundem gratiæ locum obtinebat, quô prius fuerat. Suis id unicè meritis consecutus videbatur; nam optimus Senecio, nomine & omine vetus Althannus, pertransibat benefaciendo. Pro captivis, qui in terris infidelium retinerentur, redimendis, magnam pecuniæ vim expenderat. Eum in finem Equestrem Ordinem inchoavit, cui præscriptum, ut inter Christianos Principes Pacem conservaret, qui utique, si generosi animi in bellum prurirent, ensem laudabiliori consilio adversus infideles exererent. Idem Althannus, ut

in Sacram etiam Rempublicam suas curas extenderet, quatuor pro Patribus Soc. Jesu Collegia, videlicet Cremsæ in inferiori Austriâ, Znoimi & Iglavæ in Bohemiâ, & Comorræ in Hungariâ liberaliter fundaverat, in quod pium opus trecentena florenorum millia insumpta; sic miles ipse profano in bello strenuus egregios comilitones, in omnem terrarum orbem ituros, & Christianitatis trophæa erecturos, suis impensis ad pium etiam bellum instruxit, eò beneficiô totô Christiano Orbe Althannorum Illustrissimæ Familiæ utplurimùm obstricto. Fuerat is, quem modò dixi, Adolphus Abavus Eminentissimi nostri purpurati Michaelis Friderici Althani. Proavus ejus clarissimus Vir Fuerat Michael Wenceslaus Franciscus, quem prudentia summum Leopoldus Imperator ad Regem Sueciæ Legatum miserat. Avus ejus Michael Wenceslaus Sanctiori consilio à Carolo VI. adlegebatur ann. 1718. vir expertissimæ Sapientiæ. Pater Eminentissimi Purpurati Michael Ferdinandus bellicâ laude clarus enituit; quem hominem licet exterum Polonia largis prœmiis propositis ad se invitavit. Tantis progenitus Majoribus Eminentissimus Purpuratus Michael Fridericus Althannus, mensuram Parentum virtutibus adæquavit. Cùm ad Statum Clericalem transgressus esset, mox Ecclesiæ Cathedrales Wratislaviensis in Silesiâ, & Olmuziensis in Moraviâ Canonicatus offerebant. Inde Abbas Tabolcensis & Præpositus Boleslaviensis in Bohemiâ assumebatur. Sed in Urbe Romanâ Orbis Domina summarum positurus fundamina rerum, eò se maturè transtulit, in Seminario Romano altioribus disciplinis probè imbutus. Ex eo prorsus insignis prodiit; & Auditor Rotæ Nationis Germanicæ an. 1711. creatus, justitiâ summus, ingenio acer, moribus comis, in oculis Romanis Magnus evadebat; & cùm oculis etiam Aquilinis generosa hæc Althannorum soboles utplurimùm probaretur, ann. 1718. Episcopatum Vacciensem in Hungariâ obtinuit. Florebat tunc in Aula Cæsaris primæ admissionis Vir Michael Joannes Althannus, torquatus aurei Velleris Eques, grandis è Grandibus Hispaniæ Vir, Supremus Regii stabuli præfectus; quæ in Aula Viennensi suma post Præfectum Aulæ dignitas. Vir iste planè incomparabilis erat, qui in Hispaniâ suam egregiè fidem Regi Carolo probaverat; Hinc eximiè ab eo dilectus Althannus, summis quibusve consiliis adhibebatur, quibus pro dignitate sustinendis, parem prudentiam afferebat. Tot itaque Althannorum meritis obstrictus Cæsarum maximus, pro Sacrâ Purpurâ Michaeli Friderico impetrandâ, Sacræ Sedi, supplicandum à se ducebat: & facilè admittebatur, quem tot sua, tot suorum merita unà commendabant. Adeóque Sacro Senatorum Collegio annumerabatur ann. 1719. die 29. Novembris: cujus præclaras Virtutes Clemens Pontifex hac periodo circumscribebat. *Creare intendimus Michaelem Fridericum ex Comitibus de Althann, Episcopum Vacciensem. Præsulem hunc ab adolescentiâ sua non minùs pietate, quàm literis inter Seminarii Romani convictores in Urbe educatum, pluribus deinde Ecclesiasticis proventibus ab hac sancta Sede cumulatum: insigni postea Auditorum Romanæ Rotæ cœtui in ipsa florentiori ætate sua aggregatum: Vaccienfi demum Ecclesiæ nondum à sesquianno præfectum: si nová eum modò, & quidem ampliori, immò & amplissima dignitate augeri contingat, gratum Urbi, gratum Ecclesiæ, gratum Apostolicæ Sedi usquequaque futurum ambigere non possumus: ita siquidem egregia ejus indoles, claritas generis, honesti mores, optima institutio abundè nobis pollicentur.* Statim Purpureum birretum, ab Abbate Valentio Viennam Regiam Austriæ Urbem allatum, Cæsaris manus meritissimo Vertici imponebat. Inde Eximius Vir ad Rempublicam capessendam Romam ibat. Ex itinere Divam Virginem Lauretanam salutabat, & in gratissimum beneficiorum, quæ illi in acceptis referebat, Mnemosynon, pretiosissimam ex adamantibus Crucem, ad quatuor florenorum millia æstimatam, ad virgineos tholos suspendebat: votum etiam concipiebat, se iterum ad Sacras eas Ædes advolaturum, si Pia Austria (cui Althannorum Domus ex integro devota) Cœli favore, & Partheniæ Matris ope masculam prolem obtineret. Romam ubi attigit, magnificentissimâ pompâ, si quis alius ante illum ex Germanis Dynastis, ingrediebatur. Quinque supra centum currus erant, qui longissimo ordine ibant. Ex S. R. E. Cardinalibus suos currus, omni artificiorum ge-

nere

nere instructissimos mittebant Boullionius, Acciajolus, Spada, Marescottus, Astallus, Panciaticus, Corsinus, Ferrarius, Sacripantes, Martellus, Gualtierus, Vallemannus, Paraccianus, Tremoullius, Fabronus, Picus, Piazza, Corradinus, Ptolomæus, Casinus, Pamphilius, Ottobonus, Bichius, Imperialis, Altierius, Colonna, Grimaldus, Albanus, Orighus, Cardinales d' Adda, S Cæsarii, S. Vitalis, S. Onuphrii &c.&c. Ipsius Neopurpurati splendidissimum Ministerium, assuetos etiam ejusmodi Pompis inspiciendis Romanorum oculos, novo Ornamenti genere in admirationem rapiebat. Rubeo Galero aliquot abhinc diebus è manibus Clementis XI. accepto, Vir solis negotiis natus, ne unquam feriaretur, Congregationibus *de Propagandâ fide, del Riti, del Consiglio, & del Consistorio* interfuit, & ita interfuit, ut omnes utilem Ecclesiæ sentirent. Cùm Clementi XI. magno Orbis luctu elato, successor quæreretur, in Michaelem Angelum de Comitibus prudentissimo suffragio unà ibat, utpote probatissimum Virum agnoscens, & Austriæ rebus unicè addictum; namque Ecclesiæ Columnam Augustissimam hanc Domum omnes agnoscunt. Cùm Innocentius XIII. in Solio Petri regnare cœpisset, Eminentissimus Purpuratus Maximi Cæsaris Plenipotentiarius, & rerum in Aulâ Pontificis summus Administer, denominabatur. Literas patentes desuper obtentas die 29. Julii Innocentio XIII. exhibebat; & elegantissima Oratione, Vir in eloquendo admirabilis, egregium sui specimen Sanctissimo Patri, & Purpuratis Senatoribus propè adstantibus, præbuerat. Inde tria summi momenti negotia in Aulâ Pontificiâ pertractavit, & omnia feliciter confecit. Primò Investituram Neapolitanam, â Pontificibus tam diu suspensam, ad exitum feliciter deduxit: ipse in manus Pontificis, Cæsaris nomine, tanquam Regis Neapolitani, juramentum deposuit. Secundus labor in eo versabatur, ut Episcopatus Viennensis Pontificis authoritate in Metropolitanam sedem erigeretur. Cùm Urbs Germaniæ Princeps, & Austriacorum Cæsarum Regia, eâ Ecclesiasticæ dignitatis prærogativâ dignissima crederetur, etiam eâ in re Innocentius Papa Imperatori gratificabatur. Tertiò Althannus pro Divo Joanne Nepomuceno, Sanctorum fastis inserendo, Cæsaris nomine instabat. Etiam id, re ritè in Congregationibus examinatâ, & debitè discussâ, ac Authoritate Pontificia roboratâ, impetratum; nam meritò videbatur collocandus inter cœlites, qui innumeris in dies miraculis & beneficiis, tot Orbi in propatulo positis, splendescit in terris. Enimverò Sancta Viri Lingua, quæ die 27. Jan. labentis anni, Pragensibus cum summo stupore rem prodigiosam contemplantibus, in cunctorum oculis, novo vigore, & clarissimis vividi membri lineamentis animata conspiciebatur, satis eloqui visa, qualis Honor Taumethurgico Huic Viro, & Bohemiæ Tutelari Sancto deberetur. Hæc sunt grandia illa negotia, quibus Legationem suam toti Germaniæ longè pretiosissimum Eminentissimus Purpuratus Michael Fridericus Althannus effecerat. Mox Sydus tam beneficum Regia Parthenope sibi vindicabat; nam cùm summa Sapientiâ id consecutus esset, ut regendis populis natum cuncti crederent, hinc Carolus VI. in eo Principe condecorando totus, utpote quem Religio, fides, Prudentia, Comitas, & admirabilis in rebus pertractandis solertia commendabant, ad Vicarios Regni Neapolitani fasces eum anno 1722. mense Junio admovebat. Ille equidem regnum Neapolitanum Principes amando, populum sublevando, Ecclesiasticos tuendo, probos remunerando, & sceleratos removendo, ita administrat, ut Austriacum Regimen cunctis venerabile, & amabile reddat. Planè Regia Neapolis, quæ Carolo V. indomiti Equi instar aliquando visa, non nisi frœno injecto in obsequio retinenda, â Carolo VI. non Violentiæ retinaculo, sed amoris illicio captivatam se modò sentit. Bucephalus nempe est, qui solos Alexandros sessores patitur.

No.

No. LI.

JOANNES BAPTISTA SALERNUS E SOCIETATE JESU CONSENTINUS.

JOannes Baptista è Soc. JEsu tit. S. Priscæ Cardinalis Salernus Consentinus natus est ann. 1670. die 24. Junii ex Urbe Consentinâ. Consentia Calabriæ Urbs est ad Cratis ripas condita. Brutiorum olim caput fuerat. Ea Brutiorum regio inde nobilitatur, quòd in bello, quod Romanis Pompeii Magni temporibus cum servis enascebatur, insignis victoria in eo Italiæ angulo à Lucio Crasso referretur; cùm enim Spartacus Trax Romanum mancipium, cum amplius LXX. gladiatoribus Capuâ ex ludo elapsus fuisset, magnis copiis contractis, mirificos populo Romano ludos & clades reddebat. Ad extremùm cùm de invadenda Româ cogitaret, in hunc Italiæ angulum cum LX. millibus armatorum compulsus, cùm fugam in Siciliam frustrà tentâsset, tandem eruptione facta, dignam viro mortem obiit: tunc quidem Lucius Crassus eum Isthmum muro & fossâ sepierat, ne quis elaberetur. Annibal quoque in extremum hunc Agri Brutii angulum compulsus, nihil jam magis precatus est Deos, quàm incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceret. His nobilitata victoriis olim Consentia fuerat. Sed alios nec minus illustres Romæ triumphos dedit Joannes Baptista Salernus S. J. Homo Consentinus. Hostes erant Heteroclytæ Sectæ, quas ex animis hominum expunctum ibat. Gloriæ campum nanciscebatur in Saxoniâ, ubi suæ defixit trophæa victoriæ. Nobilis præda obtigit Wittegindi progenies, quam Sapientiâ suâ in casses allexit, cui tamen victoriæ instar erat, ita captam fuisse. Et novus iste Christianus Hercules statim in cunis apparuit, & angues elisit; nam cùm ab incunabulis virtutes imbibisset, cane pejus & angue vitia execrabatur; ita ut eo vitæ tenore in oculis Consentinorum pretiosus evaderet; & cùm cuncti ex istis scintillis aliquando plenè exæstuantes flammas exspectarent, de Joanne Baptista Salerno Evangelicum illud occinebant: Quis putas, puer iste erit? Factus est, ut Magnus evaderet, Jesu Discipulus; probè gnarus, in eâ Societate sibi campum aperiri, ubi victricia signa adversus orcum facilè exsplicare posset, animas reportaturus, qui præclaris his Viris unicus scopus præfixus & meta rerum. Cùm hi JEsu milites tot provincias numerent, quò Sacras suas curas extendunt, videlicet V. in Italiâ, Romanam, Siculam, Neapolitanam, Mediolanensem & Venetam. X. in Germaniâ, quas dicunt Germaniæ Superioris, Rheni inferioris & Superioris, Austriacam, Bohemicam, Flandro-Belgicam, Gallo-Belgicam, Polonicam, Littuaniensem & Anglicam. V. in Galliâ, Gallicam propriè dictam, Aquitanicam, Lugdunensem, & Tholossanam. X. in Hispaniâ Toletanam, Castellanam, Arragoniam, Bæticam, Sardoam, Peruanam, Neo-Hispanicam, Mexicanam, Insularum Philippinarum, Paraquaicam, Chiliensem. VI. in Lusitaniâ, Lusitanam, Goanam, Malabaricam, Japonicam, Brasiliensem, & Senensem: cùm inquam Hi JEsu milites tot provincias numerent, immortali nominis sui gloriâ id consecuti sunt, ut cùm multas ex his provincias Christo noviter pepererint, reliquas Sanctissimis legibus instituant, vitia eradicent, ignorantiæ tenebras dispellant, rudi Sæculo & penè informi restaurato, multò planè gloriosiores existant, quàm Romani Scipiones Cæsares, & Pompeii fuêre, qui per Europam, Asiam, & Affricam (Americam nec nomine tenus noverant) victricia arma circumtulerunt. Medio abhinc Sæculo 17655. Religiosi Viri (intérque eos 7870. Præsbyterio insigniti) in Hac Sacrâ Familiâ reperiebantur, qui ab ortu ad occasum benefici Solis instar orbem percurrerunt, & illustrârunt,



IOANNES BAPTISTA E SOC. IESU S. R. E.
PRESBYTER CARDINALIS SALERNUS
COSENTINUS CREAT. DIE XXIX. NOV. MDCCXIX.

Joh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Caes. Maj.

51.

runt Universum. Enimverò est, cur in tribus eodem tempore Purpuratis Principibus gloriosus ordo triumphet, quòd manifesto indicio est, quod eximii Viri neutiquam desint, qui in Gloriæ Solio collocentur. Hìc Joannem Baptistam Salernum describendum sumimus. Postquam in ex suo Italiæ Angulo (Brutios intelligo) Romam devenisset, Vir Solidæ Sapientiæ & profundæ doctrinæ, & agendi modum suavissimum possidens, Romanis sese summoperè commendabat, & quando in Sacro Collegio Romano, cui Rector præerat, versabatur, semper talis visus est esse, qui si ad publica Christianæ Reipublicæ negotia traduceretur, appositâ illa hominum animos tractandi arte, magnum aliquid præstiturus esset. Ergo ex mandato Pontificis ad Electoralem Saxoniæ Principem ibat, ejus in Catholicâ fide futurus institutor, & toto illo tempore, quô Regius Princeps Italiam peragrabat, ejus lateri tam fidus comes adhærebat, ut huic novo Tobiæ, in peregrinis regionibus novam sponsam (Ecclesiam intelligo) quærenti, Raphaelis instar esset, qui viam signaret, & facem præferret. Res ita se habebat. Clemens XI. Sapientissimus orbis Antistes, cùm probè intelligeret, magnas illas spes, quas olim S. Mater Ecclesia in Friderici Augusti Electoris Saxoniæ ad eam reversione collocaverat, haud satis explendas, nisi Electoralis Princeps ad eadem Sacra unà traduceretur, nullas propterea pastoralis sollicitudinis partes, nullúmque officiorum genus prætermiserat, quo Regium Augusti animum eo inflecteret, ut Orthodoxæ fidei principiis filium imbuendum curaret; sed iis conatibus impediendis multa intervenerant. Hinc occursabant Poloniæ res turbulentissimæ, inde Princeps mater & avia utplurimùm obluctabantur, ne â communione & complexibus suis juvenis Princeps abstraheretur; neque tamen Pontifex, divino fretus præsidio, spem perficiendi rem unquam abiiciebat, aus ullis difficultatibus depulsus ab incoepto desistebat. Unde ann. 1709. Annibalem Nepotem suum in Germaniam legabat, cui inter præcipua & potiora mandata hujusce negotii perficiendi Provinciam imposuerat. Ei tam feliciter negotiatio cedebat, ut Rex in suis ad Clementem literis polliceretur, se Principi Filio institutores & familiares Orthodoxos daturum, & quamprimùm ad peragrandas Catholicas provincias dimissurum, ut â Sectariorum communione & consuetudine procul abesset. Statim Rex fidem suam liberaverat. Regius Princeps Bononiam mittebatur, & ibi â Joanne Baptista Salerno Soc. Jesu, qui necessariis ad id facultatibus â Clemente XI. instructus erat, Catholicæ fidei principia luculenter hauriebat. Quàm sedulam operam Salernus in gravissimo eo negotio adhibuerit, inde coniici potest, quòd Clemens XI. in Secreto Consistorio habito die 11. Oct. ann. 1717. ad præsentes S. R. E. Cardinales publicè contestatus fuerit, *quòd ejus fidem, Studium, sedulitatem & prudentiam, ea in re sanctissimè gerenda satis commendare non possit*. Ergo â Joanne Baptista Salerno viam veritatis satis edoctus Regius Princeps, denique post maturam ac diuturnam plurium mensium deliberationem, æternæ salutis suæ desiderio incensus, in manus dicti Joannis Baptistæ Salerni, præsentibus S. R. E. Cardinali Casono, Apostolicæ Sedis Bononiæ Legato, aliisque ann. 1712. die 27. Nov. Sectæ Lutheranæ, in quâ natus erat, errores abjuraverat. Ceterùm humanæ rationes interveniebant, quæ prohibuerunt, ne per integrum ferè quinquennium gloriosissimi facti notitia evulgaretur. Interea tamen sincerè, etsi occultè, Princeps Catholicam Religionem profitebatur; nam non solùm â profanis patriæ suæ ritibus prorsus abstinebat, sed etiam Sacrosancto Missæ sacrificio quotidie intererat, Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ crebrò percipiebat, aliáque veræ pietatis & Religionis documenta dederat. Sæpè etiam ad Sanctissimum Patrem testes literas dabat, se gravissimè ferre impositam Religionis occultandæ necessitatem, nec sibi gratius quidquam futurum, quàm ut ad urbem Romanam accedere daretur, & coram publicè edere Romanæ Communionis testimonia. Litera prima dabatur Florentiæ die 14. Apr. 1713. Secunda die 30. Oct. ejusdem anni. Tertia Parisiis die 24. Sept. ann. 1714. Quarta Venetis die 2. Maij 1716. Quinta ibidem die 5. Maii 1717. Toto illo itinere Florentiam, Parisios, & Venetias &c. &c. Salernus Prin-

cipem comitabatur, ab eo Patris loco cultus & æstimatus; Tam suavi modo mite Christi jugum docilissimo Principi insinuabat. Tandem ann. 1717. â Patre Rege Catholicus Princeps potestatem aliquando obtinuerat, ut Catholicam Religionem, quam per quinque annos occultè coluerat, palam profiteretur. Statim Princeps ex oppido S. Pelden in Austriæ finibus Cursorem ad Pontificem destinabat, ut res in Urbe Romana, veræ Religionis Arce, promulgaretur; quam etiam eodem tempore Viennæ in Austriâ promulgari curaverat. Sic Oriens & Occidens novum Sydus in Ecclesiâ ortum sibi gratulabantur, & unà Joannis Baptistæ Salerni operam, quam grandem collocaverat, deprædicabant. Postea Sanctissimus Pater Clemens XI. in eam potissimùm curam incubuit, eòque omnem operam conferebat, ut Potentissimi Principis affinitate obtenta felicitas stabiliretur. Hinc Joannem Baptistam Salernum, *cujus fidem, dexteritatem, & prudentiam* (verba erant mittentis Pontificis) *in Principe ad Christi Ecclesiam revocando expertus fuisset* ad Carolum VI. Romanorum Imperatorem ocyus allegabat, jussum, ut Pontificis nomine officiis, precibus ac Suasionibus instaret, ut ex duabus clar. mem. Josephi I. Romanorum Imperatoris filiabus alterutra Electorali Principi in matrimonium collocaretur; neque Salernus ea in re mandatis Pontificiis, aut zelo suo, aut negotii gravitati ulla ex parte defuit; neque Imperator pro eximio suo in rem Orthodoxam Studio omisit, ut Pontificiæ æquè petitioni, ac Poloniæ Regis votis satisfaceret. Hinc Mariam Josepham, Josephi I. Romanorum Imperatoris piissimæ memoriæ natu majorem filiam eidem Electorali Principi Saxoniæ nuptui se collocaturum promiserat; prout etiam die 20. Aug. An. 1719. Auspicatæ eæ nuptiæ solemniter celebratæ fuere. Felix Maximæ hujus Rei negotiatio Salernum in oculis Austriæ æquè ac Saxoniæ pretiosum effecerat. Imperator Viennâ discedentem annulo remunerabatur, cui inclusus adamas ad tria Romanorum scutorum millia æstimabatur; nec minus Augustus in Poloniam Ann. 1720. venientem omnibus Regiæ benevolentiæ officiis prosecutus est. Eo tempore Salernus in id operam suam sedulò impendebat, ut proceres ad concordiam animaret; nec aversabantur Poloni liberam hominis vocem, quam sciebant amanter editam, nec felle refertam; sed suavi quadam comitate etiam ad audientium voluptatem conditam. Tam insignibus Salerni meritis Rex Augustus permotum se sentiebat, ut Sacræ Sedi pro Purpurâ eximio huic Viro conferendâ etiam atque etiam instaret: Nec Pontifex in se ullam moram passus est esse, quò minùs tam meritum de Orthodoxa Ecclesia Virum, eo honestamento decoraret. Causam licet in propatulo esset, iterum iterùmque sibi retexendam Sanctissimus Pater ducebat; hinc Joanne Baptista Salerno ad Cardinalatûs honorem in Consistorio Secreto Ann. 1719. die 29. Nov. proposito, de eo laudabilia isthæc subjungebat. Perspecta Vobis sunt, ac fusè aliàs à nobis ex hoc loco relata hujus Viri „merita, quæ sibi maxima comparavit, tum in Electorali Saxoniæ Principe ad Ecclesiæ gremium revo„cando, tum in aliis feliciter peragendis, quæ magnas spes nostras de similiter futuris Catholicis Saxoni„cæ ditionis hæredibus validissimè roborârunt. Reliquum nunc est, ut debitam ejus laboribus merce„dem rependamus: quam quidem ut videtis, alacriter paramus quavis alia majorem, quam nos ei retri„buere possimus. Longè tamen illa minorem, quam ipse à bonorum Operum retributore Deo Op„timo Maximo, cujus causam strenuè ac fideliter egit, meritò poterit exspectare. Post hæc Abbas Mo„reda Purpureum Biretum, Salerno destinatum, in Saxoniam afferebat. Inde Neopurpuratus Warsoviam ibat, ubi Pontificis Nuntius & Posnanus Episcopus venientem excipiebant. Die 2. Aprilis Augusta Regis Poloniæ manus Charissimo Vertici Sacrum Biretum in Basilicâ, Divo Joanni dedicatâ, imponebat. Quæ Sacri Bireti impositio à Lutheri temporibus Friderico Augusto omnium primò è Saxoniæ Ducibus obtigit. Hinc Saxoniæ unà & Eminentissimo Purpurato Corona Gloriæ imponi visa. Felix itaque Consentia! quæ tantum Orthodoxo Orbi Virum dedisti. Ajunt, quod Consentes, sive Majorum Gentium Dii (quos & alii à Concordiâ consentientes nuncupant) tibi nomen imposuerint. Fuere illi ex Diis (ut Deas prætermittam) Numero sex. Jupiter, Neptunus, Apollo, Mars, Mercurius, & Vulcanus. Jovem dico Joannem Baptistam Salernum; sed non Tonantem illum, ast Ferretrium, seu ferentem auxilium. Neptunum: qui Sacræ Reipublicæ Navem optime adgubernat. Apollinem: nam Sapientiæ Apex fundit oracula. Martem: qui bella gerit, sed Pro Superis. Mercurium, qui Mundo fausta de Conversione Principum annuntiat. Vulcanum: qui fulmina cudit; sed in Ecclesiæ hostes. Addo ego Eminentissimum Purpuratum Joannem Baptistam Salernum unà Æsculapium esse, qui ex Scholâ Salernitanâ pro animorum vulneribus curandis, optima pharmaca Christiano orbi afferat.

No.



CAROLUS S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS DE BORGIA CENTELLA PONS E LEON HISPANUS PATRIARCHA INDIARUM CREATUS DIE XXX. SEPTEMB. MDCCXX.

Ioh. Christoph Kolb, exc.

Cum Gratia et Privil. Sac. Caes. Maj. Cath.

52

No. LII.

CAROLUS BORGIAS HISPANUS.

CArolus tit. S. Pudentianæ Cardinalis Borgias Hispanus Patriarcha Indiarum natus est An. 1663. die 12. Julii ex Principe in Hispaniâ Borgiarum Familiâ, quæ suam originem ab Arragoniæ Regibus trahit. In varias stirpes abiit; nam Duces Gandiæ, de Villâ Hermosâ, & Squillacii Principes in Regno Neapolitano, Borgiarum originis sunt. Domus Natalis Illustrissimæ hujus Familiæ oppidum Ataryum in regno Arragoniæ fuit; sed ab Alphonso X. Legionis & Castellæ Rege, Gandiam urbem, portu celebrem, in regno Valentiæ Petrus d' Atary Ann. 1252. obtinuerat: inde Duces Gandiæ nuncupati. Ex Principe hac Familiâ prodiit Callistus III. Pontifex Maximus Valentinus. Is Leridæ Doctoratu insignitus, ob perspectam prudentiam ab Alphonso V. in aulam advocabatur, ubi Regi ab Epistolis erat. Ad tollendum Schisma in Arragoniâ enatum, vires omnes & nervos intendebat. A Martino V. Pontifice Ann. 1429. Episcopus Valentiæ denominabatur. Eugenius IV. meritissimum Virum ann. 1444. Cardinalem dicebat. Nicolao V. ann. 1455. è vivis excedente, ipse septuaginta sex annos natus Pontificatum adipiscebatur. Sed deplorandus tunc erat rei Christianæ Status; nam Turcarum Tyrannus Machometes II. Deo Græcis irato, Constantinopolim biennio antè cœperat, quàm Callistus Cathedram Petri ascenderet. Sic â Constantino ortum Imperium cum Constantino Palæologo defecerat: Hinc Callistus Turcis bellum illaturus nihil nec divinæ, nec humanæ opis prætermittebat, perpetuis supplicationibus indictis: Usumcassanum etiam Persarum Regem muneribus in Turcam incitaverat: copias in Hungariam, classem in Græciam destinaverat; & apparuerat cœleste auxilium in multiplici victoriâ. Belgradum nobile Hungariæ oppidum Machometes An 1456. CC. armatorum millibus oppugnabat. Igitur Hunniades, Joanne Capistrano Christi Crucifixi effigiem in hostem inferente, ingentem Turcis cladem intulerat. Exercitus omnis parvâ manu fusus, ad XX. hostium millia cæsa, Machometes ipse in oculo vulneratus, classis hostilis magna ex parte capta aut demersa, Bombardæ ad CLX. ademptæ, castra omnis opulentiæ plena direpta. Ob hanc victoriam Callistus Transfigurationis Dominicæ festum instituerat. Aquilejensis etiam Patriarchæ ductu classis Turcica ad Rhodum victa, ac magna ex parte capta. Smyrna, Lemnus, Imbrus, aliæque Ægæi maris Insulæ receptæ. Nec minus Usumcassanus de Machometis filio, & de ipso etiam Machomete egregias victorias retulerat, quibus amplius CCCC. Turcarum millia delevit, divinâ magis ope victor (ut in epistolâ ad Pontificem datâ professus est) quàm humanâ. Tantas Borgiis victorias orthodoxus Orbis debet. Alter Pontifex, quem Princeps Borgiarum Familia dedit, Alexander VI erat. Is Innocentio VIII. Romæ die 25. Julii anni 1492. defuncto, surrogabatur die 11. Augusti. Et ecce! eodem planè tempore, quo is Pontificatum adibat, Christophorus

rus Columbus Genuensis III. Nonas Augusti suæ navigationi in novum orbem initium dederat; & Canarias Atlantici Maris transgressus, die 2. Octobris Insulas attingebat, quas indigitaverat Hispaniolam, Joannam & Elisabetham: & quidem prima Insula, ubi appulit, Guanahamia inter Lucaydes una fuerat, quam Insulam S. Salvatoris Columbus nominaverat; & postquam in terram egressus fuerat, statim arborem cædi jubebat, quam in Crucis formam fabricatam, Christianæ expeditionis monumentum, in litore erigebat. Ergo victrix Religio sub Alexandro VI. è Borgiæ Ducibus primò omnium vexilla per Americam sustulit, ejus Regimine in posterorum memoriâ ex eâ inventione in perpetuum duraturo. Idem Alexander, cum Lusitani Orientali Indiâ, & omni Æthiopiâ potiti, de nova possessione cum Hispanis litigarent, authoritate sua interposita, litem diremit; nam suam cuivis Regum Orbis Regionem descripserat, & circulo centum quadraginta leucis â Septentrione ad Australe cœlum circumducto, nondum repertum plenè Orbem ex æquo, in Orientis Occidentisque Solis Regiones bifariam partitus est. Illæ Joanni Regi Lusitaniæ, hæ Ferdinando Catholico Pontificis diplomate concedebantur; sed cùm novum Orbem Europæ Principes classibus quærerent, novum sibi dominatum Cæsar Borgias in Italiâ vindicabat. Æmiliam omnem (præter Bononiam, quæ â Bentivolo tenebatur) Flaminiámque suam in ditionem redegerat; nec minùs Urbinatium Ducatum, & Camerinum Principatum eodem victoriæ impetu capiebat; Verùm bellicosissimi Viri torrens in justum alveum à Pontificibus Pio III. & Julio II. cogebatur. Feliciùs alii ex Gandiæ Ducibus, quod ille per Mavortia arma quærebat nomen, vitæ sanctimoniâ sibi comparabant. Quàm Illustre Hispaniæ Sydus luxit Joannes Franciscus Borgias? is ad Aulam Caroli V. Cæsaris transgressus, jam ex tunc raro in aulis prodigio sanctum exhibebat. Ad Catalauniæ administrationem traductus Religione & Sapientiâ populos regebat. Cùm Isabellam Imperatricem Emanuelis Regis Lusitaniæ filiam ad Grannatense sepulchrum deduxisset, in ejus vultu fœdè comutato, mortalium omnium caducitatem relegebat; hinc voto se adstrinxerat, quamprimùm per regni negotia, statúmque suum liceret, abjecta omni mundana pompâ Regum Regi unicè deservire. Tam plenis virtutum radiis in Iberico Cœlo corruscabat, ut Miraculum Principum vulgò compellaretur: Cùm mors Eleonoram de Castro ejus conjugem sustulisset, omni impedimento sublato, suo se voto exsolvebat, Societatem JEsu ingressus, ut dignitatibus aditum certiùs præcluderet: prout etiam Purpuram non semel oblatam constanter respuebat. Sanctus Ignatius (nam in ipsa Societatis incunabula Franciscus incidebat) Generalem Comissarium per Hispaniam dicebat. Divo Ignatio mortuo, Jacobus Lainezius Hispanus, & ei ann. 1565. defuncto Franciscus Generalis Præpositus ab Universa Societate surrogabatur. Socios in Regnum Poloniæ, in Insulas Oceani, in Mexicanam & Peruanam Provincias invexerat; & sic Sacri Ordinis sui Rempublicam amplissimè propagavit, meritis orbem complexus universum. Centies quotidiè Deum de genu adorare visus est; & cùm aris quotidiè adstaret, prodebat se divinus, quâ æstuabat ardor; cùm ejus vultus sacram hostiam offerentis aut concionantis sæpè radiaret. Immò Sanctissimum Christi corpus in Eucharistiâ latens, ubi asservaretur, cœlesti instinctu sentiebat; videlicet inter eum & Dilectum suum admiranda Sympathia intercedebat. Satis constat, quòd Carolus V. omnis ætatis ac memoriæ clarissimus Cæsar, cùm rebus humanis abdicatis, receptui canere vellet, cum Francisco Borgia rem unicè communicaverit, severè admonito, ne cui mortalium consilium hoc suum, quod requietem nactus è bello aliquam exequi decrevisset, aperiret. Tantùm Borgiæ exemplum valuit apud generosam Cæsaris indolem. Mortuus est Franciscus Borgias plenus virtutibus, plenus meritis Anno 1572. die 30. Septembr.

Urba-

Urbanus VIII. Anno 1624. die 23. Novembris beatum dixerat. Et Clemens X. Anno 1671. Sanctorum fastis intulit. Francisci ejus Borgiæ nepos fuit Caspar de Borgia, quem Paulus V. Cardinalem dixerat. Is Ecclesiam Sevilienſem & Toletanam Archiepiſcopus rexerat: adhæc Neapolitanum Regnum, meritis inſignis, Prorex adminiſtrabat. Cùm Regis Hiſpaniarum Legatus Urbi Romanæ per aliquot annos imoraretur, Pater Pauperum comuniter audiebat, in quos annuatim decem aureorum millia ſepoſuerat. Is Anno 1617. corpus Franciſci Borgiæ Mantuan Carpetanorum deferri curaverat. Neque intra Solos Viros inclytum Borgiarum nomen hæſit: Sanctiſſimas etiam Heroinas enumerant, quas Orbis Iberius admiratur. Vitam Franciſcæ de JEſu quisquis leget, in eâ Iſabellam Gandiæ Principiſſam utique dignoſcet, quæ potentiſſimo per Hiſpaniam Dynaſtæ Duci Segorbiæ, parentum promiſſis addicta, ſponſum Chriſtum præhabuit, in Monaſterium Sanctæ Claræ in eadem Urbe Gandiæ ante diem nuptialem heroico conſilio transgreſſa. Tam præclaros Majores nactus Eminentiſſimus noſter Purpuratus Carolus Borgias, eósque ſibi unicè imitandos ratus, virtute & Sapientiâ maximus excreverat. Hinc in Regis Philippi V. Aulâ eâ gratiâ valet, ut in graviſſimis rebus ejus conſilium unà requiratur. Patriarcha Indiarum nuncupatus eſt. Et cui magis congruè India committi potuiſſet? Alexander VI. Borgias Indias, ſub ſuo Regimine inventas plantavit. Franciſcus Borgias, Sacros Miſſionarios immittendo rigavit. Et Carolus Borgias, modernus Indiarum Patriarcha, Deo juvante, incrementum dabit; planè nunquàm alacrior ad Negotia accedere viſus eſt, quàm cùm in Indico Senatu pro Sacræ Religionis incremento ſuffragium dicendum erat. Inſigni Viro, ut in Forenſibus Aulæ negotiis apprimis probato, ita in exantlandis pro Sacra Republicâ Chriſtiana laboribus indefeſſo, ſacram Purpuram Rex Philippus â ſe procurandam ducebat. Nonus, quantùm reperio in eum Purpuræ honorem, ex Gandiæ Ducibus, Carolus venit. Die 29. Novembris anni 1720. cum Alvaro Cienfuegos Societatis JEſu Præsbytero ad hanc Purpuram admittebatur; Nam cœli conſilium ita ferre videbatur, ut Socius JEſu ſupparem Collegam Borgiam, cœleſtis illius digniſſimum poſterum nanciſceretur. Philippus V. in ipſa Regia Mantuæ Carpetanorum Urbe, Purpureo Bireto Neopurpurati Dynaſtæ caput cohoneſtavit, populo in plauſus effuſo, qui Borgiæ amoribus unicè deditus eſt, utpote ſuarum Procuratori utilitatum. In Principem Orbis Urbem Anno 1721. delatum, Sacra Roma tot ſua, tot ſuorum decora afferentem, ſummoperè ſibi excolendum ducebat. Sed quàm propè fuit, ut ibi mortem inveniret, ubi eum ſumma gloria exſpectare viſa. Nam cùm quidam Romanus Magni nominis Dynaſta, admirabili Muſices Symphoniâ, præſentes Principes oblectaret, ſuggeſtus, cui Eminentiſſimus Cardinalis inſtabat, fortuito caſu collapſa decidit, ſed illum quidam ex ponè adſtantibus, manu correptum, exitio immunem ſervavit. Statim poſtea Deo ſoſpitatori ſolemnes ad Aram grates perſolvebat. Videlicet ſervandus erat â caſu, per quem plures alii ſtarent.

No. LIII.

ALVARUS CIENFUEGOS SOCIETATIS JESU HISPANUS.

ALvarus è Societate JEsu tit. S. Bartholomæi in Insula Cardinalis Cienfuegos Hispanus Episcopus Catanensis natus est An. 1667 die 27. Febr. ex Nobilissimâ Asturienses inter Comitum de Cienfuegos Familiâ. Ex Historiâ constat, Christianorum reliquias, dominantibus per Hispaniam Mauris, in Montes Asturiæ, ceu tutissimum receptaculum confugisse; inde novo vigore recepto, prodiisse, & novum per Hispanias regnum stabilivisse, quod brevì potentiâ tantùm invaluit, ut Sol potentissimo huic regno nunquam occidere dicatur; quandoquidem Hispanus Monarcha una manu Orientem, alterâ Occidentem contingit. Ex hoc igitur Asturiæ regno, Christianitatis perfugio, Alvarus Cienfuegos prodiit, inde suæ gloriæ vexilla explicuit, & Illustrissimæ Familiæ suæ gem̃a & decus esse cœpit: certè virtus iterum nobilitavit, quem natura ex nobilissima progenitum prosapiâ voluit; nam cùm ad Illustrissimam hanc Domum Comites de Miranda, Penharanda, Pennalva, de val de Carzana, Tallu, Eschallacte, & Ferrara Originem referant, Purpuræ tamen honorem primus omnium Alvarus in eam intulit, quam solida Virtus nobilissimo Viro dedit. Societatem JEsu ideò ingressus, ut in eâ virtutum Scholâ ad vitam perfectam perveniret, brevì in omnium oculis admirandus apparuit; certè quoties cunque cathedram docturus ascendebat, fundentem oracula auditores stupebant. Compostellæ Philosophiam cùm publicè traderet, nihil videbatur in naturâ tam reconditum, quod sublime ejus ingenium non erueret: inde Salamancam missus, in famosissimâ illa Universitate, quam humanæ Sapientiæ apicem Hispania credit, orbis experitur, Theologiam Mysticam scientiâ tam sublimi edocuit, ut cùm cœlestia loqueretur, Cœlo ipsi, & nobilissimo Objecto Deo affixus videretur. Præterea in eo summa vis dicendi erat, & quisquis perorantem audiebat, eo eloquentiæ veluti torrente abreptus, captum se sentiebat. Brevì occasio se dederat, ut quantus in oculis Hispaniæ apparebat, tantus in Europæ propemodum universæ conspectu, ad publica traductus negotia evaderet. Nam Superiorum indultu in Lusitaniam progressus, illius fœderis fundamina jacuit, quod paulò post inter Carolum III. Hispaniarum Regem & Petrum II. Regem Portugalliæ & Algarbiæ ictum erupit, cujus summa ea erat, ut in Hispaniæ Solio Lusitaniæ opibus Carolus reponeretur. Res etiam, Mantuâ Carpetanorum bis â fœderatis occupata procedebat, si eadem mens sociis, eadem in pacificationibus fidei constantia, quæ in bello strenuitas, aut non aliud superæ illius providentiæ consilium fuisset. Satis constat, quòd diu nutans Anglia Carolinas per Hispaniam victorias, ceu Austriæ triumphos timeret ipsamet, prosecuta non fuerit. In infelici illo prœlio ad Allmanzam die 25. Apr. An. 1707. commisso, quod Hispanicam Monarchiam, pene in manibus habitam, Carolo extorserat, pro 29395. Anglis, quos ex condicto mitti in Hispaniam oportebat, non nisi 13759. accurato eorum calculo inito, in acie comparuêre; quæ eacunque fuerint, superûm certè consilium intervenire visum, ut duo Potentissimi Orbis Monarchæ Caro-



ALVARUS E SOCIETATE IESU S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS CIENFUEGOS HISPANUS CREATUS DIE XXX. SEPTEMB. MDCCXX.

Ioh. Christoph Kolb exc.


Cum Gratia et Privil. Sacr. Caes. Maj. Cath.

Carolus VI. & Philippus V. qui internecinis bellis invicem concurrebant, de se Ipsis triumphos, longè quàm in campo illustriores ederent; quandoquidem, cùm hæc scribo, amicabilibus fœderibus inter se coeuntes, magnos triumphos Orthodoxo orbi promittunt, cujus in se exemplum generosâ illâ, & verè Regia reconciliatione primi omnium dederunt. Toto illo tempore intermedio, quo Mars in Regno Hispanico tumultus dabat, gnavus Caroli III. in Aulâ Lusitana Minister Alvarus Cienfuegos exstiterat; & quantùm alii in arenâ Martis bellicis factis inclarescebant, tantùm ille prudentibus consiliis togatus Minister res Carolinas strenuè propugnabat. Ut etiam firmiora starent animorum fœdera, in id operam suam utplurimùm impendebat, ut Maria Anna Austriaca, Leopoldi Magni Romanorum Imperatoris, & Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ Palatinæ filia, cum Joanne V. Portugalliæ Rege matrimonii fœderibus unà conjungeretur: de quo quidem matrimonio Lusitania sibi eò magis gratulatur, quòd V. Regii Masculi, spes longa Regni futuri, videlicet Petrus An. 1712. Emanuel An. 1714. Carolus ann. 1716. iterum Petrus ann. 1717. & Alexander Franciscus ann. 1723. inde prodierint. Post pacem Ultrajectinam Alvarus Cienfuegos Viennam Regiam Austriæ Urbem, Mariæ Annæ Reginæ nomine mittebatur, ut apud Cæsarum Maximum, longissimâ fide & Sapientiâ commendatissimus vicarias sororis vices adimpleret. Et tunc Aquilinis oculis utplurimùm probabatur, cùm Rex adhuc Carolus eximium habuisset. Statim Cataneæ Episcopum denominabat. Urbs est Siciliæ, cui Æthna imminet, sed agrum Cataneum non tam corrumpi cineribus Æthnæ ferventibus, quos eructat, quàm fœcundum & feracem effici, Strabo author est; radices etiam producere, quibus adeò pinguescant oves, ut rumpantur, & quadragesimo circiter aut L. die sanguis ex auribus iis detrahendus sit. Æthna est, religiosis cineribus æstuans Eminentissimus Alvarus Cienfuegos, Episcopus Catanensis. Agrum suum Cataneum longè feracissimum reddit, Divini Verbi semen largiter jaciendo: Ovibus pascua pinguia cùm præbeat, solùm quod noxium, resecat. Posthæc pro Sacrâ Purpurâ Viro de Augustissimâ domo sua tam benè merita obtinenda, Cæsar in Aulâ Pontificis omnimodè connitebatur; & quamvis tertius esset, qui ex Patribus Societatis JEsu ad Purpuræ honorem advocabatur, attamen ubi redundabant merita, ibi etiam manus Sanctissimi abbreviari non poterat. Creabatur die 30. Sept. ann. 1720. Causam à sanctissimo Patre luculenter deductam, amicus lector ex Brevi Apostolico, ad Eminentissimum Cardinalem Viennam in Austriam transmisso, sufficienter intelliget. Verba ita se habebant. Clemens Papa XI. Dilecte Fili noster salutem &c. Etsi diu hæsitaverimus, num charissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Catholici, nec non Hungariæ ac Bohemiæ Regis Illustris in Romanorum Imperatorem Electo precibus annuere deberemus, te, dilecte fili noster, inter S.R.E. Cardinales adscribendo; scire tamen te volumus, nostram ejusmodi hæsitationem non inde quidem profectam fuisse, quòd vereremur, ne iis præditus esses virtutum meritis, quæ amplissimæ huic dignitati usquequaque essent paria; siquidem exploratum nobis erat, non minùs doctrinæ tuæ præstantiam, quàm morum tuorum integritatem te eodem sublimi in Ecclesia Dei gradu maximè dignum constituere; hæc autem universa hæsitatio ex eo duntaxat metu, processit, quem animo conceperamus; ne novo hoc exemplo, quod brevi annorum spatio, ut benè nosti, jam tertium est, tametsi prædecessorum nostrorum tempore longè rariora exstiterint, nimiùm relaxaretur laudatissimum Soc. JEsu Institutum, ad cujus scilicet prosperam felicemque conservationem juxta enixam sancti illius Fundatoris mentem, plurimùm interesse dignoscitur, ut qui in eâ Regularem professionem expresse emiserunt, quemadmodum tu illam emisisti, ab adimplenda sponsione Deo facta per solemne Votum, nullam dignitatem Ecclesiasticam acceptandi extra eandem societatem, minimè retrahantur; quod ipsum probè

te

te etiam agnovisse & probâsse magna cum voluptate audivimus, cùm omnes â te, & sanè non semel Christianæ humilitatis conatus adhibitos fuisse percipimus, ut benevolum Cæsaris animum â proposito dimoveres, objectâque voti â te emissi Religione, Cardinalatum declinares; at ubi certiores novissimè facti sumus, plurimos & sanè maximos ex tuâ ad Cardinalatum hujusmodi promotione, non tam Apostolicæ sedi, quam Ecclesiæ Universæ obventuros fructus, adeóque nullum inde oriri posse exemplum, quod in pernitiem præfati Instituti, eidem Apostolicæ Sedi arctiori cœteroquin vinculo addicti, trahi unquam valeat, quavis abjecta cunctatione in proximo habito Consistorio nostro Secreto te in Apostolicum Senatum illicò coaptavimus, tibique insuper, ut huic tuæ inter Cardinales cooptationi consensum sine mora præstares, præceptum adjecimus, omnino confisi, fore, ut earundem eximiarum virtutum, quæ tibi tantam isthic æstimationem compararunt, ope atque præsidio celari, felicique votorum nostrorum, quæ planè justissima sunt, implemento suffragari maximè possis: Præcipuum interim insigne collatæ tibi excelsæ in Ecclesia Dignitatis, Purpureum scilicet Biretum ad te deferet isthuc adveniens dilectus Filius Petrus Franciscus Bussius Cubicularius noster honorarius, tum ob præclara sua animi decora, tum etiam ob arctam cum Dilecto Filio nostro Joanne Baptista tit. S. Mariæ in Ara Cœli Presbytero, S. R. E. Cardinali Bussio nuncupato sanguinis conjunctionem nobis apprimè comendatus; quem proinde ut congruis humanitatis ac benevolentiæ significationibus excipias, vehementer â te petimus; tibique dilecte Fili noster Pontificiæ Charitatis pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ die 8. Octobris 1720. Non distulit Cæsaris Augusta manus sibi pretioso Capiti Sacrum Biretum imponere. Actus magna celebritate peragebatur VIII. idus Decembr. in Ecclesiâ P. P. Augustinianorum Discalceatorum: Solemne officium ad aram peragebat Reverendissimus & Celsissimus Episcopus Viennensis Colonitschius. Sub eo sacer vertex coronabatur. Inde Hymnus Ambrosianus lætissimo Musices concentu decantabatur. Sequebantur gratulationes aulicæ. Enimverò Viennenses æquè ac Hispanici, quotquot aderant proceres, eo honore, Alvaro habito, in lætitiam & applausus effundebantur; nam causa omnibus jucundissima erat, quæ Cæsareos in eum favores cumulabat. Fides, Integritas, Patria derelicta, Carolus Fotus, jurata Austriæ studia, Viennensium gaudia augebant. Clemente XI. Pontifice Maximo demortuo, ad sacrum Conclave Alvaro eundum erat, ad quod summam Integritatem, quæ â Religiosissimo Viro exspectari poterat, afferebat. Posteà de suâ sancti Bartholomæi Ecclesia possessionem capiebat. Ejus sancti Corpus Vincentius Maria Ursinus (nunc Benedictus XIII.) temporum & bellorum injuriâ deperditum, summâ adhibitâ industriâ reinvenit; Hinc non defuit, qui Triplicem Tyaram glorioso inventori vaticinaretur; & quem Vincentius Maria è catacumbis erutum invenit, eum in Sacras Aras collocatum eximio cultu Alvarus prosequitur; dignissimus proinde, qui â tam salubri Sydere Benigno non minùs influxu beetur. Certè Imperator Eminentissimo Cardinale Michaele Friderico Althanno ad Vicariam Regni Neapolitani Administrationem Anno 1722. digresso, Alvarum dignissimum judicabat, qui Cæsarearum negotiationum summus Administer & Interpres in Aulâ Romanâ surrogaretur, ubi is tantâ nominis sui gloriâ, & Solidissimæ Sapientiæ famâ inclarescit, ut Hunc Horatium (nam Arte etiam Pieriâ vix magis insignem dicunt) Roma, ac Hispania: Lusitania, Vienna & Catanea, sua Societas, & Sacer imprimis Romanorum Senatorum Ordo sibi vindicent.

No.





D. BERNARDUS MARIA ORDINIS S. BENEDICTI
S. R. E. PRESBYTER.
CARDINALIS DE COMITIBUS ROMANUS.
CREATUS DIE XVI. IUNIJ MDCCXXI.

Ioh: Christoph Kolb excud.

Num. LIV.

BERNARDUS MARIA ORD. S. BENEDICTI, CONG. CASSINENSIS ROMANUS.

BErnardus Maria, Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis tit. S. Bernardi Card. de Comitibus, Major Pœnitentiarius natus est An. 1664. ex decantatissimâ & vetustissimâ, quàm de Comitibus nuncupant, prosapiâ. Eam authores probatissimi referunt ad Juliam Aniciam seu Octaviam; ex qua stirpe etiam Divus Eustachius prodiit, qui genere, opibus & militari gloria jamdum sub Imperatore Trajano inclytus viguit; sed cùm Diis sacrificare nollet, unâ cum uxore & liberis, æneum in taurum, suppositis flammis candentem, injectus Martyrii palmam obtinuit. Hinc non mirum, ad ipsum usquequaque Julium Cæsarem antiquissimæ stirpis *de Comitibus* originem, à celebratis Authoribus referri. Ex hac stirpe XIV. Pontifices Maximi progrediebantur. Primò ADRIANUS I. sub eo Roma gloriæ apicem attingere visa; nam Carolus Magnus Desiderium Ultimum Longobardorum Regem, qui multas Ecclesiæ calamitates intulerat, prælio fundebat, fugabatque: donationes à Patre Pipino Pontifici factas sanxisse non contentus, eas magnificè cumulabat, ab iis temporibus Sacra Ecclesia respirare visa. Secundus ex Familia de Comitibus Pontifex ADRIANUS III. erat, qui Pater pauperum apud omnes audiebat, ad hæc sapienter providerat, ne in Pontificum electiones sæculares potestates jure ipsis indebito irreperent. Tertius SERGIUS erat, quo sedente Cluniacensis Ordo ab Odone (ex D. Benedicti disciplinâ prodierat) in Burgundia institutus. Quartus erat JOANNES IX. optimi Pontificis formosi decreta Anno 904. probaverat. Cujus etiam Pontificatum paulò pòst Divinum Numen approbare visum; nam cùm ejus corpus, in Tyberim projectum, & ad ejus ostia repertum, in Urbem referretur ad sepulturam, Sacræ Imagines venerabundæ, cùm Vaticanæ inferretur Ædi, eum excipere conspiciebantur. Quintus erat JOANNES XII. qui ante Pontificatum Octavianus dictus, omnium primus nomen mutavit: ab eo Otto primus Anno 962. Imperatoriis decorabatur insignibus; & sic Romanum Imperium ad Germanos devolvebatur, postquam CLX. annis penes Gallos steterat. Idem Otto quidquid Pipinus & Carolus magnus Sedi Pontificiæ aliquando concesserat, Cæsarea authoritate confirmavit; & sic in donationibus, Sedi Pontificiæ factis, Germani cum Francis conspirârunt. Sextus de Comitibus Pontifex erat BENEDICTUS VII. quo ad clavum sedente, Sarraceni capto Ottone II. Occidentis Imperatore totam Italiam nullo negotio occupâssent, si scivissent uti victoriâ: sed deserta omnia sine viribus, sine capite Divina Providentia tutata est, quæ victoribus prædonum potiùs quàm hostium

R r men-

mentem dedit: deinde Benedicti preces hostem ab infestis consiliis avertebant. Septimus Pontifex de Comitibus BENEDICTUS VIII. sedebat: is An. 1013. decretum de electione Imperatoris ediderat, ne quis nisi approbante Pontifice Imperiale insigne assumeret; nec non globus aureus superimposita Cruce ab eodem Imperatore datus. Octavus ex Illustrissima hac Familia Pontifex regnabat JOANNES XIX. Sub eo Vienna Austriæ â Rudolpho I. occupabatur; & sic Comites Habspurgici evasêre Archiduces Austriaci, Athlantes futuri, qui Romanæ Ecclesiæ succollarent. Nonus exstitit BENEDICTUS IX. sub quo Hungaria mite Christi jugum accepit, Sicilia Sarracenis liberata est, Hispania adversus Mauros multis victoriis inclaruit: Benedictus ipse Christianæ mansuetudinis documentum præbuit, cùm in schismate exorto, Pontificatu sponte se abdicaret. Decimus fuit VICTOR III. Cassinensis Abbas, qui An. 1086. creatus suæ electioni integro anno reluctabatur, donec Ecclesiæ necessitates eum cogerent, ut anno subsequenti suæ Electioni Capuæ consentiret. Victoria adversus Affros ab ipso reportata, breve ejus regimen nobilitavit: dein eo regnante Carthusiæ solitudo ab Hugone Episcopo Gratianopolitano S. Brunone & sociis cœpit. Undecimus ex Comitibus Papa Cathedram Petri ascendit INNOCENTIUS II. is strenuus Ecclesiasticæ immunitatis propugnator, Ottoni IV. Pontificiam ditionem invadenti imperium abrogavit. Contra Albigenses plurimos mortales Cruce sacra insignitos armavit. Eo etiam sedente Anglia & Hybernia Romanæ sedi stipendiariæ factæ; nec minùs multæ Religiosorum hominum familiæ illo Pontifice institutæ, restitutæquè: videlicet Almæ Trinitatis seu redemptionis captivorum, Cruciferorum, Heremitarum S. Augustini, Carmelitarúmque, ut vitæ innocentia sub Innocentio de Comitibus revixisse videatur, & cùm ejus successor Honorius institutum S. Dominici & S. Francisci Pontificiâ authoritate comprobaret, iis planè temporibus milites Christi legi, & armari in Hæreticos videbantur. Duodecimus erat GREGORIUS IX. sub quo Prussia Anno 1233. Christianam Religionem amplexata est: Christiani, ejus Pontificis instinctu Hierosolymam, Nazaretum & Joppen recuperârunt. Fridericus II. Imperator ab hoc Pontifice, utpote Divinorum & humanorum jurium violator, anathemate perstringebatur. Ex eo etiam Pontificatus Gregorii insignis reddebatur, quòd is libros Decretalium reliquo corpori Canonico superaddi curaverit. Decimus tertius, quem familia de Comitibus dedit, Pontifex erat ALEXANDER IV. qui totus in eo occupabatur, ut Christianos adversus Turcas armaret. Sed cùm Veneti cum Januensibus mutuis armis colliderentur, spes orthodoxi orbis in anchoris non solutis hæsit. Quid memorem Decimum quartum, eundémque Pontificum gemma Innocentium XIII. de Comitibus, qui laudabilissimo triennii regimine sæculum explere visus: certè is Christianum orbem insigni beneficio complexus est, cùm ex Illustrissima sua de Comitibus familia fulgidum sydus in astris reposuit Andream de Comitibus, Franciscanum Minoritam. Natus erat An. 1235. vigesimum ætatis annum agens monasticam vitam in oppido PIGLI (octo circiter milliaribus Româ distat) ducere cœpit: mox sanctitatis fama inclytus fulsit. Ea sui demissione erat, ut Purpuram ab Alexandro IV. & Bonifacio VIII. sæpiùs oblatam, perpetuò respuerit; meritus, qui post mortem reponeretur inter Sanctos, qui adhuc vivus miraculis, sanctitatis prodigium ipsemet, inclarescebat. Cùm itaque tot Pontifices hæc Illustrissima Familia dederit, Cardinalium numerum exactum quis inire queat? Inveniemus Bonifacium de Comitibus Cardinalem dictum à Leone IX. Joannem & Octavianum à Clemente III. Nicolaum à Gregorio IX. Jordanum ab Urbano IV. Andream à Bonifacio VIII. Lucium à Joanne XIII. Joannem à Sixto IV. Franciscum à Leone X. Carolum à Clemente VIII. Joannem Nicolaum ab Alexandro VII. Carolum nostrum de Comitibus, de quo hîc sermo ab Innocentio XIII. &c. &c. Quàm in Martis arenâ (ut ex innumeris unum attingam) præclarus enituit Torquatus de Comitibus, qui egregius Volo in Hispanico exercitu Tyrocinium militiæ posuerat: inde à Marchione Inojosa Mediolanensium Gubernatore Centuriæ præficiebatur: postea in Germaniam transgressus, cum generoso Volonum Italorum manipulo in Ferdinandi II. exercitu militabat: Ex Germania in

Bel-

Belgium descendebat, cataphractam legionem pro Cæsare conducturus. E Belgio redux An. 1720. Pragensi prælio interfuit, ubi Christiana Religio de hæresi profligata triumphabat. An. 1721. sub Tyllio Pilsenam oppugnabat, & capti oppidi victor evaserat. Statim in Hungariam adversus Bethlenium Gaborem eundum erat. Cùm ad Neosolii obsidionem Buquojus heros, ab erumpentibus præsidiariis in insidias protractus, sedecim acceptis vulneribus (tot portis mors intrabat) occideretur, Torquatus pro cadavere retrahendo cùm pugnaret, in hostium manus incidit. Lytro redemptus, Urbis Olmuziensis in Moravia Præfectus à Ferdinando dicebatur; quam ille urbem adversus Bethlenium Gaborem tam strenuè propugnabat, ut is re infecta discederet. Anno 1622. Glacium in Silesia Torquatus expugnabat. Eodem anno in prælio apud Wimphenam (urbs est Sueviæ ad Nicrum) egregiè pugnabat, cùm Tyllius Catholici exercitûs supremus Dux Georgium Fridericum Marchionem Durlacensem justa acie vinceret. Postea ab Urbano VIII. in Italiam advocabatur, ut motibus in Rhœtia Catholicos inter & Calvinianos exortis, Pontificiis copiis cum summa potestate præesset. Belli feliciter confecti proemium Ducatum Quadagnolæ à Pontifice tulit. In Germaniam cùm rediisset, supremum rei tormentariæ magistrum Ferdinandus denominabat. Statim magnum victoriæ momentum addidit, cùm Wallensteinius ad pontem Dessaviensem Anno 1624. Mansfeldii copias deleret, qui etiam totâ mox Germania ejiciebatur. In bello Danico Torquatus Crempam in Holsatia Anno 1627. occupaverat. Wallensteinio brevì post ex morbo decumbente, vicariam totius exercitûs præfecturam ejus loco Torquatus obtinuerat. Bellum Danicum nova belli tempestas, è Suecia conflata, excipiebat, tunc Campi-Mareschallum Cæsar Torquatum voluit, qui mox in Pomeraniam properabat, ubi urbes Stolpam & Gartiam in eadem Pomerania, & Landspergam ad Wartham in Marchionatu Brandenburgico, Cæsareo milite occupabat; nec tamen à Boguslao Pomeraniæ Duce obtinere poterat, ut Stettinum in Cæsaris manus consignaret; imò Boguslaus, fœdere occulto cum Gustavo Adolpho Rege Sueciæ inito, munitissimum Stettinum in Regis manus tradiderat, quam in urbem sedem belli diu destinaverat. Et ex hoc denique Germaniæ angulo Suecia vexillum in reliquam Germaniam sustulit. Circumspectissimus Torquatus, virium periculum faciendum non putabat, ne unius prælii infelici aleâ, nutantis Germaniæ rem, Protestantibus ad Suecorum promissam opem passim respicientibus, projiceret universam. Inde ex cancri doloribus graviter decubuerat, qui etiam morbus egregiæ ejus militiæ finem imposuit. In summorum meritorum proemium Torquato Ferdinandus concedebat, ut in avitis insignibus duo bellica tormenta, multis circumquaque vexillis pendentibus, locaret. Enimverò in eo maximorum Antecessorum suorum, ceu clarissimo virtutum speculo perpetuo defixus intuitu hæsit Eminentissimus noster Purpuratus Carolus de Comitibus, quos cùm sibi imitandos proponeret, virum denique orbi exhibuit, in quem omnia Majorum decora unà confluxisse videantur. Possidet Adriani I. Pontificis Maximi de Comitibus sapientiam: Adriani III. liberalitatem & beneficentiam. Gregorii IX. eximiam Jurisprudentiam: Victoris III. demississimam humilitatem: Innocentii II. in propugnandis Ecclesiæ juribus eximium zelum: Alexandri IV. in dilatandis Christianitatis finibus laudabilissimum studium: Benedicti VIII. magnanimitatem: Joannis XIX. justitiam: Innocentii XIII. (ut innumeros alios Illustrissimæ hujus Familiæ modesto silentio involvam) exercitatam domi, forisque prudentiam. Tot virtutibus cùm inclaresceret Carolus de Comitibus, maluit tamen sol iste humilitatis nubibus obvelari, & in Monasterio P. P. Benedictinorum de Monte Cassino, quorum regulæ sese addixerat, privatus latere, quàm in humanæ dignitatis apice constitutus, è ducali solio provinciarum jura definire. Sed sol iste suo se satis fulgore omnibus probabat; non potuit latere, quem tot virtutum radii ambiebant. Extremum Europæ Angulum splendida Caroli virtus ita pervadebat, ut Rex Lusitaniæ eo fulgore perstrictus, pre-

ces ſuas apud ſacram ſedem interponendas crederet, ut ſol iſte, decentiſsimo nativi coloris veſte, croceâ purpurâ, indueretur. Solus Innocentius XIII. in eâ tribuendâ difficilis apparebat; nec tamen Rex Luſitanus, Romanorum Senatorum Ordo, &. optimus quisque deſiſtebant, donec ſuis conſentientem precibus Pontificem haberent. Ergo Anno 1721. die 16. Junii in Conſiſtorio ſecreto ingenti omnium gratulatione Cardinalis creabatur. Ex Caſtro S. Angeli feſta tormentorum exploſione ejus diei lætitia celebrabatur. Sacer etiam P. P. Benedictinorum de Monte Caſsino Ordo Venetiis, Neapoli, Januæ &c. &c. campanarum feſto ſonitu, & accenſis ignibus, & reliquis publici gaudii teſtimoniis ſinceriſsimum gaudium exhibebant, quod ſibi ex novo eo ſydere Sacræ ſuæ Congregationi accedente, accreſcebat; inde etiam Sacri ejus Ordinis Protector denominatus eſt; quem utique, utpote in ejus ſinu educatus, eundem pleno pectore profeſſus, & Cardinalis factus, Regulæ retinentiſsimus, eximiæ charitatis viſceribus nutrit, fovet, & curat. Felix ſanè, & térque quatérque Beatus Divi Benedicti ſacer Ordo es, qui novo hoc, & aliis innumeris ſyderibus coruſcas! Ex te (quæ quidem Felicitas tua ſola eſt) prodierunt quinque ſupra triginta Pontifices. Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales plures quàm CCCC. enumeras. Habuiſti Sacræ tuæ Religionis Alumnos IV. Orbis Imperatores. XII. Reges. XXXXIV. Regia ſtirpe progenitos liberos. Regias Heroinas XXXX. Magni nominis Principes CCXLV. & eorum liberos MCXLVI. Poſſediſti, Sanctiſsime Ordo, aliquando Abbatias 37000. Prioratus 14000. Monialium Monaſteria 15000.; in quorum aliquibus uno eodémque tempore ultra mille numerabantur Religioſi: In gloriæ ſolio collocâſti Patriarchas quinquaginta & unum, ſeptem millia Archiepiſcoporum, quindecim millia Epiſcoporum. Produxiſti Abbates ultra quindecim millia & ſeptingentos, qui doctiſſimis ſcriptis orbem illuſtrârunt, dediſti quinquaginta & quinque Sanctorum millia; imò qui benignius calculum conficiunt, integram millionem, quinque millia & ſexcentos enumerant, eósque inter viginti & quinque ſanctos Pontifices: Ex te prodierunt, tuámque Regulam profitentur duodecim Ordines Monaſtici & totidem militares. Nunc novo ſydere Eminentiſſimo Cardinale Carolo de Comitibus auctum te vides; cujus ut quàm longè ſaluberrimus in Orbem influxus eſſet, magnum Pœnitentiarium Innocentius XIII. dixerat. Enimverò Eminentiſſimus Carolus de Comitibus Ordinis S. Benedicti digniſſimus eſt, qui è monte Caſſino, in altiſsimo Eccleſiæ Vertice, unde omnibus luceat, collocatum ſe videat.

Num.



Cum Priv. S.C. Maj.

55

Num. LV.

CARDINALES DIACONI.

BENEDICTUS PAMPHILIUS ROMANUS.

Benedictus S. Mariæ in via lata primus Diaconus Cardinalis Pamphilius Romanus Archi-Presbyter Ecclesiæ Lateranensis natus est Anno 1653. die 25. Aprilis ex antiquissima Romanos inter Pamphiliorum Prosapiâ, quæ originem ad Pamphilium quemdam, qui Regia potestate Doribus præerat, refert. Temporibus Lycurgi, qui Atheniensibus leges dabat, transgressi in Italiam fuerant. Sabinos inter sedem locabant, ubi allatam ex Græcia sapientiam Regii Latii eruditione excolebant. Opibus clari, præcipuas quasque præfecturas Sabinos inter obtinuerant. Sabinis etiam manu & consiliis strenui, utilem operam navabant. Fuere tamen, qui bellorum injuriis pulsi solum verterent. Transgressi ad Francos etiam ibi primæ nobilitatis viris accensebantur. Sed avitæ sedis desiderio cùm tenerentur, Italiam cogitabant; cujus se opportuna occasio obtulit; nam cùm Carolus magnus An. 773. Adriani I. Pontificis rogatu, ingenti exercitu instructus, in Italiam veniret, ut Longobardorum ibidem regnum extinqueret, ad idem bellum Amantium Pamphilium, strenuum Equitem, ex Orientali Francia oriundum attraxerat: qui cùm strenuam Regi in bellis operam collocâsset, Comitis ab eo titulo & prærogativâ condonabatur: ad hæc regiâ munificentia arces quasdam & funda obtinuerat, quorum adeptione opibus magis, magisque stirps inclyta crescere cœpit. Ejus quem dixi, Amantii posteri Antonius Petrus, Jacobus, & Franciscus ab Imperatore Friderico III. Sacri Romani Imperii Comitibus annumerabantur. Immò ea prærogativa, isque locus iisdem assignabatur, ut Vicarios Imperii dignitate æquarent. Ex iis Antonius Pamphilius Pauli III. Pontificis invitatu Anno 1471. Romam transmigrabat, ut in urbe orbis Principe Pamphiliorum gens longè Illustrissima evaderet. Nec spes concepta votis abludebat; nam non modò Hyeronimus Pamphilius, Antonii pronepos, qui devixit Anno 1610. Sacræ Purpuræ apicem attigit; verùm etiam ejus abnepos Joannes Baptista Pamphilius 1644. Cathedram Petri ascenderat, Innocentius X. dictus, de cujus viri præclara virtute orthodoxa congaudet Ecclesia. Is à Gregorio XV. missus ad Neapolitanos Nuntius ibat. Urbanus VIII. Archiepiscopum Antiochenum creabat. Postea Francisco Barberino in Hispanica Nuntiatura succedebat. Anno 1644. Pontifex eligebatur. Paci Monasteriensi fortiter reclamabat; nam avulsi Episcopatus Magdeburgensis, Halbersta-

diensis, Mindensis, Bremensis, & Ferdensis &c. &c. utique exulcerabant Religiosissimi Antistitis mentem: Dein promiscuæ Religionis liberum exercitium indoluit; Ergo eam Pacem, orthodoxæ Religioni tam funestam, nullam & irritam declaravit. Concoquendi tamen erant Germaniæ, bellorum cladibus attritæ, tam acerbi boli. Austria militem, opes, & sanguinem pro re orthodoxa impenderat: cùm res secus contigit, viderint illi, qui pacem Monasteriensem opus suum fecerunt; certè Ferdinandum lachrymabundum subscripsisse constat. Ab eodem Innocentio An. 1653. Jansenismus vapulabat, damnatis propositionibus, sacræ fidei contrariis. Pamphilias ædes in foro agonali Romano magnificè exstruxerat; Credo ut Pamphiliæ scholam sapientiæ aperiret. Sacras ædes S. Agathæ in eodem foro exstructas, & reparationis indigas, magnis sumptibus refecerat. Prope eas scaturientem in quatuor veluti flumina fontem, Ægyptiaco obelisco superbum, ibidem exstrui curaverat, ut Agonalium ludorum cruorem limpidissimis in undis ablueret. Ejus Innocentii Pronepos dignissimus est noster Purpuratus Benedictus Pamphilius, qui virtutum Cultor eximius, Romanorum amorem facilè sibi conciliavit. Virtutum semina pueritiam fœcundabant: excellens ingenii acumen adolescentiam illustrabat: Virilem ætatem exercita domi forisque negotia commendabant. Religio, integritas, & quæ in senibus sapientia commendant. Primò omnium Melita nobili suo Corpori hoc gemma adlegit, quæ Romanæ Provinciæ Prioratum, Heroico Pamphilio committebat; nec ille quotiescunque ejus Reipublicæ necessitates exigebant, unquam cessabat, consilio, ope, & pecuniis Melitam, quàm ceu spartam suam egregii hi Equites defendendam suscepêre, unà adjutum ire; nobilem etiam apud Sacram Sedem & Italiæ Principes universos laborem impendebat, & currentes animabat, ad omnis generis subsidia fortissimo huic Christianitatis claustro submittenda, Equestris is Ordo initium ducebat circa annum 1099. quando Dux Boullionius, Hyerosolymâ occupatâ, ibi regnare cœpit. In ædibus suis, Divo Joanni consecratis, peregrinabundos suscipiebant, eorúmque sedulam curam gerebant. Hinc Hospitalarii & Joannitæ nuncupati. Palæstina occupata, & adversus Sarracenos diu egregiè defensa, magna ex parte eorum dextris debetur. Sedem primò habebant in urbe Hyerosolymitana; verùm eâ totius Palæstinæ Domina An. 1187. à Sarracenis sub jugum missa, sedes Margatum, firmissimum Palæstinæ castellum transferenda erat: Sed & inde An. 1195. à Sarracenis depulsi, biennio abhinc Ptolemaidem transgrediebantur. Ea etiam Urbs An. 1291. Sarracenis in prædam cesserat, captis jam antea Tripoli, Sydone, & Tyro, & quidquid Christiani in Palæstina possidebant. Hinc in Insulâ Cypro Hospitalarii Equites domicilium aliquantùm figebant. Ex eâ generoso consilio Rhodum petebant, quam insulam An. 1309. è Sarracenorum manibus extorquebant. Postea Rhodus à Sarracenis An. 1440. & 1442. irrita semper oppugnatione retentata. Post Sarracenos Mahometes III. Turcarum Tyrannus An. 1480. totius Orientis viribus Rhodum adoriebatur; sed ea fuit Rhodiorum Equitum virtus, is animorum vigor, ea dextrarum strenuitas, ut imanem potentissimorum hostium impetum suis ipsi viribus fortissimè retunderent: donec An. 1522. Solymannus II. Turcarum Imperator pene innumerabiles copias (ducena supra quinquaginta millia fuisse constat) Insulæ infunderet, qui tantam vim machinarum unà trahebat, ut sub stupendâ belli mole pene tellus dehisceret. Stabat tamen sex integris mensibus ahenei muri instar, adversus immanem hostium impetum inconcussa Equitum Hospitaliorum virtus; donec Amarellus, Ordinis Cancellarius & proditor factus, per litteras, sagittâ missas Turcis, urbis expugnationem jamdum desperantibus, & receptui canentibus significaret: instarent obsidioni. Urbem milite & annonâ exhaustam, brevi casuram. Ergo obsidione omni machinarum vi redintegrata, fortissimus Liladamus Ordinis Magister, animadverso, paucitatem suorum quotidianis per cuniculos, stratósque aditus incursibus sufficere diu non posse, nec spem auxiliorum à Christianis per hyemem affulgere ullam, Solymanno certis legibus urbem cedebat. Heroi Liladamo Solymannus præcipuos inter suos honores, si Mahometem sequeretur, nec-

Qui-

quicquam obtulit, asserenti: Rhodo sese, at Religione avita dejici non posse. Ceciderant in ejus expugnatione urbis plùs quàm nongenta Turcarum millia. Notabile erat, quòd eo die, quo Rhodus tradita est, prodigioso casu epistylium portæ sacelli in Vaticano, cùm Pontifex ad sacrificandum subiturus vix altero abesset passu, duobus prætorianis oppressis, concideret, tantæque cladis omen fuit. Post dolendam eam jacturam sacer Hospitaliorum Ordo hic & illic domicilium figebat. 1. In Insulâ Cretâ. 2. Messanæ. 3. Syracusis. 4. Viterbii. 5. Villæ-Francæ. 6. Niceæ. Donec Carolus V., ne sua viris generosis deessent prœmia, Melitam Insulam jure proprietatis iis attribueret, ea tamen lege, ut supremum siculorum Regum dominium agnoscerent; in cujus etiam dominii recognitionem quot annis aliquot falcones, quos ea Insula præstantissimos alit, Siculo Regi transmittit. Hanc Insulam Melitam invictissimi heroes, inexplicabili fortitudine, in hanc usque diem feliciter conservaverant. Planè nunquam satis laudanda venit stupenda eorum virtus, quâ An. 1565. turcicam obsidionem fortissimè tulerant. Tunc equidem conjunctæ totius orientis vires ad insuperabilem hunc Caucasum frustra allidebantur; & tormentorum ictibus plusquam 78000. perterebrata mœnia, virtute defensorum firmiter stabant. Ea Equitum Melitensium gloria fuit, à nobis non reticenda, cùm Benedictum Pamphilium Magnum Ordinis Priorem referimus. Is ipse An. 1713. & anno insequenti magnam pecuniæ vim in insulam transmisit, & ab aliis etiam transmitti curavit, ut si Melitam, exscensione facta, Turcæ oppugnarent, nervus ille belli, cùm auro non minùs quàm ferro bellum geratur, obsessos non deficeret. Sed Melitenses inter inclytum Christianum Heroem Pamphilium, Sacra Purpura Romana longè Illustrissimum reddidit. Eam obtinuerat jamdum An. 1683. ex Innocentii XI. manibus, quem integerrimum Antistitem, & sanctitatis famâ præfulgentem prout Orthodoxus admiratur Orbis, ita unicum, qui quidem ex creatis ab illo Cardinalibus in vivis superfit, Benedictum Pamphilium, gratissimâ in eo utpote postero Innocentii XI. memoriâ Sacra Roma eximiè colit. Cùm apud Bononienses Eminentissimus Pamphilius Legatum ageret, splendido decore, cultu magnifico, & regali munificentiâ sese cunctis probabat. Archipresbyter Basilicæ S. Mariæ Majoris cùm esset, Marianis ignibus totus ipsemet exæstuabat. In ea Basilica Magnæ Matris effigies, Divi Lucæ manu affabrè depicta conspicitur; videlicet Pamphilii objectum Amoris. Ab Innocentio XII. Archipresbyter S. Joannis in Laterano denominabatur. Eam Basilicam Constantinus Magnus An. 328. ædificandam curavit. Innocentius X. Pamphilius splendidiorem reddidit. Sixtus V. Palatium Lateranense adjunxit. Fons, qui proximè Ecclesiam limpidissimis undis scaturit, Constantino Magno inscribitur. Immò fontem dixerim Benedictum Pamphilium, ejus Basilicæ vigilantissimum Archipresbyterum, qui gratiarum imbrem in cunctos dispensat. Sub Clemente XI. Nobilissimæ Bibliothecæ curam in Vaticanis ædibus susceperat; nec enim dubitari poterat, quin princeps literatissimus, doctissima Volumina, & magnorum partus ingeniorum propiori curâ complexurus, & conservaturus esset; Athenæum, certè nactus est, ubi cum suis Musis semper suavissimè converfetur. Matheseos apprimè callens, pro Gregoriano Calendario, ubivis gentium recipiendo, multùm allaborabat; quod quidem receperunt penè omnes, iis solummodo exceptis, quibus toto cœlo & anno aberrare perinde est. Architectonicam artem quàm probè calleat, Portus Antius testis esse potest, quem An. 1712. repurgatum, & novis molibus firmatum, commodam æquè atque securam navium stationem efficiebat. An. 1712. arcuatâ camerâ collapsâ penè oppressus fuerat. Sed facilè ab impendenti ruinâ incolumis servatur, pro quo vigil cœli oculus excubat. Celeberrimi Ordinis Cisterziensium Protector & Fautor Munificus est Eminentissimus Purpuratus Pamphilius; videlicet apes illæ argumentosæ in hoc homine Benedicto, Melleum etiam Bernardum experiuntur.

Num. LVI.

JOSEPHUS RENATUS IMPERIALIS JANUENSIS.

JOsephus Renatus S. Georgii Cardinalis Januensis natus est An. 1651. 29. Aprilis. Illustrissima Imperialium Familia paucas inter in urbe Januensi præclara viget. Inde Joannes Imperialis prodiit, quem summa prudentia ad ducale solium Januæ evexerat. Ejus Filius Joannes Vincentius in literarum studio præstantissimus erat; Hinc eximiæ virum doctrinæ, scientiarum Academiæ per Italiam in dignissimum membrum passim adoptârunt. Imprimis suâ ipse manu illustria poëmata tam eleganter conscripsit, ut ex sacro Helicone aquas pleno pectore hausisse crederetur. Neque tamen Parnasso usque adeò affixus tenebatur, ut seria negligeret; immò amœnissimo vir ingenio, cùm se ad publica fori negotia transferret, cum gustu ab omnibus audiebatur. Quàm in gravissimis Aularum negotiis præpotens esset, Philippo IV. Hispaniarum Regi luculenter exhibebat, cujus in Aula Romana & Mantuanâ legatum eximiâ sui commendatione agebat; certè multis præclarus meritis Principatum sancti Angeli in regno Neapolitano regiâ munificentiâ obtinuerat. Sed Illustrissima hæcFamilia tunc utplurimùm gloriæ apicem attingere visa,cùm inEminentissimo nostro Purpurato Josepho Renato Imperiali debitam virtutibus Purpuram intueretur. Ea in meritissimum virum cadebat jamdum sub Alexandro VIII. An. 1690. die 13. Februarii; postquam enim sub Innocentio XI. Pontificium Thesaurarium egisset, dignissimus Alexandro, Innocentii in Pontificatu Successori videbatur, qui optimus thesauri Ecclesiæ Custos, in Gazophylacio Ecclesiæ ipsemet reponeretur. Cardinalis factus, ad Ferrarienses Legatus ibat, apud quos prorsus præclaras Ecclesiasticæ æquè atque civilis gubernationis artes ita exercebat, ut Vicario ejus Regimine beatum nemo non se crederet. Inde per plures sacræReipublicæ Præfecturas transiens, prorsus eadem integritatis laude ubivis fulgebat; nam cùm consilio, probitate, & eruditione in omnium oculis inclaresceret, omnibus probabatur, qui omnium commodis natus videbatur. Sacræ Familiæ Divi Augustini Protector An. 1698. ut esset, rogabatur. Et hæc doctissima orbis sydera, sapientiæ Lumen ipsemet, quàm lubentissimè in suam Protectionem suscepit. Et quis non in præclaris illis Filiis Augustinum dignoscat? Hic necdum vicennis prædicamenta Aristotelis cum multorum stupore sagacissimo ingenio comprehenderat. Etiam isti verè philosophantur, cùm vitam rectissimæ rationi conformem juxta veram & Christianam Philosophiam integerrimè transigunt. Erat Augustinus Orator incomparabilis, qui ethnicâ adhucdum superstitione imbutus Tagostæ, Carthagine, Romæ & Mediolani ita perorare auditus est, ut ab ejus ore defixi omnes hærerent; postea ad Christiana sacra traductus, aureæ eloquentiæ vi innumeras ad Christum animas attrahebat; nec degeneres filii, cùm cathedram conscendunt, oracula fundunt, & docent, quæ recta sunt. Augustinus fulmen eratManichæorum, quorum errores suæ sapientiæ torrente inundabat. Sacra hæc Familia (si in Apostolico hoc Collegio unam excipiamus stellam exorbitantem) Sacram fidem longè fortissimè propugnat, suo etiam sanguine Ecclesiam millies purpuravit, & pro uno infelici Apostata plurimas Christi Confessorum myriades exhibet. Nec minùs Eminentissimus Purpuratus Imperialis Hiberniæ Regni Patrocinium suscepit; Hinc in Aula Principis Jacobi Francisci Eduardi è Stuardorum Regiâ Familiâ frequens versatur. Hybernia aliquando Insula Sanctorum nuncupabatur. Quatuor Archi-Episcopatus Armachanum, Dublinensem, Tuanensem & Casseliensem præter Episcopatus viginti & octo numerabat: non



IOSEPH RENATUS S.R.E. DIACONUS
CARDINALIS IMPERIALIS IANUENSIS
CREATUS DIE XIII. FEBRUARIJ MDCXC.

Ioh. Christoph Kolb exc.

Cum Gratia et Privil: Sacr: Caes: Maj.

56.

non desunt, qui à Sancto Jacobo, Bonnanerge (id est, tonitrui filio) dicto Evangelium ibi primò omnium prædicatum asserant; certè à Sancto Patritio, Martini Turinensis Episcopi Sororis filio, doctrina Christi latè in eo regno disseminata. Inde Columbani, Galli, Kiliani, aliique Sanctitatis Magistri in Germaniam commigrârunt; ut his Hyberniæ Syderibus cœlum Germanicum illuminatum magna ex parte debeatur. Sed quantùm Sancta olim Hybernia diversa est ab illa! nam postquam Henricus VIII. regium Hyberniæ titulum primus omnium assumpserat, primus etiam omnium erat, qui florentissimum hoc regnum longè infelicissimum reddiderat. Primatum Ecclesiæ cùm is sibi arrogaret, ferro & igne delebat, qui suis mandatis obstrepebant. Infandum dictu! Novum illud Ecclesiæ Anglicanæ caput Henricus Thomam Archiepiscopum sepulchro erutum, inaudito hactenus judicio publicè condemnatum, eò quòd Henrico II. olim Regi in Ecclesiasticos jus sibi arroganti adversatus fuisset, omni Sanctitatis titulo & honore exuerat, interminatus mortem omnibus eum veneraturis, quem innumeris claruisse miraculis exploratissimum fuerat. Porro Rex iste innumera procerum nobiliúmque cæde purpuratus existebat. Ex quibus Cardinales II. Archiepiscopi III. Episcopi XVIII. Abbates XIII. Decani XXX. Canonici LXXIV. Sacerdotes D. Theologiæ Doctores L. Duces Marchiones, Comitésque XII. Barones XXIX. Nobiles CCCXXXVI, præter LXX. millia plebejorum existebant. Dein licèt is Rex, æstimatis totius Angliæ possessionibus, plùs quàm tertiam bonorum partem regio fisco vindicâsset, ea tamen Ecclesiasticorum bonorum opulentia inexhaustæ illius Aulæ voragini explendæ neutiquam sufficiebat; nam Rex ipse pauper moriebatur, & publicis sumptibus sepeliendus fuerat, cui sex boum plaustra aurum argentúmque à templo Divi Thomæ Archiepiscopi paulò ante afferebant. Hoc Regnum protegendum Eminentissimus Purpuratus Imperialis suscepit; nec ille quicquam magis Sanctissimis votis ambit, quàm ut alter Patritius esse queat, qui Hybernicum cœlum, tristi ecclipsi involutum, tandem illuminare queat. Universitatis itidem Ostiensis & plurium aliarum Protector factus, exhibuit, quàm prono affectu scientiarum ipsemet Apollo, in reliqua orbis Lumina ferretur. Præfectus *della Sac. Congregatione del Buongoverno* creatus, absolutus Magister videbatur, qui optimi Regiminis artes traderet unà, & exerceret. Credo equidem Virum, in Historiâ versatissimum, inde benè regnandi principia hausisse; nam ejus historia Aquilensis doctissimè elucubrata, & Publicis typis commissa, satis edocet, quàm is eo in studio insignis existat. Ao. 1711. præclarus hic Princeps ad Carolum III. Hispaniarum regem, paulò post in Romanorum Imperatorem electum, Legatus à Latere ibat. Quantùm fidei in ejus prudentia sanctissimus Pater collocârit, ex ejus ad Romanos Purpuratos verbis die XIV. Octobris Anno MDCCXI. habitis luculenter colligi potest, quæ paucis præmissis, sic se habebant. *Ad Carolum Regem, quem ante duos annos hac ipsa die, videlicet decimâ quartâ Octobris in Consistorio nostro Secreto Hispaniarum Regis titulo nuncupare decrevimus, deputare intendimus Dilectum filium nostrum Josephum Renatum S. R. E. Cardinalem Diaconum Imperialem, cui eximiæ virtutes, ac imprimis Pietas, Prudentia, integritas, aliæque præclaræ generis & animi dotes, ad amplissimum hoc munus è dignitate sedis Apostolicæ gerendum egregiè suffragantur; ut quamprimum sic deputatus Mediolanum se conferat, nostram ibi Apostolicam Benedictionem Regi deferat, incolumem in Italiam adventum gratuletur, felix faustúmque in Germaniam, quam repetit, iter precetur, ac nostra demum illi exsplicet vota, ut hoc idem ejus iter in exoptatæ publicæ tranquillitatis cedat auspicium.* Ergo ad tam magnificam destinatus Legationem Imperialis, Pontificiâ dignum Majestate comitatum unà secum trahebat, qui quidem gentilitium in sagulis colorem præferebant, ad centum & viginti numerabantur. Cùm Ducatûs Mediolanensis fines attigisset, obvium sibi habuit Julium è Vicecomitibus Mediolanensium, quem Augustissimus Rex, ut in occursum tanti Legati tenderet, Regiis mandatis instruxerat. Cùm non infra duas Leucas Mediolano abesset, Regius currus, quem sex generosi equi trahebant, venienti præstò erant; quo conscenso, Mediolano propiùs accedebatur. Cùm portam, ut vocant, Romanam attigisset, relicto curru in equum, Regali magnificentiâ instructum, Eminentissimus Imperialis sese transferebat.

Et statim Carolus Hispaniæ, Bohemiæ & Hungariæ Rex affuit, quem generosus caballus, tantóque Sessore superbus, vehebat. Salutatione mutua defuncti, urbem ingrediebantur. A dextris Carolus adequitabat; ejus sinistram Eminentissimus Purpuratus ita tenebat, ut pari passu uterque progrederetur, supra utrumque umbella gerebatur, quam procerum nobilissimi manu tenebant. Ponè insequebatur Eminentissimi Imperialis Umbella, auro argentóque affabrè distincta, quam ex facultate Juridica octodecim insigniores manu gestabant, totidem aliis è Medicorum collegio in vices subeuntibus, aderat unà loci Archiepiscopus Borromæus præter complures Episcopos, & Infulatos Abbates, quos ea celebritas eò advocaverat: sequebantur Cathedralis Ecclesiæ Canonici Universi, nec non Monastici Ordines omnes, & Clericorum, quantus apud Mediolanenses, longissimus ordo. Germani & Itali proceres certare visi, qui ad Maximi Pontificis & Regis Catholici obsequium priores advolarent. Dicasteriorum Mediolanensium dynastæ suo officio aderant unà universi, & in Gemino hoc sole (Pontificio Uno, Cæsareo Altero) alta contemplatione defixi hærebant, ex tam amica constellatione & syderum concursu non Italiæ modo, sed Orbis propemodum universi felicitatem augurantes. Toto illo Legationis tempore Josephus Renatus Imperialis nullis satis laudandam encomiis prudentiam Regum sapientissimo ita probabat, ut is in suis ad Maximum Pontificem datis literis significaret, Principem Virum ad se extraordinarii Legati munere venisse, in quo singularem Integritatem cum summâ prudentiâ conjunctam repererit. Certe piissimus Rex nulla obsequiorum genera in Imperiali excolendo prætermisit, & proni in Pontificem, & rem Catholicam animi luculenta testimonia exhibuit. Rei veritatem Eminentissimus Purpuratus in sua ad Pontificem oratione, post suum Mediolano reditum satis comprobabat. Tunc quidem ita coram Sanctissimo perorabat. *Sanctitatis vestræ mandatis obtemperans, Apostolicâ fretus Benedictione, Mediolanum me contuli, Catholico Hispaniarum Regi Carolo III. nuper in Imperatorem Electo Sanctitatis vestræ nomine felicem in Italiam adventum gratulatus sum, prosperúmque eidem in Germaniam iter auspicatus paterna benevolentiæ, ac intimæ Pontificiæ Charitatis sensus simul exposui. Præclara hæc Apostolicæ benignitatis argumenta filiali, qua par erat, devotione eximius pietate & zelo Rex excepit, paratúmque sæpiùs se professus est ad ea omnia erga sanctitatem vestram & sanctam sedem Apostolicam præstanda, quæ obedientissimum filium deceant; quam Regii animi Propensionem jam non verbis tantùm, sed & factis (quoad per tempus licuit) confirmavit. Quidquid demum in hac Legatione feliciter gestum est, id totum sanctitati Vestræ acceptum refero. Si quid verò minùs prosperè, id tenuitati meæ tribuo; Summæ autem sanctitatis vestræ Benignitatis erit, ignoscere.* Ad hæc sanctitas sua ita Viro humillimo reposuit. Vides, Dilecte Fili noster, quàm ubere lætitiæ sensu urbs pene tota felicem tuum & incolumem reditum Tibi gratuletur. Vides quàm effusè exultantes venerabiles Fratres nostri, Collegæ tui, tuos in amplexus occurrant. Debentur hæc eximio zelo, ac singulari prudentiæ, quibus demandatam tibi à Nobis provinciam magnificè, fideliter, ac prorsus ex hujus sanctæ sedis dignitate explevisti. Hic & nos ipsi, quemadmodum tibi dudum abeunti paternâ charitate benediximus, ita nunc te feliciter redeuntem eò, quò par est, grato animo expansis ulnis complectimur: debitas D.O.M. gratias agentes, quod charissimus in Christo Filius noster in Imperatorem Electus, avita pietate imbutus Pontificiæ nostræ in eum benevolentiæ officia, quæ sibi à te delata fuerunt, animo, ut asseris, adeò obsequenti exceperit, ut meritò sperare possimus, eum filiale illud studium, quod in nos & sanctam Romanam Ecclesiam tam disertis protestatus est verbis, præclarioribus in dies reipsa comprobaturum esse argumentis. Anno MDCCXX. Sacro officio adlectus est, ut Christianum Orbem prudenti & solertissima cura Felicem præstaret; verè Imperialis dicendus, cùm prudentissima consilia suggerat, quibus Orthodoxus Orbis regi Felicitate quàm Auspicatissimâ queat; imò sua INTEGRITATE, PIETATE, & PRUDENTIA commeritus, qui etiam summo è solio in omnes quaquaversus Orbis partes sanctissima Mandata Imperialis Maximus expediat.

Num.



LAURENTIUS S.R.E. DIACONUS
CARDINALIS DE ALTERIIS ROMANUS
CREATUS DIE XIII NOVEMBR. MDCXC.

Joh. Christoph Kolb exc. a.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

Num. LVII.

LAURENTIUS ALTERIUS ROMANUS.

Laurentius titul. S. Agathæ Gothorum Cardinalis de Alteriis in Urbe orbis Principe natus est anno 1671. 9. Junii. Qui cùm à Majoribus sanguinem longè Illustrissimum hauserit, eximiarum tamen virtutum suarum splendore fulgidissimam Alteriorum gloriam magis adauxit; nec intra Solius Italiæ limites stirps inclyta hærebat; verùm etiam in Galliâ latè propagabatur, ubi quidam Magni Nominis ex Alteriis fuit, quem militaris virtus ad summam castrorum præfecturam apud bellicosam gentem evexerat. Verùm stirps illa per Galliam celebratissima exaruit; nec in Italiâ mitiorem fortunam experta fuisset, nisi in hunc hiatum, quem mors invida faciebat, inclyta Paulucciorum familia, Alteriorum nomine assumpto, ut postea dicemus, succepisset. A nemine tamen unquam ante eam diem stirps illustrior reddi visa, quàm à nobilissimo fratrum pari Joanne Baptista & Æmilio Alteriis. Uterque à laudatissimis parentibus prorsus admirandas virtutes hauserat; nam pater Laurentius Alterius nobilibus factis, vitæ integritate, morum maturitate, ac pietate in Deum ac pauperes in urbe clarissimus evaserat; nec minùs Victoria Delphinia mater spectatissimæ Virtutis ac sanctimoniæ fœmina erat, soror Flaminii Delphini, cujus militiaris gloria in bello belgico in oculis Europæ enituerat. Horum itaque primigenus filius Joannes Baptista in Collegio Romano, post Grammaticam, Humaniores literas, Rhetoricámque, Philosophiæ ac Theologiæ (quarum positiones publicè propugnaverat) studio excellenter & sedulo vacaverat. Postea inter seminarii Romani nobiles cooptatus, ingenii sui felicitate, quo nemo coæqualium potior habebatur, reliquos omnes literis ac disputationibus longissimè superabat. Tum datâ juri Civili & Canonico operâ (in quo Doctoris Lauream annum agens XXIII. approbantibus Roberto Cardinale Bellarmino & Petro Alagona S. J. Theologo susceperat) à Paulo V. Pontifice Maximo anno 1613. in Basilicâ Vaticanâ cum Theologali præbendâ sacerdotio fuerat insignitus. Joannes Baptista licet juvenis eandem provinciam cum laude administrabat: sæpè sæpiùs Evangelii præco publicas conciones in primariis urbis templis ad populum habebat: Hinc Urbanus VIII. Princeps in virtutum cultores attentissimus simul ac munificentissimus eidem an. 1624. Camerinsem Ecclesiam ultro committebat. Non multò pòst Sacræ Pœnitentiæ sigilli Custos denominabatur, inde sex Episcopatuum supremi Ordinis sacrosancti senatûs Apostolici Visor, ut dicunt, actualis renuntiabatur: demum sacrâ Purpurâ anno salutis 1643. summâ urbis lætitiâ, de Republicâ optimè meritus cohonestabatur. Episcopatum Camerinsem Cardinalis factus in favorem Æmilii fratris dimiserat; sed Tudertinam Ecclesiam ab eodem Urbano paulò post regendam susceperat. Anno 1654. ad invisenda Apostolorum limina juxta Sacrorum Canonum leges ex Tudertinâ Urbe Romam se conferebat. Sed Narniæ subitò tactus Apoplexiâ die XXV. Novembris ad Superos evolabat. Innocentium X. per dies duos supra quadraginta morte præcesserat, cùm communis persuasio & populi rumor, eum in Pontificem post Innocentium X. eligendum assereret; sed sacram Triplicem Thyaram, quam Mors invida, sors luctuosa Joanni Baptistæ Alterio subtraxerat, Fratrum alteri Æmilio Virtus, Nobilitas, & sacrorum senatorum favor conferebat. Æmilius iste sub Urbano VIII. Pontificius Nuntius Neapolim ibat. Alexander VIII. in Poloniam miserat. Sub Innocentio X. temporum calamitatem inoffenso pede transibat. Clemens IX. anno 1669. Cardinalatu insigniebat. Et statim ac Cardinalis dictus est, Clemente IX. è vivis sublato Cathedram Petri ascenderat, Clementis X. nomine in honorem Antecessoris, cui sua omnia in acceptis referebat, assumpto. Hic Regimine planè felicissimo orbem beaverat; & quandoquidem is ex primâ illa Alteriorum familiâ ultimus erat, in occiduo hoc sole defixus hærebat Romanus Orbis. Is sanctuarium templi B. Mariæ Ma-

joris ab antecessore suo inchoatum a. 1672. perfecerat. Cùm summâ annonæ penuriâ Roma laboraret, eidem effusissimis charitatis visceribus subveniebat. Ne sua in terris Gloria & debitus honor sanctitatis syderibus deesset, quinque Beatos in Sanctorum Album retulit: Sanctum Pium V. Pontificem Maximum, Sanctum Cajetanum Theatinorum Fundatorem, S. Ludovicum Bertrandum ex Ordine Sancti Dominici, S. Franciscum de Borgia Societatis Jesu Generalem, & S. Margaritham Scotiæ Reginam. Ut Romanos portus cunctis nationibus magis magisque aperiret, tributa quædam navibus, ad portum Civitatis Veteris appellentibus imposita, magnificè remisit, suis commodis neglectis, ut populorum utilitatibus prospiceret. Hungaria inquies vigilantissimi Antistitis curas distinebat, haud ignaro, ejusmodi civiles in eo regno turbines, plerumque in turcici belli velut sedimentum desinere; cùm itaque in ejus Regni fluctuantem tunc equidem statum solerti curâ intentus esset, non defuêre è Germanis Authoribus quidam, qui suarum sectarum homines per Hungariam innocentiores Metellis proclamarent; contrà integerrimum Antistitem arguerent, quòd ejus instinctu immitiùs à Leopoldo Imperatorum Maximo adversus Hungaros processum fuerit; sed illi qualescunque sint, pessimæ certò causæ Patroni, meminisse debuissent, quòd decantatissima Cæsaris Leopoldi Clementia an. 1674. ducentos triginta & sex ministros diversarum sectarum liberos dimiserit, qui â regiis Posonii Judicibus, quorum pars è Protestantibus, pars è Catholicis Episcopis ac fisci consiliariis delecta fuerat, apertæ proditionis convicti fuerant; qui omnes, ut vitam servarent, recantilenam cantabant; quorum etiam nomina in Posoniensi Cartophylacio hodiedum exstant. Denique Clemens Alterius, stirpe Alteriorum deficiente, Casparum Pauluzium, Sororis suæ Lauræ Alteriæ maritum, in suum adoptavit. Ejus Patrem Angelum Pauluzium Pontificiis triremibus archithalassum præfecerat. Casparis Patruum Albertum S. R. E. Cardinalem inter primæ admissionis principes habebat, ejúsque consiliis in gravissimis sacræ Reipublicæ causis utebatur. Is Albertus in spem veniebat, post Innocentii XII. mortem Cathedram Petri conscendendi; verùm integro biennio ante Innocentium XII. fato præreptus, spem de se conceptam unà sepeliebat. Caspari Pauluzzio de Alteriis filius progignebatur Æmilius Alterius, Dux de Montareno, qui in matrimonium duxit Constantiam Augustini Principis Chisii filiam, alter filiorum est Laurentius Alterius Eminentissimus noster Purpuratus, de quo hic sermo. Est is Romanæ gemma nobilitatis, Principum amor, civium delitiæ, immo Cynosura voluntatum. In fronte dignam Principe sapientiam exhibet, oculis prominet ingenii vigor, ore fundit oracula, manu beneficia dispensat, & magnarum cogitationum capacissimâ animâ grandia consilia excoquit. Necdum adolescentiam egressus, virilia spirabat, & virilem ætatem consecutus, supra virum eminuit. Planè statim ac è studiorum Palladio egrediebatur, meritis ætatem prævenientibus, Pontificis Camerarium agebat, ut probatâ nemini non egregia indole, cum prima lanugine purpuram ab Urbano VIII. anno 1691. obtineret. Postea apud Urbinates Legatum cùm ageret, excelsæ sapientiæ, suavissimæ comitatis, & effusissimæ in cunctos beneficentiæ laudibus insigniter inclaruit. Anno 1716. Hic princeps maximo Romanæ Urbis luctu graviter decumbebat; verùm Sacra Roma, ut tam grande depositum servaret, fusis ad Deum precibus, obtinuerat. Iis tamen, quæ ponè insequebantur temporibus, Principi Alteriorum familiæ continuatis funeribus Libitinæ litandum erat; credo ut invictissimus adversus domesticas has clades Eminentissimi Cardinalis animus, ceu fulgidum in ignibus aurum liquidiùs probaretur. Vidit & magnanimâ fortitudine tulit an. 1720. elatos geminato funere illustrissimos Parentes Casparem Pauluzium, & Lauram Alteriam; id solùm in tantâ acerbitate solatio accidit, quòd non unà efferrentur virtutes, quas in nobilissimo hoc conjugum pari admirabunda Roma suspexerat. Anno abhinc ad tumulum ibat Æmilius Alterius, Dux Montarenus, Eminentissimi Purpurati Germanus frater, qui ductâ ex Principe Chisiorum familiâ Constantiâ virtuosissimâ matronâ; nec minus Barberinis, Borromæis, & nobilissimis quibusvis Romanis proceribus cum Principe Alteriorum familiâ affinitatum fœderibus innexis, pene integram Romam in luctus, & pullatas vestes converterat. Mense Septembri ejusdem anni Eminentissimus Cardinalis Antonium, & Joannem Baptistam Altherios Pontifici Innocentio XIII. sistebat, Sacros ejus pedes deosculaturos. Hic multam felicitatem Illustrissimæ huic fratrum Triadi apprecabatur, & Sacrâ Benedictione beatos â se dimittebat. Nec minus Integra Roma, tantorum civium dotata gloria, vitam, felicitatem, & perennitatem Alteriis principibus, utpote Sacræ Reipublicæ per tot sæcula fortissimis Atlantibus, acclamat; præsertim in Eminentissimo nostro Purpurato Laurentio de Alteriis firmissima latera agnoscit, quæ integro Orbi Orthodoxo sustendando paria censeantur; & vivida ætas, rara in paucis sapientia, ac singularis integritas spem confirmant.

Num,



CAROLUS S.R.E. DIACONUS CARDINALIS
COLUMNA ROMANUS
CREATUS DIE XVII. MAII MDCCVI.

Cum Grat. et Priv. Sac. Caes. Maj. *Ioh. Christ. Kolb exc. Aug. Vind.*

58.

No. LVIII.

CAROLUS COLUMNA ROMANUS.

CArolus S. Angeli in foro Piscium Cardinalis Columna Romanus natus est ann. 1665. ex pervetusta & clarissima gente Columnensi, quam Regibus affinem non modò Roma, sed Orbis pene universus agnoscit. Propagata est Stirps decantatissima per Italiam, Hispaniam & Germaniam; imò Russiæ solitudines & extremus Europæ angulus aliquando Columnensibus domicilium præbuerant. Qui per Italiam Columnenses magnis indies incrementis florent, in duas stirpes abierunt: Ducum de PALLIANO & TAGLIACOZZA, & Principum de CARBOGNANO. Duces de PALLIANO eâ prærogativâ gaudent, ut natu maximus inter illos Regni Neapolitani Connestabilis (quæ suma per regnum dignitas) jure hæreditario dicatur. A Ferdinando Catholico in eo honorum culmine ob egregiam in bellis præstitam operam collocati fuerant; & Carolus V. Avi sui Placita sanciebat. Quos Hispania sibi adscivit, ad Petrum Columnam ortum referunt, qui ann. 1281. è Galliâ in regnum Arragoniæ transgressus, Maurorum debellator strenuus erat: Ejus posteri in Regno Valentiæ sedem plerique fixerunt. Ad Russos venit Petrus Columna, qui intestinis per Italiam bellis pulsus Italiæ delitias Russiæ solitudinibus comutârat; virtute bellica cùm utplurimùm Russos inter inclaresceret, divitias obtinebat non contemnendas. In ripâ fluminis cujusdam, teste Jovio, castellum erexerat, suo de nomine Columnense dictum. Qui in Germaniam transgressi fuêre, jamdum an. 1142. Brandisio teste, Dynastias Fels & Pressels in Comitatu Tyrolensi obtinuerant. Inde in Bohemiam translatos, bellum tricennale expulit. Nunc in Silesiâ dynastiis & opibus præpotentes vivunt. Caput ejus per Germaniam familiæ hodiedum est Carolus Leonardus Samuel, S. R. J. Comes Columna, nobilis Dynasta de & in Fels, Strehliz, & Löschniz &c. &c. Enimverò Illustrissima hæc familia à pluribus Sæculis, multorum bellica laude, plurimorum Sacrâ Purpurâ, ac Tyaris Pontificiis Illustris claruit. Imprimis enituit Martinus V. è Columnensibus Pontifex Maximus creatus ann. 1417. qui Hussiticum bellum, quod in altas favillas sub ejus Regimine exarserat, suâ sapientiâ magnâ ex parte propulsabat. Vir, si quis alius, justissimus erat, qui ad eos, qui provincias & civitates gubernabant, eam perpetuò vocem usurpabat: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* De cujus etiam obitu Platina refert. Sepultus est, comitante populo Romano, comitante clero, nec aliter flente, quam si Ecclesia Dei, si Urbs Roma, unico atque optimo parente orbata esset. Quid jam referam de S. R. E. Cardinalibus, quorum triginta & unum (si quidem numerum probè initum reperio) Illustrissima hæc stirps Sacræ Romæ dedit. Joannes Columna Vir scientiâ literarum, & dicendi facundiâ clarus, at puritate vitæ, animíque integritate longè clarior â Cœlestino III. Sacrâ Purpuræ dignitate ornabatur ann. 1191. Is S. Franciscum Seraphici Ordinis authorem, tenerrimo mentis affectu, quoad vixerat, excolebat. Ejúsque præterea Ordinem, per orbem sparsum (cujus primus & mirus Protector fuerat) omnibus, quibus potuit, charitatis officiis & obsequiis prosecutus est. Cúmque Divus Franciscus Regulæ, quam pro suis jamjam concinnaverat, approbationem ab Innocentio III. sumis precibus efflagitaret, Innocentius verò, quorundam instinctu, suspicionem subesse ratus, confirmationem anxiè differret, dubium omne ac contradictionem è medio sustulit Joannes: qui Divino Spiritu inflamatus (ut asserit S. Bonaventura)


summo Pontifici & Fratribus suis dixerat. *Si petitionem pauperis hujus tanquam nimis arduam, novámque refellimus, cùm petat sibi confirmari formam Evangelicæ Vitæ, cavendum est nobis, ne in Christi Evangelium peccemus. Nam si quis intra Evangelicæ Perfectionis observantiam, & votum ipsius dicat contineri aliquid novum; aut irrationabile; vel Impossibile adservandum, contra Christum Evangelii authorem blasphemare convincitur.* Cœlestinus III. ob eximias virtutes tanti Joannem habebat, ut mortuali lectulo affixus, eum sibi successorem posceret; ex quo morientis testimonio laus utique summa Joanni accrescebat. Alius quidam Joannes Columna ob raras & suspiciendas præcelsi animi dotes ab Honorio III. ann. 1216. Sacro Purpuratorum Senatui adscribebatur. Is Christiani exercitûs Dux Damiatam Urbem, in Ægypto ad Pelusium Nili ostium sitam, & viginti duorum mensium spatio obsessam, denique ann. 1210. 5. Nov. expugnaverat; verùm obliquante postea fortuna in manus Barbarorum incidebat; ubi propè fuit, ut Martyr fieret; nam inter duos postes â Sarracenis hostibus inclusus jamjam secandus erat, nisi illos divinâ providentiâ, ejus constantiâ, fidéque permotos pœnituisset. Solutus, neutiquam sibi feriandum ratus, iterum cum Rege Hyerosolymorum in hostem movebat, victórque incomparabilem thesaurum, omníque armorum genere splendidius trophæum, sacram scilicet Columnam (ad quam olim Christus Servator noster Hyerosolymis alligatus & flagris cæsus memoratur(Barbarorum manibus ereptam secum Romam devexit, quæ in templo S. Praxedis hodiedum piissimè colitur. Moriebatur ann. 1245 quem Innocentius IV. *Virum magnanimum, constantem, doctum, familiæ decus, Patriæ ornamentum, & Ecclesiæ Columnam appellabat.* Ægidius Columna Divi Thomæ Aquinatis Discipulus, Lutetiæ Parisiorum tanto Doctore in literis cum Philosophicis, tum Theologicis tantoperè profecerat, ut primus ex Sacro Ordine suo (Eremiticam Divi Augustini disciplinam profitebatur) Theologiæ mysteria Parisiis interpretaretur; doctórque fundamentalis vulgò dici promeruerit. Datus erat Philippo Pulchro Regio Adolescenti in Gallia morum & literarum institutor. Deinde sacer Eremitarum ordo in Generalem, Ecclesia Bituricensis in Archiepiscopum, & Aquitania in Primatem assumebat. Cujus eximias laudes Trithemius iis verbis complectebatur. *Ægidius Archiepiscopus Bituricensis, patriâ Romanus, ex illustri Columnensium familia, Prior quondam Generalis Ordinis Eremitarum, Divi Thomæ Aquinatis discipulus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in Philosophia Aristotelicâ nulli suo tempore secundus, ingenio subtilis, sermone Scholasticus, & ob doctrinæ præstantiam Fundatissimi cognomen adeptus fuerat.* Joannes Columna, quem Joannes XXI. ann. 1316. Cardinalem creaverat, eam morum integritatem, prudentiam, atque æquitatis solertiam præseferebat, ut justitiæ norma passim indigitaretur. Ejus consilio & suasione Pontifex non parvam manum Fratrum minorum in Armeniam ablegaverat, ut fidem Christi disseminarent. Hunc Joannem Petrarcha *Romani decus cardinis & Columnensis familiæ principem & Ornamentum* dicebat. In ejus vitâ hoc etiam memoratur. Stephanus Columna ejus Genitor, nobili quondam filiorum corona in convivio procerum Romanorum septus, omnium se natorum hæredem futurum prædixit, atque omnibus etiam, uti divinaverat, Superstes fuit. Joannes Re cognita, altùm ingemiscens, & vicinam mortem præsentiens, utinam, inquiebat, genitor noster tam veridicus vates non esset. Pompejus Columna Cardinalis dictus â Leone X. ann. 1513. eò quidem processerat, ut inito fœdere cum Hugone Moncada, Caroli V. Cæsaris supremo armorum Duce, urbem Romanam, armis impugnatam, ceperit. Verùm ubi post biduum â capta urbe, Romam ingressus promiscuis omnia cædibus, miserabilíque inter tormenta plorantium ejulatu completa spectaret, suíque ipse consilii immanitatem perhorresceret, lachrymas in tantâ occumbentis patriæ calamitate non tenuit; & indignatione in miserationem versâ, omni qua valuit authoritate, apud duces, milítésque contendit, ut humanitati locus esset, aliorum pudori, aliorum vitæ, ac libertati æquis conditionibus consuleretur. Nullis etiam, præter laborem, sumptibus parcebat, ut hostili petulantiæ honestissimas fœminas subduceret, Patrésque

que ac Principes Urbis Viros, & quotquot ultimo vitæ discrimine periclitarentur, â militum injuriâ vindicaret. Marcus Antonius Columna Concilio Tridentino singulari doctrinæ, prudentiæ, & religionis laude interfuerat; Hinc â Pio IV. Pontifice Maximo in Sacrum Cardinalium Senatum adscribebatur ann. 1560. Eum Sixtus V. toto quô Ecclesiæ præsedit, tempore eximiâ benevolentiâ complectebatur; præsertim quòd Sixti olim discipulus subtiles, quas vocant, Scoti Formalitates ab eo doctus acriter defenderet. De quo ea Augustini Oldoini verba exstant: Insignis fuit, ac penè regia Marci Antonii erga omnes bonos, doctos, & pauperes liberalitas, & nunquam exhausta benignitas. Ascanium Columnam Sixtus V. ann. 1585. Cardinalem creabat. Is viros eruditione, sapientiâ, ac integritate præditos, amore propè paterno complexus, beneficiis ac muneribus sibi conciliabat; unde magno eorum ad eum facto concursu, Princeps literatorum indigitari meruit. Id de eo memoratu utplurimùm dignum reperitur. Laborabat ulcere propè clunes (fistulam dicunt) inexsplicabilem ei dolorem parturiente; quo deniqne vel liberari vel mori statuit. Convocatis igitur medicis, in eum itum est sententiam, ustione opus esse. Et cùm ustor operi accingeretur, petiit Cardinalem tabulæ alligari, ne præ dolore corporis motu candens ferrum in partem flecteret sanam, & patienti etiam mortem incuteret: renuit ligari Cardinalis asserens, hoc Columnensi indecens esse; & ustor renuit experiri. Tandem post longam altercationem ustoris, exoravit Cardinalis, ut opus perficeretur, juramento promittens, se tanquam columnam, quam cognomine præferret, firmiter staturum. Præstitit, quod promisit, tantâ animi constantiâ, ut ad igniti ferri impressionem, nec motum ederet, nec ejulatum, stupentibus cunctis, rémque adeò duram in Viro præsertim delicatiori prodigio similem intuentibus. Hyeronymus Columna nuncupatus Cardinalis ann. 1623. ab Urbano VIII. in Austriæ oculis pretiosus erat. Patrocinium gesserat Ferdinandi III. Cæsaris jussu apud Romanum Pontificem, Germaniæ & Imperii Romani; uti etiam Regnorum Arragoniæ, Sardiniæ, & Catalauniæ, Philippo IV. Rege Hispaniæ præcipiente. Firmatis an. 1664. inter Leopoldum I. & Margaritham Austriacam Philippi IV. Regis filiam nuptiis, ad Regiam Sponsam Viennam adducendam à Philippo evocabatur; verùm quæ est rerum humanarum vicissitudo eidem Philippo IV. moribundo ann. 1665. extrema pietatis officia exhibebat. A Carolo II. jam Rege à populo salutato, regius Parochus denominatus, desponsavit, annulóque pronubo dexteram Hispanicæ Infantis Sponsæ Leopoldi I. Cæsaris Ornavit; cui in itinere terra maríque confecto, Madritto in Italiam inserviit. Cùm triremes, in quibus Imperatrix Sponsa vehebatur, ad litora Ligustica felicissime appulissent, ipse vix è navi egressus, febríque correptus Lethaliter decubuit in oppido Finarii Hispanicæ dominationis; ubi brevì summa Imperatricis ægrimoniâ è vita migraverat. Quis jam reliquos præclaros pacis bellíque artibus viros, quos nobilissima Columnensium Domus dedit, sub unum veluti aspectum positos in medium proferat? quorum plures ducenis ab insignibus authoribus numerantur. Carolum Columnam Bredana expugnatio sub Ambrosio Spinula nobilitabat. Fabritius Columna Imperatoribus Maximiliano I. & Carolo V. egregiam adversus Gallos operam navaverat. Fridericus Columna ann 1640. Tarragonensem Urbem strenuè adversus Catalaunos, arreptis armis in suum principem insurgentes, tuebatur. Marcus Antonius Columna Julii II. Pontificis militiam, egregius armorum archithalassus, insigniter promovit; idem Medicæos, â Florentinis expulsos, ducale in solium reposuit. Alius Marcus Antonius Columnensis cruento prœlio ad Insulas Echinadas interfuit, & obtenta victoria fortissimæ ejus dexteræ magna ex parte debebatur; hinc victor Romam triumphantis in modum, populo in plausus effuso ingrediebatur. Prosper Columna Princeps belli impiger Ferdinando Catholico in Regno Neapolitano occupando fidelissimam operam conferebat; Nec sua etiam Laude fraudandæ sunt insignes Heroinæ, quas

inclyta

inclyta Stirps Columnensis progenuit. Earum omnium Antesignana videtur Victoria Columna, Ferdinandi Avilæ Marchionis Piscarii lectissima conjux. Erat illa altera Sæculi sui Pallas, & felicissimi ingenii partu poemata edidit, quæ Italia obstupuit. Eam doctissimus Petrarcha inter omnes, qui tunc Italos inter, suum poematibus nomen illustre reddiderunt, primam voluit. Cùm Piscarium maritum, Ticinensis Victoriæ famâ præclarum, Italorum Principum aliqui â Cæsareis partibus abstractum irent, Regno Neapolitano in Secessionis præmium oblato, indignum facinus aversata mitior hæc Tullia, ab indecoro consilio maritum deterruit. Eo elato, Apollo non defuit, qui hanc Palladem avidè prensaret; sed illa funerati mariti memoriam tam altè animo retinebat, ut ad secundas nuptias nullis unquam adhortationibus traducenda esset. Potiùs in eo solum occupatam se sentiebat, ut bellicam laudem, qua maritus ejus insigniter inclaruit, doctissimis poematibus redderet illustriorem. Et hoc Mausolæum fuit, quo fidelissima hæc Arthemisia mariti nomen imortalitati consecravit; & quandoquidem stupenda illa moles temporum injuriâ concidit, & præter informia rudera nihil hodiedum exhibet, illustria tamen hæc Poemata nulla ætas, nullus livor arrodet. Demum Victoria sui & mundi victrix futura, rerum mundanarum caducitate probè perspecta, monasterium S. Mariæ Mediolani ingrediebatur, in quo ann. 1541. magno pietatis sensu exspiravit. In ejus gentilis suæ honorem Pompejus Columna *de laudibus mulierum* volumen conscripsit, â multis priscæ virtutis exemplis, atque orationis elegantiâ & jucunditate eruditorum lectione dignissimum. His tot tantisque Heroibus, heroinisque Columnensibus accedit grande Columnarum gloriæ additamentum Eminentissimus noster Purpuratus Carolus Columna, qui gloriosissimis antecessoribus suis per omnia similis factus, sapientiâ Prosperos Columnas, magnimitate Carolos, Religione Joannes, doctrinâ Ægidios, justitiâ Martinos æquat. Cùm Historiæ amœnissimo studio mirè capiatur, gentilem se agnoscit Joannis Columnæ, è Sacra Dominicana Familia Archiepiscopi Messanensis, qui historicum opus, XI libros complexum, celeberrimum edidit, quod mare historicum indigitavit; certè Pharus fuit, qui in magna navigantium in hoc mari obscuritate lucem & claritatem miram præsetulit. Hujus imitator Eminentissimus noster Purpuratus Carolus, in historiam veluti speculum intuetur, ubi Superiorum imago temporum, & hujus Sæculi spectaretur exemplum, ut dum præsentia intueretur, adesset præteritis, & jucunda quadam recordatione ad proavos rediret, & eorum consiliis, actionibúsque se immisceret. Hic brevi magnus evadebat, cùm sibi ex clarissimis Antecessoribus clarissimum quemvis imitandum proponeret. Apud Innocentium XII. primò quidem Protonotarium Apostolicum, dein An. 1699. Palatii Apostolici Præfectum (quem Maestro di Casa vocant) agebat. An. 1706. die 17. Maij maximarum virtutum ornamento splendidus, Sacrâ Purpurâ condecorabatur. An. 1710. Serenissimus ejus Frater Philippus Alexander Columna, Dux Pallianus, Connestabilis Regni Neapolitani, & torquatus aurei velleris eques ab Imperatore Josepho clarissimæ memoriæ in S. R. Imperii principem, Germaniâ hoc sibi gemma vindicante, denominatus est. Alter fratrum natu minimus Marcus Antonius Christinam Marchionis Palleotti filiam è Ducibus Nordfolciæ ex Anglia oriundam matrimonii fœderibus An. 1697. conjunxerat. An. 1714. die 6. Nov. memoratus Philippus Alexander Columna è vivis excessit, majoris luctûs futura mater a, nisi Fabritium Columnam paternarum ditionum & virtutum hæredem post se reliquisset, quem Caroli VI. Imperatorum Maximi Legatum Extraordinarium admirabunda, & in ejus virtutibus defixa Roma suspexit. An. 1714. Pisis in Hetrutia ultimum diem clausit Maria Laurentia Manzina, Cardinalis Mazarini ex Sorore neptis, Eminentissimi Cardinalis felicissima parens, cui attributa dos integram millionem confecisse dicitur. Ejus maritus Laurentius Onuphrius Columna, Arragoniæ Prorex, fortunatus in Purpurato filio Carolo Pater viam mortalitatis jamdum An. 1689. præiverat. An. 1716. inimica non minùs mortis falce demessa est Lucretia Columna, Eminentissimi Purpurati Caroli Germana Soror, quæ nuptui collocata fuerat Josepho de Comitibus Principi Guadagnolæ, Germano Fratri Innocentii XIII. beatissimæ memoriæ Pontificis Maximi; & ut funus funeri superadderetur, ab invidâ Libitina tenellus Illustrissimæ suæ Familiæ surculus Philippus Columna vix annum egressus An. 1723. abripiebatur. Magnanimo dolore & virili luctu multiplicatis funeribus parentabat Eminentissimus Purpuratus Carolus, gentilitii sui Symboli probè memor: FLECTIMUR, NON FRANGIMUR. Stabit enimverò & diutissimè stabit Eminentissimus hic Purpuratus Carolus Columna; nec enim, quibus incolumitas Rerumpublicarum innititur, Columnas labentes, nisi publicis lachrymis Orbis intueretur.

No.





Curtius Origus Romanus Protonotarius Apostolicus Sacræ Consultæ Secretarius S. R. E. Diaconus Cardinalis creatus à SS^mo D. Nrō **CLEMENTE PAPA XI.** *in Consistorio Secreto habito post Semipublicum in Aula Ducali Palatij Vaticani die 18. May 1712, et in simili Consistorio Secreto in Palatio Quirinali die 26. Septembris eiusdem Anni publicatus.*

Ioh. Christoph Kolb exc. A. V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

No. LIX.

CVRTIVS ORIGVS ROMANUS.

CUrtius S. Eustachii Cardinalis Origus Romanus natus est Anno 1661. die 9. Martii: Romam ideò patriam nactus, ut, unde Sacra Fides caput extulerat, inde Sacræ Fidei lumen longè illustrissimum prodiret. Enimverò Origus non modò sanguinis claritate, sed virtutum quoque splendore longè nobilissimus, jam in juvenili ætate ingenii & judicii præstantiâ celebratissimus evaserat. Hinc Innocentius XI. â parentibus adductum, paternè amplexus est. Sub Alexandro VIII. in Sacræ Reipublicæ muniis fundamina jaciebat; & statim Magnum futurum apparebat. Sub Innocentio XII. spem de se conceptam magìs, magìsque confirmabat, & Protonotarii Apostolici munus summâ sui commendatione peragebat. Clemens XI. summum Virum propiùs complexus est, & in gravissimis quibusve Sacræ Reipublicæ muniis, prudentissimis ejus consiliis utplurimùm utebatur; ita ut nunquam magnum aliquod negotium aggredi videretur, quin cum exploratissimæ Sapientiæ Viro rem antea communicaret: & ne sua deessent Virtuti prœmia, Secretarium DELLA CONSULTA (ut vocant) Anno 1706. denominaverat. Erat illo nihil integriùs; ita ut justitiam administraret cunctis limatissimo studio, consilia in omnem partem saluberrima suggereret, & semel suggesta, constanter manuteneret. Nulla ei major voluptas obtingere poterat, quàm quando cum doctissimis viris, non minus ipse literatus, propediem versabatur; quibuscum doctissima colloquia in multum tempus extrahere, eidem imprimis volupe erat. Orationis assiduitas, in eo admiranda semper existebat, & quam ipse excolebat in Superos Religionem, â familiaribus suis unà exigebat, ita ut nemo facilè ex iis reperiretur, qui non ad piissimi Antistitis mores suas unà actiones componeret. Frugaliter cùm ipsemet vivat, necessitatibus pauperum se totum impendere videtur, quos subsidio in dies charitativo, & largis eleemosynis refocillat. Et talis Eleemosynarius in oculis Romanis pretiosissimus evadebat. Certè Fratrum (quos de misericordia indigitamus) seu Ordinis Theatinorum Protector jure perquam optimo creatus est. Nam pauperum liberalissimus fautor, hos servos Dei haud aliter, ac familiares suos colit & reveretur, eorum commodis unicè deservit, cibis, culcitris, alimoniis indigos refocillat, & effusissimæ charitatis visceribus eos complectitur, qui charitatis viscera ipsimet in fovendis indigis, & ægris juvandis expandunt. Ejus Ordinis Fundator est Divus Joannes de Deo: Unicum scopum is Ordo præfixum habet, ut Charitatis operibus totum, quantum se applicet; Hinc ægros fovent, undequaque venientes paternâ curâ suscipiunt, diu noctúque inserviunt, lectulos sternunt, sordes emundant, nec quicquam turpe existimant, quod pauperibus, in quibus Christum agnoscunt, exhibeant. Fundatorem agnoscunt Joannem de Deo, natum in Lusitaniâ; verùm qui modò beneficiis Orbem complectitur Universum. Nam nec infideles quidem Zelosissimus horum Religiosorum fervor è suis Hospitalibus excludit; & oppidò multi, qui corpus curaturi eò deportabantur, animæ salutem invenerunt. Ipsius Ordinis Fratres eleemosynis fidelium unicè vivunt; nec etiam in proprios usus vi regulæ eleemosynam unquam efflagitant; nec nisi sponte oblatam pro se recipiunt; infallibili veluti spe augurati, divinam Providentiam sibi non defuturam, nec Deum derelicturum eos, qui ipsi, & creaturis â se productis, & ad imaginem suam efformatis, unicè deservirent. Primum Hospitale Granadæ in Hispaniâ erigebatur. Est Granada non modò Hispaniæ, sed Europæ propemodum Universæ hortus longè amœnissimus; & ex eo horto progerminati fuêre flores, qui suaveolentem chari-

 tatis

tatis fragrantiam in Orbem dispensârunt universum. Is Ordo Hospitalitatis à Leone X. Anno 1520. Pontificiâ authoritate confirmabatur; sed Paulus IV. adhuc magìs stabiliebat, & novis privilegiis augebat; nec enim Sacra Roma repudiare potest, aut unquam vult, quos beneficiis orbis experitur universus. Hujus itaque Sacri Ordinis Protector Curtius Origus Romanus ut plurimùm Romanum illum Curtium æmulabatur. Nam is patriæ laborantis necessitatibus ut subveniret, in apertum terræ hiatum cum equo sese immittebat; Contrà Curtius Origus viscera Charitatis pandit, ut pauperes, quorum Rempublicam credit esse suam, conservet & nutriat. Si igitur Triumphum meritus Curtius Romanus, plebem Quiritum â Præsenti interitu vindicando, illustris etiam Corona debetur alteri Romano Curtio, ex Origiis progenito, qui causam pauperum facit esse suam; neminem unquam relinquendo, qui abs se indonatus recederet. Cùm virtutes Origiorum commemoro, est, cur & illud asseram, quod de quodam illorum publicis literis consignatum reperio: Versabatur ille in domo equidem honestissima, in qua tamen fœminam, Ægyptiacæ furiæ gemellam nactus erat, Josepho ipse Casto Simillimus; vestem siquidem domúmque intempestâ nocte præcipiti fuga relinquebat, impuras Harpyæ manus effugiens; hyeme tamen Boreáque per eam noctem atrocius sævientibus, horas complures sub dio pernoctare cogebatur; lætissimus interea, quòd per incommoda corporis thesaurum animi publicâ servâsset in viâ, qui latronem habuerat in domo. Sed ad Curtium Origium retrogradiendo, Virtutes ejus Sacrâ Purpurâ dignissimas judicabat Clemens XI; Hinc etiam Anno 1712. die 18. Maji Cardinalitio Collegio adscripserat, in cujus amores dudum, virtutibus propellentibus, raptum se sentiebat; nec tamen ante diem XXVI. Septembris ejus anni promulgabatur; credo ut aliquantùm in pectore Pontificis, cujus partem dudum occupârat, totus recumberet. Tunc quidem, cùm crearetur, Protonotarium Apostolicum agebat, Summus Justitiarius omnibus visus; hinc Omnibus acceptus, Omnibus amabilis. Anno 1717. in consistorio Secreto habito die XII. Aprilis Legationi Bonnoniensi â Sanctissimo Patre præficiebatur, Eminentissimo Purpurato Cusano successurus, qui eidem provinciæ per triennium cum laude præfuerat. Verba denominantis Pontificis ea fuêre. *Labitur triennium ad quod Legationem Bonnoniensem commisimus Dilecto Filio nostro Augustino Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Cusano, qui eam sedulò ac fideliter exercuit. Eidem propterea Legationi præficere nunc intendimus Dilectum pariter Filium nostrum Curtium ejusdem Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Origum, de cujus* FIDE, DOCTRINA *&* PRUDENTIA *plurimùm in Domino confidimus.* Ea Urbs Bonnoniensis inter clarissimas Italiæ habetur. Ab agrorum fertilitate Pinguis, seu vernaculâ linguâ (BOLOGNA LA GRASSA) cognominatur. Romanis paruit; verùm *VIII.* Sæculo Lombardis cessit. A Carolo *Ma*gno recuperata, iterum Romano Imperio subjiciebatur. Sed sub Germanis Imperatoribus, ad libertatem Cives respiciebant; quam per discordias Imperatorum cum Pontificibus Romanis facilè obtinebant, & tam strenuè propugnabant, ut Friderici *II.* nothum filium Enzelinum captum in prœlio, securitatis vadem diu tenerent. Sed brevi postea libero suo Regimine exciderant, Bentivolis, aliisque ejus ad se Urbis Imperium trahentibus; inter quorum incerta regimina diu fluctuans Bononia, tandem mitissimum dominium Romanum respexit, & Julio II. ultrò se subdidit; Hinc quæ suapte in Romani Pontificis jura concessit, Romæ Soror nuncupatur. Ejus etiam honoris prærogativâ gaudet, ut Pontificis Legatus à Latere perpetuò apud se resideat, qui ejus necessitates propius inspiciat; nec minùs Urbs Bonnoniensis in *A*ulâ Pontificis Legatum habet, ut penè prærogativá & jure Principum gaudere videatur. Ea Urbs Doctorum Patria vulgò nuncupatur, cujus Universitas â Theodosio *J*uniore circa annum CCCCXX*III.* exstructa dicitur. Hoc in comperto est, jus Civile æquè atque Canonicum è publicá cathedrá ea in Urbe primò omnium traditum; hinc vox communis orta. BONONIA DOCET. Eam itaque Urbem Origus regendam suscepit, & *F*IDE, DOCTRINA & *P*RUDENTIA (quales in eo Virtutes Clemens X*I* deprædicaverat) adgubernabat. Cùm *A*nno 1721. reditum inde Romam adornaret, ut Regimen beneficentiá inchoatum, beneficentia absolveret, captivos omnes, quos quidem delicta non usquequaque atrocia carceri mancipaverant, liberos dimitti curabat. Sed cùm is omnibus Virtutibus utplurimùm inclarescat, ante omnes tamen eximia Religio est, cujus commodis addictissimo studio semper invigilavit. Hinc jansenismi juratissimus hostis, in eo semper totus erat, ut repullulantem novi erroris opinionem deprimeret. Sic Quesnellianismum ortum in Galliâ aversabatur & omni pariter curâ in id incumbebat, ut primas exorbitantis illius Theologiæ scintillas maturè extinqueret. Nec minùs in Senarum Regnum Sanctissimas curas convertebat. Unde quidam Episcopus rara è Senensi terrâ vasa, arte *I*ndica affabrè elaborata haud ita pridem Eminentissimo nostro Cardinali Curtio Origo transmiserat. Sed *V*as ipsemet Electionis creditur esse, quod in Ecclesiæ Thesauro perpetuò repositum manebit, æternúmque vigebit.



Melchior de Polignac Gallus Sacræ Rotæ Auditor S.R.E. Diaconus Cardinalis creatus à SS.^{mo} D.N. CLEMENTE PAPA XI. in Consistorio Secreto habito post Semipublicum in Aula Ducali Palatij Vaticani die 18. Maij 1712. et in simili Consistorio secreto in eodem Palatio Vaticano die 30. Ianuarij 1713. Publicatus.

Ioh. Christ. Kolb excud.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

60.

No. LX.

MELCHIOR DE POLIGNACH, GALLUS.

MElchior S. Mariæ in Porticu Cardinalis de Polignach Gallus natus est An. 1661. die 11. Octobris ex Illustrissima Vicecomitum de Polignach Familia, quorum gentilitium castrum Polignachium dictum, situm est in agro Velaunienfi tractus Cemmenii haud procul Anicio, quam Urbem Galli LE PUY indigitant. Nescio an unquam illustrius sydus nobilissimæ huic per Provinciam Cemmeniam familiæ exortum fuerit; certè primus omnium fuit, qui Comitatûs honorem in pervetustam familiam suam intulit, immò quod plus est, Purpuræ Gloriâ insignivit. Neque vulgaribus ille naturæ ingeniíque dotibus ad eum gloriæ apicem evehebatur; nam eximiæ prudentiæ, perspicacissimæ indolis, acerrimíque judicii & prorsus admirandæ memoriæ Vir facilè in publicum Orbis theatrum cùm gloriâ prodiit: Literarum etiam institutione tantùm excrevit ingenita facundia, ut Summorum Oratorum feracissima Gallia paucos admodum exhibeat, quibus is ore penetrabili & dicendi facultate quicquam concedat. Politicas etiam regendi artes tam probè callet, ut Regum Sapientissimus Ludovicus XIV. exercitatissimam Viri Prudentiam probè contemplatus, non alio Ministro uti voluerit, per quem maxima quævis negotia, & publicam regni felicitatem concernentia, feliciter in exterorum Principum Aulis conficeret. Eum Polonia, Germania, Gallia, Italia non modò ex famâ cognoscunt, sed præsentem, & cum circumspectissimâ Sapientiâ maxima quævis tractantem, non sine admiratione præstantissimæ indolis intuebantur. Hoc etiam in eo mirificè laudatur, quòd omnis dicacitatis juratus osor, grandia consilia nunquam non admirandâ solertia tegat, probè gnarus, consilia præsertim aulica, tamdiu tuta, quamdiu tecta. Prima ei Provincia in Poloniâ obtigit, quò Anno 1693. regius legatus ibat, ut in aulâ Joannis III. Sobieskii Galliæ utilitatibus invigilaret; nec etiam inutilem Galliæ operam ibi posuerat: nam ex præcipuis regni proceribus permultos Galliæ amoribus mirè conciliabat: in ipsius etiam Regis, Reginæque animo tantùm dominabatur, ut maximè ardua totius Regni negotia cum prudentissimo hoc Apolline communicarentur. Post mortem Sobieskii statim patuit, quàm is efficaciter procerum Polonorum animos ad Gallicas partes adduxisset. Cùm enim in patentibus circa Warsoviam campis de novo Rege eligendo Comitia celebrarentur, res pene in eo erat, ut Franciscus Ludovicus Princeps Contiacus Rex proclamaretur, Archiepiscopo Gnesnano, eodémque regni Primate Radzioskio eas partes cum suæ factionis hominibus mordicus tenente; sed prævaluêre Austriæ conatus, & Joannes Philippus Episcopus Passaviensis ex Comitibus Lambergiis ab Imperatore Leopoldo ad ea comitia missus, ut pro Friderico Augusto Saxoniæ Principe, & S. R. Imperii Septemviro in Polonico solio reponendo nullum non arietem admoveret, Machinam illam ab Archimede Gallico affabrè combinatam dissolvit; aut si mavelis dicere, Lambergius Cicero visus est esse, qui Magni illius Hortensii conatus in ipso successu lætos infregit. Manserat tamen rei bellè ordinatæ laus penes Polignacum; nam intra momenta prudentiæ laborans solertia suas partes stre-

 nuè

nuè obibat, contra ſucceſſus, â concepta ſpe abludens, fortunæ debebatur. Anno 1707. Romam deferebatur, ut in illo Nationum omnium theatro Galliæ Comitatem, Affabilitatem, & concinnos mores cunctis exhiberet. Imò cùm Sacræ Rotæ Romanæ Auditor aſſideret, in audiendis partibus æquabilem animum, in cognitione cauſarum ingenii perſpicaciam in dicendis ſententiis inconcuſſam juſtitiam præſeferebat. Poſtquam per complures annos ſuum nomen Romanis notum & amabile reddidiſſet, in Galliam properè revocabatur, cujus urgentiſſimæ neceſſitates maximum hunc Virum ſibi vindicabant. Agebatur enim Anno 1710. de Pace Cæſarem inter & confœderatos ex una, & Galliarum ac Hiſpaniarum Reges ex altera parte ineundas. Hinc die 4. Martii Pariſiis non tam abibat, quàm volabat, amicam pacis olivam, Marte exulare juſſo, ſi res benè procederet, relaturus. Intra quartam diem Bruxellas tenebat; inde Gertrudisbergam deſtinatam pacificationi Sedem iter proſequebatur, ibi per quinquemeſtre ſpatium ſedulò pro pace inſudatum. Et quamvis ea negotiatio exitum tunc quidem ſortita non fuerit; jacta tamen fuêre illius Pacificationis fundamenta, quæ altero poſt anno magno Galliæ ſuæ bono eruperat. Conventus tunc lectiſſimorum totius Europæ Legatorum ultrajectum indicebatur. Comparebant per Legatos Roma, Auſtria, Gallia, Hiſpania, Luſitania, Anglia, Suecia, Pruſſia, Provinciæ Belgii Fœderati, Moguntiæ, Treviri, Coloniæ, Palatinatus, Saxonia, Sabaudia, Florentia, Lotharingia, Venetiæ, Janua, Mutinæ, Parma, Guaſtalla, Monaſterium, Caſſelia, Wirtenbergia, Franconia, Suevia, Circulus Rhenanus uterque: proponebantur pacis leges, & Angli dictatoriâ poteſtate utebantur. Hanc Ariadnen Gallia invenerat, quâ filum porrigente è ſummis, quibuscum luctabatur, anguſtiis emergeret. Tunc ſagaciſſimus Polignachius artes omnes, nervos omnes intendebat, ut laboranti Galliæ ſuæ felicitatem præſtaret; et enimverò præſtitit, pace procurata, quâ meliorem Gallia in eo rerum ſtatu neque quidem exoptare poterat. Legetur itaque in Galliæ faſtis Polignachius Pacificator, & quoties fauſtiſſima Pax Ultrajectina poſteris occurret, unà Polignachii ſuæ Procuratoris felicitatis nomen gratiſſimâ memoria reverebitur. A Legatione Vetrajectina redux in Galliam factus, Chriſtianiſſimo Regi Celeberrimæ Univerſitatis Pariſienſis nomine, ejus felicitatem pacis doctiſſima oratione gratulabatur. Eſt, cur ex amœniſſimo illo eloquentiæ horto paucos floſculos decerpam, aſſerebat: Nunquam ſinceriori gaudio Muſas exultare, quàm cùm depoſitis armis pax refloreſceret; in medio tamen belli ardore id ſaltem ſolatii ſe hauſiſſe, quòd cogitatione præciperet, concordiam præ foribus ſtare, eò quòd nunquam ſpes pacis major affulgeat, quàm cùm ſerio bellum geritur. Cùm ſcilicet ex fractis & colliſis nubibus ſerenitas prodeat. Chriſtianiſſimum Regem in robur plusquam Athlanteum valuiſſe; utpote qui Gallicum orbem, totius Europæ armis quaſſatum, intrepidè ſuccollâſſet, & nutantem in Maximi Nepotis capite coronam ſuâ ſapientiâ & virtute conſolidâſſet. Deum, in cujus manibus hominum corda eſſent, mutatis derepente in diverſum animis, Europæ Regibus pacis conſilia inſpirâſſe, qui priùs præter coacervatas cædes & ardentia provinciarum buſta nihil cogitârint. Eam eſſe, & ſemper fuiſſe Galliam, quam hoſtes in bello formidarent, amici in pace revererentur. Sic ille. Cujus equidem operæ, in ejus confectione pacis præſtitæ, Galliarum Rex Ludovicus XIV. ita reſpondebat, ut Sacram ſedem repetitis precibus pulſaret, ut Virum Chriſtianiſſimæ Galliæ ſuæ usquequaque utilem, in Sacræ Purpuræ gloriam accerſeret. Nec remoratus eſt Sanctiſſimus Pater in eo Viro honorando, qui Pacem orbi reddidiſſet. Hinc Cardinalem dicebat *Anno* 1712. die 18. *Maji*. Nec tamen ante 30 *Januarii* anni ponè inſequentis promulgabatur, & ſat citò, dum ſat benè inſignia merita compenſabantur. Rex non contentus Sacrato Vertici rubeum biretum impoſuiſſe, Abbatiam Anchinam, cujus redditus ultra quadraginta librarum millia aſcendunt, ejus curæ demandandam curavit. Regiæ non minus *Muſicæ* præficiebatur, dignitate in ſummos plerumque Galliæ Dynaſtas cadere ſolitâ, & admirabili eo virtutum ſuarum concentu, concordi ſymphoniæ ordinandæ aptiſſimus videbatur. *Adhæc* Rex Chriſtianiſſimus, ut ſummas hujus principis dotes etiam in ſuis remuneraretur, in ejus Illuſtriſſimum fratrem Caſparum Scipionem Armandum Præfecturam Velaunienſis *Provinciæ* contulerat. Fungebatur is primò omnium inter Regios Protorianos Capitanei munere. Inde Anno 1684. in legione pedeſtri (d' aunis dicta) tribunum agebat. Poſtea Anno 1690. Urbis Annicienſis Gubernator renuntiabatur. Anno 1703. adverſus repullulantes per Galliam Hugonottorum reliquias ſtrennè decertabat; nunquam veriùs triumphare viſus, quâm cùm iis infidelitatis reliquiis dedomitis, Orthodoxæ fidei trophæa per Galliam noviter exſplicaret, Demum in Regio exercitu Supremus locumtenens denominabatur. Adeòque ſi Comparationem inter hoc nobile par fratrum probè inſtituere placeat, non incongruè conficiemus, Eminentiſſimum *Purpuratum* Melchiorem *Polignachium* Sagaciſſimum Ulyſſem exiſtere, quem prudentiſſima conſilia commendent, & in oculis Galliæ longè prætioſiſſimum reddant; contra Scipionem Armandum, in Ajacis fortitudinem excreviſſe; utpote qui ſtylo ferreo in acie rem ſtrenuè peragebat. *Interim* tamen in comperto eſt, non Gallicum Herculem fuiſſe, qui pacem Ultrajectinam extorſerit; ſed hanc ſuam â Galliâ felicitatem togatis in Conclavibus Viris deberi. *Modò* Eminentiſſimus *Purpuratus* res Galliæ, Chriſtianiſſimi Regis in Aulâ Romanâ internuntius, ſolerter curat, dignus viſus, qui in Urbe Orbis Principe Negotiorum ſummæ, & veluti arci rerum præponeretur.



*Fabius Oliverius Pisaurensis, Protonotarius Apostolicus,
Utriusque Signaturæ Referendarius, Brevium Secretorum S.mi D.ni
N.ri CLEMENTIS PAPÆ XI. Secretarius, et Sacri Palatij Apo-
stolici Pro Præfectus, S.R.E. Diaconus Cardinalis Creatus in
Consistorio Secreto die 6. Maij 1715.*

Ioh. Christ. Kolb exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

No. LXI.

FABIVS OLIVERIVS PISAURENSIS.

Fabius SS. Viti & Modesti Cardinalis de Abbatibus Oliverius Pisaurensis ex nobilissima Oliveriorum Familia Progenitus est A. 1658. die 29. Apr. Est, cur Patria Pisaurum tanto cive lætetur, quam sua utut antiquitas commendet, plùs tamen celebranda venit, cùm antiqui candoris virum Sacræ Romæ transmisit. Oræ Hadriatici sinûs adjacet, portu celebris vetusti Operis muro cingitur. Eam ab occidente Pisaurus amnis præterfluit, unde urbi nomen quæsitum. Romanorum olim colonia erat; nam juventute abundantes, idoneas sedes eligebant, unde Subsidia recipere, & inferre possent. Totila Tyrannus magna ex parte diruit; sed è Cineribus, Belisarii curâ, pulchrior renascebatur. Is Urbi præcipuus honos habetur, quod Pontificiorum ad Urbinates Legatorum perpetua sedes existat. Olim Malatestarum, Sphorziarum & Roveriorum factionibus scindebatur, nunc sub Romani Pontificis tutelâ placidè acquiescit. Hanc nactus patriam Oliverius, Alter Belisarius & Patriæ suæ reparator videtur; nam prout ille Occidentalem æquè ac Orientalem Orbem victoriis emensus, & Romani juris Affricam fecit, sic Fabius Oliverius, Pontificiorum Brevium Secretarius factus, saluberrima mandata in omnes quaquaversus Orbis partes expedit, & publicam felicitatem firmat. Sicut ille expulsis Gottis Pisauro, noviter exstructo, securitatem præstitit, sic Oliverius Patriæ suæ fulgidissimum Sydus, benignissimis influxibus eandem beat. In Uno ut differant, boni omnes exoptant. Nam Bellisarium, immortalis nominis Virum, gloria erexit, invidia depressit.

Nullus at invidiæ livor corrodet Olivas,
Æternúmque stabit fronte virente decus.
Nam tibi Sacratas Pallas, tutabere Frondes,
Et ferient Oleas Fulmina nulla tuas.

Enimverò Fabius Olivierius fructifera Oliva est, quæ oleum charitatis in omnes largiter dispensat. Ut Sacræ Reipublicæ Romanæ adjumento esset, juveniles annos vix satis egressus, jam ad pulpita conspiciebatur, ubi dies noctésque egregiis laboribus impendebat. Sex supra triginta annos, in maximè arduis Sacræ Reipublicæ negotiis versatum fuisse constat, antequam Sacræ Purpuræ gloriâ insigniretur. Et toto illo tempore qualescunque labores indefesso studio ita exantlabat, ut ipsi labores, laboribus nunquam suis ipsemet deesse videretur. Cùm se tam maturè ad Sacram Rempublicam transtulisset, juvenem laborantem admirabatur & deprædicabat Innocentius XI. Odeschalcus. Primâ virili ætate pubescentem æstimabat Alexander VIII. Ottobonus. Altiùs progressum complectebatur Innocentius XII. Pignatellus. Summis quibusve dignitatibus sustinendis maturum, in honorum vertice collocabat Clemens XI. Albanus. In ætate provectiori favoribus amplectebatur Innocentius XIII. de Comitibus. Nunc Benedictus XIII. Ursinus, in quo simillimam sui imaginem depictam intuetur, intima charitate ceu suum diligit. Nec etiam deerat, qui in Ultimo quod Romæ instituebatur, conclavi, ad hanc felicitatis Olivam proclamaret. Sed Cœli Ordinatio tunc Benedictum XIII. térque quatérque Benedictum vocabat; Verùm cùm Olivæ quàm Longissimam ætatem ferant, spes de tanto Viro concepta dilata credi potest, non ablata; & desideria dilata crescent. Tam insignia enim hujus Viri existunt merita, ut Clemens XI. triginta & sex annorum contubernio sibi notissimum, magnum aliquando futurum, diu ante

 asse-



Fabius Oliverius Pisaurensis, Protonotarius Apostolicus,
Vtriusque Signaturæ Referendarius, Brevium Secretorum S^mi D^ni
N^ri CLEMENTIS PAPÆ XI. Secretarius, et Sacri Palatij Apo-
stolici Pro Præfectus, S.R.E. Diaconus Cardinalis Creatus in
Consistorio Secreto die 6. Maij 1715.

Ioh. Christ. Kolb exc.

No. LXI.
FABIVS OLIVERIVS PISAURENSIS.

FAbius SS. Viti & Modesti Cardinalis de Abbatibus Oliverius Pisaurensis ex nobilissima Oliveriorum Familia Progenitus est A. 1658. die 29. Apr. Est, cur Patria Pisaurum tanto cive lætetur, quam sua utut antiquitas commendet, plùs tamen celebranda venit, cùm antiqui candoris virum Sacræ Romæ transmisit. Oræ Hadriatici sinûs adjacet, portu celebris vetusti Operis muro cingitur. Eam ab occidente Pisaurus amnis præterfluit, unde urbi nomen quæsitum. Romanorum olim colonia erat; nam juventute abundantes, idoneas sedes eligebant, unde Subsidia recipere, & inferre possent. Totila Tyrannus magna ex parte diruit; sed è Cineribus, Belisarii curâ, pulchrior renascebatur. Is Urbi præcipuus honos habetur, quod Pontificiorum ad Urbinates Legatorum perpetua sedes existat. Olim Malatestarum, Sphorziarum & Roveriorum factionibus scindebatur, nunc sub Romani Pontificis tutelâ placidè acquiescit. Hanc nactus patriam Oliverius, Alter Belisarius & Patriæ suæ reparator videtur; nam prout ille Occidentalem æquè ac Orientalem Orbem victoriis emensus, & Romani juris Affricam fecit, sic Fabius Oliverius, Pontificiorum Brevium Secretarius factus, saluberrima mandata in omnes quaquaversus Orbis partes expedit, & publicam felicitatem firmat. Sicut ille expulsis Gottis Pisauro, noviter exstructo, securitatem præstitit, sic Oliverius Patriæ suæ fulgidissimum Sydus, benignissimis influxibus eandem beat. In Uno ut differant, boni omnes exoptant. Nam Bellisarium, immortalis nominis Virum, gloria erexit, invidia depressit.

Nullus at invidiæ livor corrodet Olivas,
Æternúmque stabit fronte virente decus.
Nam tibi Sacratas Pallas, tutabere Frondes,
Et ferient Oleas Fulmina nulla tuas.

Enimverò Fabius Olivierius fructifera Oliva est, quæ oleum charitatis in omnes largiter dispensat. Ut Sacræ Reipublicæ Romanæ adjumento esset, juveniles annos vix satis egressus, jam ad pulpita conspiciebatur, ubi dies noctésque egregiis laboribus impendebat. Sex supra triginta annos, in maximè arduis Sacræ Reipublicæ negotiis versatum fuisse constat, antequam Sacræ Purpuræ gloriâ insigniretur. Et toto illo tempore qualescunque labores indefesso studio ita exantlabat, ut ipsi labores, laboribus nunquam suis ipsemet deesse videretur. Cùm se tam maturè ad Sacram Rempublicam transtulisset, juvenem laborantem admirabatur & deprædicabat Innocentius XI. Odeschalcus. Primâ virili ætate pubescentem æstimabat Alexander VIII. Ottobonus. Altiùs progressum complectebatur Innocentius XII. Pignatellus. Summis quibusve dignitatibus sustinendis maturum, in honorum vertice collocabat Clemens XI. Albanus. In ætate provectiori favoribus amplectebatur Innocentius XIII. de Comitibus. Nunc Benedictus XIII. Ursinus, in quo simillimam sui imaginem depictam intuetur, intima charitate ceu suum diligit. Nec etiam deerat, qui in Ultimo quod Romæ instituebatur, conclavi, ad hanc felicitatis Olivam proclamaret. Sed Cœli Ordinatio tunc Benedictum XIII. térque quatérque Benedictum vocabat; Verùm cùm Olivæ quàm Longissimam ætatem ferant, spes de tanto Viro concepta dilata credi potest, non ablata; & desideria dilata crescent. Tam insignia enim hujus Viri existunt merita, ut Clemens XI. triginta & sex annorum contubernio sibi notissimum, magnum aliquando futurum, diu ante


 asse-

assereret; nam cùm plures dignitates in Sacrâ Republicâ summa sui commendatione transiret, ab omni tamen fastu semper quàm longissimè aberat; Hinc justitiæ eximius zelator, cùm nullius odia reformidaret, aut amores ambiret, præ illâ reliqua facilè omnia contemnebat. Protonotarius Apostolicus cùm esset, in forensibus causis præclarâ vigebat rerum experientiâ, utpote quem pene juvenem fori negotia exercuerant. Hinc Clemens XI. Romano solio vixdum admotus, Secretarium Brevium dixit, in quo munere ipse, antequam Pontifex crearetur, fuisset. Causæ gravissimæ Oliverio signandæ erant. Imprimis Protestatio solemnis ejus manu exarabatur, quam Dominus Passioneus, Pontificius Procurator ad Badensem pacem ablegatus, ibi deponebat; cùm nemo in eo conventu Mediatoris partes ageret, qui contradicentium protestationes susciperet, Passioneus coram Magistratu loci suam declarationem ac protestationem emiserat, postquam eam Plenipotentiariis tam Cæsaris quàm Gallicis aliisque pluribus aliorum Principum ministris notam fecisset. Ac demum in Publico Reipublicæ Lucernensis Senatu apertè renovaverat. In ea Protestatione â Clemente XI. id reprobabatur, quòd Pax illa Badensis pro normâ, basi, ac fundamento allegaret pacem Westphalicam, quam Sacra Sedes dudum in pluribus ejus articulis rejecisset, & pro irritâ declarâsset. Eadem protestatio adversus Nonum Electoratum, Regium Prussiæ titulum, ac Utriusque Siciliæ jura (cujus directum ac Supremum Dominium Sacra Sedes ut sibi debitum tuetur) extendebatur. Alteram Protestationem Oliverius signabat, quâ Pacificatio Araviensis apud Helvetios inita, nulla & invalida declarabatur, utpote quæ Orthodoxæ fidei juribus adversaretur. Præterea Oliverius Declarationi Pontificiæ unà subscripserat, qua tractatus Altranstadiensis initus An. 1707. itidem rejiciebatur; nec non recessus Religionis, A. 1705. in Palatinatu editus, jussu Pontificis, Oliverii manu reprobabatur, qui videlicet (verba erant Pontificis) Orthodoxæ fidei, Divino cultui, atque animarum saluti, adhæc Ecclesiæ & Apostolicæ sedis Authoritati, libertati, aliisque juribus repugnaret. In iis omnibus laudi sibi integerrimus Antistes ducebat, quòd Sacræ Sedis placitis, calamum audacter stringendo, ad amussim obsequeretur; parùm curando, cùm in externorum quorundam Principum aulis ingratissima hæc cantilena surdis veluti auribus exciperetur. Planè Fabio Oliverio nostra Germania multùm debebit, si quas ille saluberrimè exaravit Sanctiones, accipere demum detur. Integerrimum & Zelosissimum Virum Clemens Pontifex (qui in eo eximia merita, non agnati sanguinis jura intuebatur) Pontificii Palatii Propræfectum nuncupabat, ut doctorum hominum amantissimus, expertissimæ prudentiæ Virum perpetuò penes se haberet; & ille prudentissima consilia è suo Sapientiæ promptuario exerendo, Prudentissimo illo Nestori, qui quot canos numerabat, tot meritis abundabat, undequaque satisfaciebat. Sola restabat Purpura, quæ impensos per septem integra lustra labores solertissimo Viro compensaret. Eam itaque â Clemente XI. An. 1715. die 6. Maij impetraverat, cujus in Consistorio secreto ea de Fabio Oliverio Oratio fuerat. *Fraternitatum vestrarum numero adscribere intendimus dilectum Filium Fabium de Oliveriis, Protonotarium Apostolicum, secretorum Brevium nostrorum Secretarium, ac Palatii nostri Apostolici Propræfectum, cujus honestos mores, sedulitatem, patientiam, ac in primis illibatam fidem longo triginta sex annorum contubernio probavimus.* Integra Roma in Plausus effundebatur, cùm Oliverium, cujus etiam nomen suave in auribus sonaret, eò dignitatis evectum videret. Urbs Pisaurensis suæ felicitatis auguria, ex eâ electione proventuræ, non vana spe augurabatur. Nobilissimam Matrem Juliam Oliveriam, sex & nonaginta annos natam, propitia sors in eam diem conservâsse videbatur, ut ex se natum Romanâ corruscantem in Purpurâ videret. Qualis ex eo tempore Fabius Oliverius fuerit, aut etiam imposterum esse queat, Romanorum Purpuratorum Comitia An. 1724. habita, vel me Tacente satis eloquuntur. Scilicet ex Malachiæ effato

IN BELLO MILES Benedictus dicitur esse,
Grataque post bellum pacis Oliva venit.
Si etiam EXCELSAM velit * ille in sede COLUMNAM,
Iste Columna potens est, erit, atque fuit.

* *Malachia futuro Pontifici Columnam excelsam attribuit.*

No.



CAROLUS S. R. E. DIACONUS
CARDINALIS DE MARINIS IANUENSIS
CREATUS DIE XXIX. MAY MDCCXV
ET PUBLICATUS DIE XVI DECEMB. EIUSDEM ANN.



CAROLUS S.R.E. DIACONUS
CARDINALIS DE MARINIS IANUENSIS.
CREATUS DIE XXIX. MAY MDCCXV
ET PUBLICATUS DIE XVI. DECEMB. EIUSDEM ANI.

Joh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Priv. S. C. Maj.

No. LXII.


CAROLUS DE MARINIS JANUENSIS.

CArolus S. Mariæ de Aquiro Cardinalis de Marinis Januensis natus est ao. 1667, die 16. Martii ex Nobilissimâ Marinorum in Urbe Januensi Familiâ. Is Florentissimam Januam nova felicitate beare visus, quæ cùm conditorem Janum agnoscat, aurea iterùm sæcula vivit, cùm præter Innocentium IV. & VIII. Adrianum V. Sixtum IV. & Julium VIII. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Candinales Dorias, Spinolas, Fliscos, Imperiales, Marinos, Justinianos, Grimaldos, Fulgosios, Pallavicinos, Pasquas, Lomelinos, Pinellos, Saulios Cybos, celeberrima planè Orthodoxi Orbis Lumina, progenuerit, qui Patriæ Suæ felicitatem instaurârunt. Sit Genua superba, & ædificiorum splendore magnifica; parùm hoc esset, nisi magnæ animæ vastum hoc corpus insiderent. Floribus & fructibus abundet, iisque planè cum admiratione exterorum turgescat; sed plùs admiramur prorsùs egregios hortulanos, qui, ut ne in Ecclesiæ horto (ubi messis multa,) operarii pauci existant, Pastorali & solertissimâ curâ suâ efficiunt. Planè Eminentissimus Purpuratus de Marinis, consummatæ Virtutis Dynasta, inclytam Januensium gloriam multùm promovet. Sub Alexandro VIII. & Innocentio XII. Cameræ Apostolicæ Generalem Auditorem agebat. Cùm quidem sub Alexandro VIII. gravissimum bellum, ab Imperatore Leopoldo adversus Ottomannos in Hungaria gestum, Sedi Apostolicæ magni staret, Carolus de Marinis omne studium in id impendebat, ut milite, pecuniis, & reliquo belli instrumento pia Austria adjuvaretur. Sub Innocentio XII. itidem largissimus Auri imber in Hungariam defluebat; & hoc solatii Sacra Roma percipiebat, quòd suos thesauros nunquam majori lucro impendisse visa fuerit; nam invictissimus heros Eugenius, Turcis profligandis natus princeps, propè Zentam, Tibisco fluvio adjacentem, tam nobilem victoriam Anno 1697. ab hostibus reportaverat, ut viginti & duo eorum millia cæsa in acie numerarentur, præter alia quindecim millia, quos ponte rupto, Tibiscus rapax, secum aufferebat. Ex cæsareis non plures quadringentis desiderabantur; tantulo impendio ingens victoria steterat. Ea victoria Cæsari Hungariam, Venetis Peloponesum, & Polonis Caminijecium fortissimum Limitaneum adversus Turcas propugnaculum, in manus dabat. Clemente XI. Regimini admoto, Pontificii cubiculi præfectura Carolo de Marinis conferebatur. Multùm Sanctissimus Pater candido Viri ingenio delectabatur. Planè jurisperitissimus in gravissimis quibusque Sacræ Reipublicæ causis, ad consilium ab eo advocabatur, ubi mentis suæ sensum tam candide denudare consueverat, ut nihil illo sinceriùs visum. Hinc Pontificis in eum favor magis magísque increscebat;

bat, & priusquam in Lusitaniam Michaël Angelus de Comitibus Pontificius Nuntius iret, Carolum de Marinis ad eam Nuntiaturam multorum spes destinabat. Sed Pontifex Clemens Cubiculi sui Præfectum, quem sincerè amabat, & inter familiarissimos habebat, penes se retinere statuerat. Enimverò toto Præfecturæ suæ tempore Optimo Principi prudentibus consiliis assistebat. Ad Bullam Unigenitus promulgandam, religiosissimo Zelo suo multùm conferebat. Nec minùs in Patriæ Suæ litibus, cum Sede Pontificia terminandis totus erat. Ad ea negotia feliciter pertractanda, Jurisprudentiæ eximium studium Viro docto filum præbebat. Noverit se dignissimum Posterum Dominici Antonii de Marinis, qui in Jurisprudentiæ nobilissimo studio tam eximius erat, ut pene omnes illius temporis jurisperitos post se relinqueret. Funerabatur Lux illa Legum Civilium Anno 1666. Sed non unà efferebantur ingenii sui partus; nam hodiedum exstant, & in doctorum manibus versantur Resolutionum thomus I. & II. &c. Alius etiam ex nobilissimâ hac Marinorum Familiâ in Sæculo XIII. Januæ Philosophiæ scientia nobilis florebat; is etiam, ne sua una secum philosophia tumularetur, insignem librum de confusione linguarum, & librum de secretis naturæ relinquebat. Nec minùs Carolus de Marinis utrumque Studium Philosophicum æquè ac juridicum bellissimo fœdere junxerat. Philosophia facem præferebat, ad vitam quàm rectissimè & veræ rationi conformiter instituendam. Jurisprudentia viam monstrabat, quatenus suum cuilibet jus summa integritate administraret. Insignibus iis qualitatibus Clemens XI. permotum se sentiebat, ut Sacram Purpuram Viro, de Republicâ tam præclarè merito adjudicaret. Facta fuerat promotio Anno 1715. die 19. Maji; licet publicatio non ante diem 16. Septembris ejusdem anni subsequeretur. Tunc quidem Pontificis de eo Oratio ea fuit. *Creare intendimus Carolum de Marinis, quem ut probe nôstis, in ipso Pontificatûs nostri Primordio jam à decennio & ultra sub duobus prædecessoribus nostris Cameræ nostræ Apostolicæ Generalem Auditorem, adeóque tam ante quam post suppressionem venalitatis ejusmodi officii illo fungentem invenimus; inde verò post alios fere novem annos ab eo in eodem munere transactos, ad Pontificii nostri cubiculi Præfecturam, quam sex & ultra annis exercet, transtulimus.* Ea Promulgatio facta non modò nobilissimam familiam de Marinis, verùm etiam totam Januam Purpurati Civis honore triumphabundam, in gaudium erigebat; nec minùs Sacra Roma exultare visa.

Nam cùm natus Romæ, oriundus Januâ sit, Clarissimum Civem
Urbs utraque ex æquo sibi vindicat.

No.





IULIUS ALBERONUS ABBAS PLACENTINUS
S.R.E. DIACONUS CARDINALIS
CREATUS ET PUBLICATUS À SSMO DNO NRO CLEMENTE PA=
PA XI. IN CONSISTORIO SECRETO HABITO IN QUIRINALI PA=
LATIO DIE XII. IULII. MDCCXVII.

Ioh. Christoph Kolb exc.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maje. Cath.

No. LXIII.

JVLIVS ALBERONVS PLACENTINUS.

IUlius S. Adriani Cardinalis Alberonus Placentinus natus est An. 1664. die 30. Martii. Parentes nactus erat honestissimos; sed qui diurno labore viverent. Hortum coluisse constat. Credo, ut Julius Abdalonymi instar esset, qui ad Regalem Purpuram ab areolis evocaretur. Enimverò Julius ab incunabulis statim prodidit, quantus denique Vir in publicum Orbis theatrum progressurus esset. Tam vivida vis memoriæ, & ea perspicacia ingenii in puero erat, ut coætaneos suos multis post se parasangis relinqueret. Apud Canonicos Regulares S. Pauli (quos etiam Barnabitas indigitamus, eò quòd Divi Barnabæ cultui unicè mancipati sint) literas humaniores edocebatur; & statim historias tam probè callebat, ut nihil ex omni retro antiquitate esset, quod ejus perspicaciam ingenii supterfugeret. Hinc ille futuræ sapientiæ fundamina jaciebat, & Historiâ duce, præterita probè dignoscebat, præsentia ordinabat, & futura introspiciebat. Postea sublimiorum scientiarum curriculum ita percurrebat, ut summum futurum, omnes augurarentur. Inde Sacris Ordinibus initiabatur, beneficio in principe Urbis Ecclesiâ obtento. Statim postea Barnius Pontificis apud Ravennates Prolegatus, eum ad suas ædes traduxerat, optimum & fidelissimum œconomum (eo enim munere fungebatur) expertus. Postquam Barnius ad Archiepiscopatum Placentinum promotum se vidit, Julium Alberonum in patriam urbem unà secum attraxit; & cùm ejus Viri solertissimam indolem perspectam haberet, Barnium quemdam ex agnatis ejus curæ committebat, ut in optimis Civilis Regiminis artibus probè informaretur, quas summus ille rerum magister, ex intimis politiæ visceribus, ad amussim callebat. Exinde Julius cum Episcopo Castri S. Dominici ex Comitibus Ronconveriis, quem Dux Parmensis ad Vendomii castra ablegârat, eò unà se conferebat. Cùm Gallicam linguam eleganter loqueretur, & eruditionem non vulgarem exhiberet; adhæc in dictis & factis insignis sapientia promicaret, facilè se Vendomio Gallorum Herculi probabat; ita ut aularum negotiis unicè factum, à se neutiquam dimittendum decerneret. Enimverò Gallicus ille Achilles hunc veluti Patroclum suum tanto amore prosequebatur, ut non alio quàm CHARI ABBATIS sui nomine tam doctum caput compellaret. Et ex iis initiis grande hoc Sapientiæ domicilium ad summum denique gloriæ apicem exsurrexerat. Nam Dux Parmensis Franciscus Farnesius, probè animadvertens, summum gratiæ locum ab hoc subdito suo in Gallorum castris teneri, non modò Comitis titulum & prærogativam meritissimo Viro liberaliter indulsit, verùm suarum etiam apud Vendomium Procuratorem rerum esse voluit; quam ille provinciam tam gnaviter obibat, ut Principi suo ad amussim satisfaceret. Vendomio ad Belgicam militiam translato, ejus lateri perpetuò adhærebat. Nec etiam in Hispaniam digressum destituebat, sed filum à fortuna inchoatum strenuè prosequebatur, & quam sibi ad gloriam consequendam Sors viam aperiebat, in remotissimâ etiam Regione quærebat. Parisiis tamen, antequam in Hispaniam iret, paulisper moratus, non modò ad Regias manus, Vendomio aditum sternente, deosculandas admittebatur; verùm etiam annuâ pensione, Regis munificentiâ, condonatum se vidit. In Hispaniâ homo licet Italus,

in omnem tamen partem mirâ ſolertiâ verſatilis, in Hiſpanorum mores unà & amores facilè immigrabat. Solemne illi erat, ſolidas noctibus dies maritare, & tempora ſomni arctiora quàm noctis erant. Plerumque per diem naturalem octodecim integras horas laboribus conſecrabat, ſolas ſex reliquas horulas ad quietem ſibi aut ſomnum capiendum vir indefatigabilis ſepoſuerat. Ingenium ei ubivis præſens erat, nec quicquam contingere viſum, quod ille non diu antea admirabili ſagaciâ proſpexerit. Virili gravitate cùm polleat, nihil tamen humanitate illius, quâ nec infimum quemquam ex plebe præteritum volebat, ad demulcendos hominum animos concinniùs viſum. Regnorum arcana & grandia quævis conſilia tam alto ſilentio, & diſſimulatione contegere nunquam non viſus eſt, ut nihil minùs, quàm quæ vel maximè agebat, prudentiſſimus Princeps, agere crederetur. Corpore parvus, animo tamen, quô ſolô vinci nunquam potuit, maximus eſt. Ipſi Oculi (quos cordis feneſtras indigitamus) amœnè ſcintillantes ſatis eloquuntur, quanta in animo Sapientia hoſpitetur. His tot naturæ & ingenii dotibus ornatus, quid mirum, ſi in Philippi V. Regis Hiſpaniarum gratiam non tam irrepſit, quàm arcana quadam virtutis vi potenter ſemet inſinuavit. Nec ante beneficium obtinebat, quàm maximum dediſſet; Nam Arragonia & Valentia in Regis obſequio, ejus viri ſolertia conſervatæ dicuntur: certè per utrumque regnum ſagaciſſimus Dynaſta dies noctésque circumcurſabat, & ſummâ illâ, quâ ad ſtuporem audientium pollet, facundiâ, nutantes animos ad Philippi V. partes propiùs inflectebat. Poſt Vendomii mortem, quæ contigit An. 1712. die 10. Junii, Lutetiam Pariſiorum ibat, Galliarum Regem probè edocturus, quis rerum ſtatus per Hiſpaniam eſſet. Quotus in acie miles, in aula Dynaſta pro Rege ſtaret. Quantùm Philippus V. Gallicis ſubſidiis juvandus eſſet, ut bis nutans in regio capite corona ſolidaretur. Auditus eſt cum ſumma attentione â Regum Sapientiſſimo, qui ex ejus vultu & ore, quo oracula promere viſus, penitus defixus hærebat. Remiſſus eſt regiis mandatis luculenter inſtructus. Immò Dux Parmenſis eum ſuum in Regiâ Aulâ miniſtrum denominaverat, quo quidem publico charactere inſignitus, tunc primò omnium prodiit. Statim res contigit, quæ felicitatis telam, tam feliciter ejus Sapientiæ Viri inchoatam, penitus abſolveret; nam Mariâ Ludovicâ Gabrielâ Sabaudâ Anno 1714. die 14. Februarii è vivis ſublatâ, Philippo V. nova Sponſa quærebatur, Hiſpanorum magnitudini par futura. Et Julius Alberonus in cauſâ fuiſſe perhibetur, ut Eliſabetha Parmenſis Eduardi III. Parmæ & Placentiæ Principis, & Dorotheæ Sophiæ Palatinæ filia, ad regium Hiſpaniæ culmen evocaretur. Protinus non ſucceſſivis intervallis & veluti per gradus ad ſumma quæque pervenit; ſed altiſſimum gloriæ verticem priùs tenuit, quàm ſcandere viſus ſit. Nec Hiſpani proceres, utut authoritatis retinentiſſimi, homini extero invidere viſi, in quo tot eximia decora, quot ſimul omnia raró admodum in eodem ſubiecto concurrunt, reperiebantur. Primò quidem Mallaccæ Epiſcopatus, cujus redditus ad ſeptuaginta aureorum millia facilè aſcendunt, Philippi V. regiis favoribus ei conferebatur. Statim exinde Hiſpalenſem Archiepiſcopatum, qui ſecundum â Toletanâ Eccleſiâ locum obtinet, Rex eidem attribuit; cujus tamen Confirmatio â Sede Pontificiâ ſuſpendebatur, eò quòd Sacrorum Canonum placita obſtare viderentur, ne â Malaccenſi Epiſcopatu recentiſſimè obtento, uno veluti ſaltu ad Archiepiſcopalem ſedem tranſiliretur. Rex tamen apud ſedem Apoſtolicam pro impetrandâ confirmatione ardentiſſimè inſtabat, facilè obtenturus, niſi repens rerum mutatio exorta, eos veluti in cunis conatus intervertiſſet. Interim in Hiſpaniâ Julius Miniſtriſſimum agebat: Rex ejus oracula venerabatur, integra Hiſpania, quem Rex unicè diligebat, vix non adorabat,

rabat, exteri etiam principes primæ admissionis Ministrum, summopere excolebant. Sola Purpura restare videbatur, quâ summa Viri Merita condecorarentur; nam Julio Alberono ad clavum in Hispaniæ Regno sedente, contigêre non pauca, unde Sancta Mater Ecclesia gauderet. Primò Philippus Hispaniæ Rex Catholicus, pro eô, quô se teneri declaraverat, Ecclesiæ jura tuendi singulari studio, disertè mandaverat, ut vetitum jam dudum Hispanæ Nationi cum Romanâ Curiâ commercium (ex eo videlicet tempore, quo Carolum III. Hispaniæ regem Sacra Sedes agnoverat) prorsus in integrum restitueretur. Secundò ut Pontificius in illis regnis Nuntius, ejúsque Tribunal, Ministri, & Officiales quilibet ad prærogativas, honores, facultates, ac jurisdictiones omnes, quibus antea frui ac potiri consueverant, plenè redintegrarentur. Tertiò ut omnia tam ad Ecclesiam, quàm Apostolicam sedem pertinentia, prorsus in eum statum reponerentur, quô fuissent, quando Carolus II. regali in solio sedebat; quæ postrema declaratio multum faciebat, ad multas Ecclesiasticæ jurisdictionis, ac Apostolicæ Authoritatis Offensas cumulatè reparandas. Demum Philippus V. multas bellicas naves in Turcas armaverat, quæ reliquis junctæ, in totius Christianitatis emolumentum longè maximum Mari Mediterraneo immittebantur. Hæc tot tantáque beneficia Sanctissimus Pater magna ex parte in acceptis referebat Julio Alberono Hispaniæ Ministrissimo. Hinc eum in Consistorio Secreto habito Anno 1717. die 12. Julii, Cardinalem â se nuncupandum ducebat. Causas luculenter propalabat; Nam facta prædictorum beneficiorum commemoratione ita subinferebat. *Hæc omnia pertractata, acta, gesta, ac tandem ad eum, quem audistis, felicem exitum perducta, & stabilita fuerunt enixo potissimum studio dilecti Filii Julii Alberonis, cujus scilicet unius operâ præfatus Philippus Rex in ejusmodi negotiis usus fuit. Accedit ad ipsius Alberoni commendationem: quod idem hic est, qui memorati Regis Philippi jussu sedulò curavit, ut anno præterito plurium bellicarum navium, ac triremium agmen munitissimum adornaretur, quod ab eodem Rege rogatu nostro in auxilium Christianæ Classis adversus Turcas transmissum fuit; nec sanè imparem adhibuit curam, ut etiam hoc anno â prædicto Rege in eundem finem mitteretur aliud validius sexdecim bellicarum navium subsidium, quod omnibus necessariis optimè instructum è portu Gadicensi jam solvisse nuperrimè accepimus. Æquum propterea existimamus præsertim, ut nostram erga Regem, qui Nobis & Ecclesiæ satisfacere non erubuit, paternam charitatem luculento aliquo testimonio comprobemus, Virum hunc ei gratum, similíque de Apostolicâ Sede, ac de publicâ causâ præmissis nominibus benè meritum Fraternitatum vestrarum numero adscribere: ut alacriùs ad alia, & quidem majora in posterum peragenda, quæ Christianæ Reipublicæ, & Catholicæ Ecclesiæ læta esse possint, & utilia tam Rex ipse, quam idem ejus Minister Alberonus amplissimo hoc Pontificiæ largitatis munere vehementiùs inflammentur.* Hæc de Julio Alberono Sanctissimus Pater. Sed quæ rerum humanarum vicissitudo est, subitò exorta tempestas tam Serenum Cælum tristibus nubilis involvebat; & die 5. Julii tantus Princeps inter rara variantis fortunæ exempla numerandus integro Regno, cui tam utilem operam navâsse videbatur, excedere jussus. Mox nova tempestas è Capitolio in Magnanimum Virum, & invidorum artibus, prout in litis progressu apparebat, circumventum, detonabat. Nam Sevestæ Tiguliorum (sestri di Lepante vocant) â Januensibus, requirente Pontifice, appositâ custodiâ, suis in ædibus servabatur; sed ne hospitalitatis jura infringere videretur, laxatâ custodiâ, Senatus Januensis liberum dimitti curaverat. Hic enimverò tam acerbè â fortunâ vapulans, stabat tamen adversus Calamitates inconcussus Princeps, nunquam visus magis mirandus, quàm cùm fortunæ insultantis ictus imperterrito animo exciperet. Certè ceu ea calamitas ad se non pertineret, vultu semper imperterrito, & exsplicato frontis honore conspiciebatur, ita ut penè in stuporem raperentur, qui Virum calamitosum, sed simul de præteritâ suâ vitâ nihil

hil remittentem, in feras usque noctes laboriosum, inter amicos ridentem, suaviter cum omnibus conversantem, & veluti imaginariam (ut ita dicam) etiam in illo rerum statu Rempublicam gerentem conspiciebant. Cùm causa, quæ tantum Virum afflixit, invidiosè per totum Orbem traducta fuerit, neque hìc â me reticenda, ita tamen, ut simul tuear, videtur. Reus agebatur, quòd sexdecim bellicæ naves anno 1717. adversus Turcas destinatæ, in anchoris nunquam solutis hæsissent; immò quòd ipsius etiam consilio bellum adversus Cæsarem, cui tunc vel maximè cum Turcis res in Hungaria erat, ab Hispania decretum fuerit. Ea omnia Julius in oculis totius Europæ luculenter refutaverat, suarum etiam prototypon literarum, ad Regem datarum, exhibendo, quibus bellum in eo rerum articulo, quo tunc deprehensa Christianitatis salus hærebat, ceu minùs decorum futurum apertè dissuaserat. Culpa itaque in alios (quoscunque demum) malignorum consiliorum suggestores recidebat. Postquam Clemens XI. Pontifex integerrimus, & justitiæ laude florentissimus, è vivis excessisset, Sacri Collegii Senatores unanimi calculo censuerant, Julium Alberonum, cujus indemnatam memoriam venerabantur, dignissimum videri, qui ad Sacrum Conclave pro novo Pontifice eligendo advocaretur. Advolabat ille contrà, ac invidi opinabantur, innocentiâ suâ plenissimè fretus. Integra Roma, advenientis Famâ commota, ad portam effundebatur; & Virum humanissimum intueri, & in ejus amores effundi, unâ contingere visa. Tunc quidem Palatium in Campo Martio incolebat, ipse adversus Fortunæ injurias Mars alter futurus. Enimverò pleno statim sydere sol iste Romanis micabat. Largissimas eleemosynas in pauperes dispensando, eorum beneficentissimus parens audiebat. Triginta Romanas puellas, dote liberaliter attributa, honesto nuptui collocaverat. Ingentem auri vim profundebat, ut complures, ob æs alienum contractum carceri mancipatos, pretio soluto, eximeret. Talem denique se omnibus exhibebat, ut prorsus alium, quàm quem malevolorum artes depinxerant, oculatissima Roma intelligeret. Ergo ab Innocentio XIII, ipsâ videlicet Innocentiâ tanto Virtutis Alumno suffragante, facile absolvebatur quem vita sua integerrimè peracta, jam dudum absolvisset. Ex ejus manibus purpureum Galerum, suo impositum Vertici, recepit; tunc demum verè Julius dicendus, utpote qui tot Pompejos, seu suæ invidos gloriæ magnificè detriumphârit. Non defuère, qui Maximum hunc Cardinalem Julium Alberonum, decantatissimo Purpurato Julio Mazarino, eorum comparatione Virorum non inconcinnè institutâ conferrent. Nam utrique idem Julii nomen obtigerat. Uterque Politicorum artibus circumventus, è summo apice, quem ancillante fortunâ attigerat, momento citiùs præcipitabatur. Julius Hispaniâ, Mazarinus Galliâ expulsus est. Mazarinus improsperâ fortunâ detriumphatâ rediit: Julius Alberonus penè in procinctu, ut redeat, stare videtur. de utroque hi versus exstant.

Purpura num tulerit, mihi dic plus Julio honoris,
  Julius attulerit plúsne decoris ei?
Julius excelso Mazarini nomine gaudet,
  Aut fieri aut factis quis neget esse parem?

hil remittentem, in seras usque noctes laboriosum, inter amicos ridentem, suaviter cum omnibus conversantem, & veluti imaginariam (ut ita dicam) etiam in illo rerum statu Rempublicam gerentem conspiciebant. Cùm causa, quæ tantum Virum afflixit, invidiosè per totum Orbem traducta fuerit, neque hic â me reticenda, ita tamen, ut simul tuear, videtur. Reus agebatur, quòd sexdecim bellicæ naves anno 1717. adversus Turcas destinatæ, in anchoris nunquam solutis hæsissent; immò quòd ipsius etiam consilio bellum adversus Cæsarem, cui tunc vel maximè cum Turcis res in Hungaria erat, ab Hispania decretum fuerit. Ea omnia Julius in oculis totius Europæ luculenter refutaverat, suarum etiam prototypon literarum, ad Regem datarum, exhibendo, quibus bellum in eo rerum articulo, quo tunc deprehensa Christianitatis salus hærebat, ceu minùs decorum futurum apertè dissuaserat. Culpa itaque in alios (quoscunque demum) malignorum consiliorum suggestores recidebat. Postquam Clemens XI. Pontifex integerrimus, & justitiæ laude florentissimus, è vivis excessisset, Sacri Collegii Senatores unanimi calculo censuerant, Julium Alberonum, cujus indemnatam memoriam venerabantur, dignissimum videri, qui ad Sacrum Conclave pro novo Pontifice eligendo advocaretur. Advolabat ille contrà, ac invidi opinabantur, innocentiâ suâ plenissimè fretus. Integra Roma, advenientis Famâ commota, ad portam effundebatur; & Virum humanissimum intueri, & in ejus amores effundi, unâ contingere visa. Tunc quidem Palatium in Campo Martio incolebat, ipse adversus Fortunæ injurias Mars alter futurus. Enimverò pleno statim sydere sol iste Romanis micabat. Largissimas eleemosynas in pauperes dispensando, eorum beneficentissimus parens audiebat. Triginta Romanas puellas, dote liberaliter attributa, honesto nuptui collocaverat. Ingentem auri vim profundebat, ut complures, ob æs alienum contractum carceri mancipatos, pretio soluto, eximeret. Talem denique se omnibus exhibebat, ut prorsus alium, quàm quem malevolorum artes depinxerant, oculatissima Roma intelligeret. Ergo ab Innocentio XIII, ipsâ videlicet Innocentiâ tanto Virtutis Alumno suffragante, facile absolvebatur quem vita sua integerrimè peracta, jam dudum absolvisset. Ex ejus manibus purpureum Galerum, suo impositum Vertici, recepit; tunc demum verè Julius dicendus, utpote qui tot Pompejos, seu suæ invidos gloriæ magnificè detriumphârit. Non defuêre, qui Maximum hunc Cardinalem Julium Alberonum, decantatissimo Purpurato Julio Mazarino, eorum comparatione Virorum non inconcinnè institutâ conferrent. Nam utrique idem Julii nomen obtigerat. Uterque Politicorum artibus circumventus, è summo apice, quem ancillante fortunâ attigerat, momento citiùs præcipitabatur. Julius Hispaniâ, Mazarinus Galliâ expulsus est. Mazarinus improsperâ fortunâ detriumphatâ rediit: Julius Alberonus penè in procinctu, ut redeat, stare videtur. de utroque hi versus exstant.

Purpura num tulerit, mihi dic plus Julio honoris,
 Julius attulerit plúsne decoris ei?
Julius excelso Mazarini nomine gaudet,
 Aut fieri aut factis quis neget esse parem?

No.



Alexander Albanus Cameræ Apostolicæ Clericus Vrbinas, S.R.E. Diaconus Cardinalis creatus à SS.mo D.N. INNOCENTIO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 16. Iulij 1721.

Ioh. Christ. Kolb. exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.


No. LXIV.

ALEXANDER ALBANUS URBINAS.

ALexander S. Mariæ in Cosmedin Cardinalis Albanus Urbinas, Cardinalis Alexander nuncupatus, natus est Anno 1693. ex celeberrimâ Albanorum familiâ, quæ tria præclara sydera nostra hac ætate Orthodoxo orbi dedit: Clementem XI. Albanum Pontificem Maximum, Annibalem & Alexandrum Albanos, tanto patruo dignissimos nepotes. Illustrissimi Albani Græcæ originis sunt; nam ex Albaniâ, turcarum armis pulsi, in Italiâ suæ sedem Sapientiæ fixerunt. Ibi in duas stirpes abibant, quarum una apud Bergomenses, altera Urbinates inter inclarescebat. Ex Bergomensi Lineâ progressus fuerat Joannes Hyeronymus Albanus, sua ætate jurisperitus omnium longè celeberrimus visus. Et tamen Vir insigniter doctus, Martem sequebatur: In eo videlicet generosus sanguis ebulliebat, ut fortissimâ dextrâ gladium in Turcarum jugulis defigeret; Militari coronâ gloriosè donatus, ad forensia civilis regiminis munia redibat; nam Excellentissima Venetorum Respublica Urbem Bergomensem Viro clarissimo regendam committebat. Verùm ille in civili æquè ac militari Republicâ probè exercitatus, ad Sacram aspirabat: & quocunque se vertebat, summus apparebat. Pius V. Sacræ Fidei Zelatorem mirificum, Romam ad se evocabat; nec etiam, conjuge sua amissâ, aliam quàm Ecclesiam Sponsam Hyeronymus ambiebat. Hinc Anno 1570. Sacro Purpuratorum Collegio adlegebatur, ubi dubium relinquebat, an majus decus Purpuræ inferret, aut ab eâ ipsemet mutuaret. Planè Pio V. Sanctitatis sydere, oculis mortalium anno 1572. subducto, propè erat, ut ad Divi Petri Cathedram Albanus eveheretur: Solum id obstare visum, quòd tres filios Joannem Baptistam, Franciscum, & Dominicum, legitimo thoro progenitos haberet; unde in Gregorium XIII. Sacri Senatûs vota denique conspirabant. Tres illi Hyeronymi, ut dixi, filii, suâ commendati prudentiâ inter Romanos Senatores assumebantur, Patres Patriæ facti, & Romanæ Magnitudinis comparticipes. Verùm adhuc multò felicior Joannes Hyeronymus, in literario partu suo, in oculis orbis relicto, exstitit, & insignis ille tractatus de Immunitate Ecclesiastica, quem Julio II. Anno 1553. inscripserat, nec non alii tractatus de potestate Papæ & Concilii: de donatione Constantini: de Cardinalatu &c. magni viri nomen perpetuò loquentur. Nec minus Urbinates Albani inclyta sui famâ nobilitabantur. Horatius Albanus Eminentissimi nostri Purpurati Alexandri Proavus, Vir eximiè doctus, ab Urbano VIII. Barberino Senatoribus & Patritiis Romanis, Patriæque Patribus ob præclara merita annumerabatur: cujus uxor Olympia Stacoli, altera veluti Bere-

cynthia futura, & majorum gentium Deos progenitura, quindecim Proles mundo dedit. Carolus Albanus Alexandri Avus apud Carolum Barberinum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Primum Camerarium agebat, cujus frater Hannibal Albanus â prædicto Urbano VIII. Vaticanæ Bibliothecæ præficiebatur, eò quòd doctrina prorsus insignis reperiretur. Horatius Albanus Alexandri Clarissimus Pater suis in prolibus felicissimus erat. Namque is progenuit *primò* Hannibalem, natum anno 1682. die 13. Augusti, cujus insignia in Christianam Rempublicam merita pagina 52. exposuimus: *Secundò* Carolum Albanum, Principem de Sorano, quem Carolus VI. Romanorum Imperator anno 1719. Sacri Romani Imperii Principem denominavit. Is Principum gemma meritò nuncupandus, ex calculi doloribus anno 1724. gravissimè decumbebat: cùm de ejus vitâ actum omnes crederent, nisi sectionem pateretur, semet Ordinationi Dei & Medicorum consilio penitus permittebat; verùm cùm ea incisio sub tempus matutinum die 31. Maij facta fuisset, postera die horâ VIII. funus erat, ob insignes animi dotes eò magis deplorandus Princeps, quod atrox libitina pretiosissimæ vitæ filum ætatis suæ anno XXXVII. nimis quàm maturè abrupisset. *Tertiò* genitus est Alexander Albanus, quem hîc referimus. Demum filia Horatii unica Maria Grazia erat, quæ Institutum Monialium de monte Carmelo professa, in Honorem Clementis XI. Albani, â Sancto Clemente nuncupabatur. Enimverò Clemens XI. Annibalis, Caroli, Alexandri, & Mariæ gloriosissimus Patruus grandibus meritis suis totum complectebatur orbem. Statim ac ad Sacram Cathedram ascenderat, Cardinalem Tournonum ad Sinenses ablegaverat, ut quô locô res Sinensis esset, in illa relationum discrepantiâ penitiùs dignosceret; immò Divinæ Providentiæ rem maximè arduam committendo, anno 1714. die 19. Martii definitoriâ sententiâ, intrepidus Athleta rem aggrediebatur, quæ cum maximos motus in Sinarum regno excitatura videretur, cœlesti tamen indubiè auxilio factum, ut Aula Sinensis eâ declaratione factâ nullatenus offenderetur. Nec minus intrepidus hic Pontifex in Quesnelli errores, ejúsque propositiones centum est unam, licet causæ pessimæ Patroni non deesse viderentur, generosè detonabat. Solemnibus quibuscunque tractatibus, inter Europæ Principes initis, fortiter reclamabat, si quidquam in iis contineri reperiret, unde Sacræ Sedis Jura, & Orthodoxæ Ecclesiæ incolumitas læderetur. Ad Abyssinos novos è Franciscanâ Familiâ Missionarios mittebat, & lætissimis inde nuntiis recreabatur. Idem quadringentas puellas Romanas suis expensis honesto nuptui collocaverat. Ad bellum Turcicum ex Apostolico ærario ingentem pecuniæ vim Cæsari subministrabat. Cùm annonæ caritas in Italiâ esset, duo millia villicorum, qui ex agris, fame urgente, Romam confugerant, liberali manu alebat. Pium V. Andream de Avallino, Felicem de Cantalicio, & Catharinam de Bononiâ Sanctorum fastis inferebat. Toto quo sederat tempore septuaginta Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales creabat, tot videlicet, quot ex Bullâ Sixti V. simul esse possunt. Cui itaque mirum videatur, si tam præclarum Patruum nactus Alexander Albanus, sub ejus grandæva disciplinâ maximus evaserit? Adolescentiam vixdum egressus, ab inclyto Equitum Melitensium Ordine anno 1709. non modò inter suos adoptabatur, verùm etiam Magnus Prior Armeniæ dicebatur. Alter videlicet Alexander Macedo futurus, qui in Orientales plagas generosas curas extenderet. Eodem anno Annibal Albanus sui simillimum fratrem Bononiam secum ducebat, ut Fridericum IV. Daniæ regem, quem laudabile pulcherrimæ Italiæ perlustrandæ desiderium ex ipsis usquequaque Septentrionalibus plagis in Occidentales Oras evocaverat, Pontificis nomine salutaret, & unà invitaret, ut ne Romam principem Orbis Urbem, cùm reliquam Italiam viseret, præteritam vellet. Anno 1710. Ædes Albanæ, in pomœrio

moerio extra urbem prope Ecclesiam Sancti Sebastiani ædificatæ, eorum Principum insigni pietate, pro novâ Ecclesia Divo Fabiano dedicandâ, destinabatur. Anno 1711. sub disciplinâ R. R. P. P. Societatis JEsu in Seminario Romano prorsus egregios Alexander progressus faciebat; sed Horatio Albano parente magno Romanæ Urbis luctu Anno 1712. eláto, ad fraternas ædes Annibalis Albani transferebatur. Anno 1713. Clericus de Camera à Clemente XI. ejus ingenio nepotis multùm delectato, nuncupabatur. Anno 1716. Humoristarum (ut vocantur) Academia eximiæ Prudentiæ Principem in Caput eligebat. Tunc ille longè celeberrimum Musæum instruebat, in quo, quidquid antiquitas rarum & carum habet, reponebat. Anno 1717 apud Urbinates doctoratûs laureâ condecorabatur. Romam reducem Passioneus, Vir primæ apud Clementem admissionis, comitabatur. Anno 1719. Pontificiorum Memoralium Expeditor factus, arduo muneri undequaque satisfaciebat. Anno 1720. Melitensem Commendam magnorum redituum in Monte Flasconis obtinuerat. Eodem Anno Nuntius Pontificis destinabatur, qui Viennam regiam Austriæ Urbem iret. Eum abeuntem Clemens XI. Pontificia Benedictione impertiebat. Cæsar Sacræ Romæ semper Studiosissimus, quàm ægrè Georgium Spinolam Charissimum caput, â se dimittebat, tam vehementer postea in Alexandri amores effundebatur. Pro Commachio Sacræ Sedi restituenda, præclarus ille Nuntius vehementer instabat. Verùm cœptam telam, ad Purpuræ videlicet honorem brevi postea, evocatus, absolvere non potuit. Nam Innocentius XIII. Clementis Successor inter primas Sacri Regiminis sui curas habebat, ut hoc Sydus tot virtutibus inclarescens, in Romanorum Purpuratorum fulgidissimum cælum transponeret. Ipse etiam Imperator, præclaris Viri dotibus eximiè captus, utilissimam Sacræ Reipublicæ operam â se impendi credebat, si Clementis XI. dignissimum nepotem Augustissima manu pro purpurâ recommendaret. Eam itaque Alexander Albanus â Prædicto Innocentio XIII. Anno 1721. die 16. Julii obtinuerat, summo Romanorum, Albanæ Domûs, & Urbinatium applausu. Tunc quidem octo & viginti annos, in Sacro Purpuratorum Collegio omnium natu mininus numeraverat; sed promicans ex eo Sapientia supra ætatem erat. Et qui cum prima lanugine Purpuram meritus est, in provectiori ætate Gloriosissimi Patrui solium, est, cur suffragante sapientia sperare possit. Amavit Ecclesia Clementem, cujus vel ipsum nomen ad amorem omnes provocavit. Amabit Annibalem, strenuum Heroem in Sacræ Romanæ Ecclesiæ juribus fortiter tuendis. Amplectetur Alexandros, quarumcunque difficultatum nodos ancipiti Sapientiæ gladio dissoluturos.



No.

EMINENTISSIMI CARDINALES DENOMINATI

A BENEDICTO XIII. P.M.

No. LXV.

JOANNES BAPTISTA DE ALTERIIS ROMANUS.

JOannes Baptista de Alteriis Romanus, Archiepiscopus Tyrensis, Camerae Apostolicae Decanus, Sacrae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis vel inde Magnus nuncupandus videtur, quòd primus omnium fuerit, qui Sacro Benedicti XIII Pontificis ore Cardinalis dictus est. Enimverò in dignissimum summum ilud Purpurae honestamentum cadebat; nam per varia Sacrae Reipublicae munia exercitatus, experientiam afferebat, gravissimis quibusve rebus gerendis futuram parem. Cùm sua Sanctitas in Urbe Beneventanâ Episcopum ageret, complurium annorum arctâ familiaritate Alterio junctus erat, ab ipso vicissim non alio quàm parentis loco habitus; Certè in eo colendo tantopere Alterius versabatur, ut ad ejus unicè intentus nutus, hoc Oraculo inconsulto nihil agere videretur. Capiebatur Vincentius Maria Ursinus utplurimùm miti & comi ejus animo, quem cùm summis quibusve disciplinis imbutum intueretur, non aberrante vaticinio futurum Magnum autumabatur. Sibi videlicet calcanda Joannes Baptista credebat Gloriosissimi Antecessoris sui vestigia, quem Clementis X. nomine Orbis Orthodoxus Romano in solio adorabat. Antequam Pontifex fieret, sub Urbano VIII. ad Neapolitanos Nuntius ibat: Eum Philippus IV. Hispaniarum Rex summopere diligebat, regiâ etiam munificentiâ suos in Alterium amores contestatus. Postea ab Alexandro VII. ad Polonos ablegabatur, difficillimam nactus Nuntiaturam; nam Joanne Casimiro regnante, Sueci, Mosci & Tartari triplici exercitu miserandam Poloniam torrentis instar inundabant, ita ut amplissimum illud Regnum, si unquam, tunc certè nutaret. Affuit tamen laboranti Regi Æmilius Alterius, regnum percursabat, ut abalienatos proceres legitimo Regi reconciliaret, in eo omnem industriam & nervos intendebat, ut Catholica Religio per integrum Regnum salva staret & incolumis. Hinc venerandum hodiedum existit Poloniae Alteriorum nomen, prout etiam Casimiri Successor Michaël fusis, fugatisque Turcis Anno 1674, & signis bellicis in victoriae nobile trophaeum reportatis, ea Romam miserat ad Æmilium Alterium, Beatorum Apostolorum tumulo offerenda, ut de reportatâ victoriâ gratias Deo referret immortales. Pontificatum obtinuerat Anno 1670. die 29. Aprilis, ea quidem die, qua festum S. Clementis Martyris celebrabatur; hinc etiam Clementis nomen assumpserat. Tunc Numisma cudebatur in memoriam


Electionis



Ioannes Baptista de Alterijs Romanus Archiepisco, pus Tyrensis Cameræ Apostolicæ Decanus S.R.E. Pres, byter Cardinalis creatus à SSmo D. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio Secreto die 11. Septem, bris 1724.

65.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. Ioh. Christ. Kolb exc. Aug. Vind.



Electionis Clementis ad Pontificatum, cum hoc lemmate COLLES FLUENT MEL DE PETRA. Alludebat scilicet ad S. Petrum & ad Septem Urbis Colles, â quibus in Orbem universum Mel Clementiæ & Bonitatis â Clemente Pontifice deventurum credebatur. Et quidni de Joanne Baptista Alterio Eminentissimo nostro Purpurato similia auguremur? Mel gerit in ore, & Mitissimum Sacra Roma veneratur, gratiarum mel depluit è septem collibus Romanis, quos novus Romanus Dynasta in Purpurâ nobilitat. Antequam ejus Purpuræ honore insigniretur, Archiepiscopum Tyrenensem denominatum se vidit. Est Tyrus Asiæ Urbs, durissimæ ripæ imposita, quæ undique fluctibus marinis alluitur. Hiramus Rex Tyri erat, qui Salomonem in exstruendo templo adjuvabat. Expugnata hæc Urbs fuit primò â Nabuchodonosore Chaldæorum Rege; ac deinde ab Alexandro Rege. Ipsi Tyrii navali re præstantes, armorum peritia excellebant. Paulum Apostolum inde Hyerosolymam abeuntem fideles Tyrii cum uxoribus & liberis prosecuti sunt ad litus usque, ac postea mirâ constantiâ Christianam defenderunt fidem, donec â Saracenis ea urbs capta est, qui eam hodiedum tenent. Tyrus patria fuit Porphyrii Philosophi, item Maximi Philosophi Platonici & Ulpiani Jurisconsulti. Propè eam erumpunt fontes, quorum maximus aquarum viventium dicitur puteus. Hujus itaque Urbis Tyrensis Archiepiscopus Joannes Baptista Alterius dictus est; & quam congrue? Hiramus est, qui aurum pietatis suppeditat, ut templum Domini ædificetur. Tyrus Purpuram transmittere visa, ut decori Principis humeri eo ornamento contegerentur. Si Tyrus insignes Philosophos Porphyrium & Maximum tulit, Eminentissimus Alterius Philosophicis facultatibus probè imbutus, inde rectè vivendi normam traxit, geminis illis, ethnica superstitione imbutis, tantùm Superior, quantùm ipse illustratior. Si Ulpianum Tyrensem Jurisprudentia commendavit, Enimverò Sacra Themis Eminentissimo Purpurato gloriatur, qui prorsus eximios in jurisprudentia progressus fecit, ut è Sacris Tribunalibus ex intimis juris medullis oracula funderet. Utinam & Alexander sit, qui Tyrum non violentiæ armis, sed Sacræ Religionis propagatione facere possit suam. Dum Divum Paulum imitatur, Sacram Religionem zelando, quotquot fideles in sterili illo Campo Tyrii superestis, ad Alterium Archiepiscopum vestrum accurrite, inde aquarum viventium saluberrimum puteum haurite, quem ut Divina Misericordia vobis aperiat, Alterius ex animo precatur. Postea Joannes Baptista Sacræ Cameræ Apostolicæ Decanus nuncupabatur, ad quod eum munus summa integritas, & rara sapientia commendabat, quam longissima familiaritate probatam, Benedictus XIII. in solium Petri evectus, statim remunerandam sibi ducebat; nam in Consistorio secreto habito die 11. Septembris Anno 1724. Cardinalem dicebat, Romanis de tanto Concive sibi gratulantibus. Tunc quidem cùm Æmilius Alterius Sacram Cathedram ascenderet, numisma conspiciebatur, Romam triumphantem repræsentans, cum hoc lemmate. *Roma resurgens.* Enimverò tali Pontifice, qualis modo orbi obtigit, ad clavum sedente, & talibus Columnis, quales Alterii, & reliqui Sacrâ in Purpurâ Dynastæ, Gloriosissimo Seni succolantibus, stat, stabítque inconcussus Romanæ gloriæ vertex, & insultantes detriumphabit inimicos. Cùm sex stellas gerat Illustrissima Alteriorum Familia in Parmâ gentilitia, satis apparet, quòd quemadmodum illæ omne decus, omnémque virtutem â Cœlesti lumine ac Divino Pnevmate ceu stellæ â Sole mutuantur, & donis suis orbem reficiunt; ita Joannes Baptista Alterius Neopurpuratus lucidissimæ stellæ instar Romano in Cœlo sit corruscaturus, & saluberrimo influxu Orbem inde beaturus.

No. LXVI.

ALEXANDER FALCONERIUS ROMANUS.

ALexander Falconerius Romanus, Sacræ Rotæ Auditor, Almæ Urbis Gubernator: Vice-Camerarius, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, cum Joanne Baptista Alterio eadem die ad Sacræ Purpuræ Honorem venit, ut qui meritis pares essent, honoribus æquarentur. De Utroque Concive suo, ad id Honoris evecto, Urbs Romana sibi summopere congratulabatur; nec defuêre publica lætitiæ testimonia. Sed cùm festivis ignibus äer relucebat, multo majori & prorsus admirabili virtutum fulgore Alexander Falconerius corruscabat. Jurisprudentia tantùm semper excellebat, ut gravissimis tribunalibus præpositus, nunquam non oracula fundere visus sit; & cum nunquam nisi ex præscriptu justitiæ Sententiam ferret, summus Justitiarius cunctis semper visus est esse. Sed tam bello fœdere Clementiam Justitiæ sociabat, ut qui victus abiret, penè se victorem dignosceret, aut saltem bis victum justitiâ & Clementiâ videret; tam æquâ videlicet trutinâ difficillimas causas librabat, ut qui inde conquereretur, non esset. Videlicet non degenerem se Posterum exhibebat Illustrissimorum Antecessorum suorum, qui Nominis sui amplitudine Romanum orbem complectebantur. Qualis, quantúsque fuit Lælius Falconerius, quem ceu pretiosissimum gemma Sacra Roma æstimabat? Is Perusii Jurisprudentiam edoctus, Pisis Doctoris Lauream summa omnium gratulatione susceperat. Inde Romam causarum patrocinio advocatus, summâ integritatis famâ illud munus sustinuit. Postea præfecturas amplissimas adeptus Spoletum, Beneventum, Campaniam & maritimam oram summa cum laude moderabatur. Exinde ab Urbano VIII. Thebarum ad Infulas evehebatur. Ejus etiam jussu Pontificius in Belgium ibat Orator. Redux factus, in Album Principium Purpuratorum ab eodem Urbano VIII. referebatur, ut eximiæ ejus virtutes condigno aliquo prœmio condecorarentur. Cùm Bonnoniensis Legatus esset, Germanorum Equitum par nobile, civium nobilitatem trahens utrimque in partes, mox inter se singulari certamine dimicaturum, suas evocabat in ædes, dividebat cubiculis, alloquebatur singulatim, authoritate aggrediebatur, suavitate diliniebat, rationibus vincebat, amicos postridie, benevolósque dimittebat. Cùm calculo laboraret, & extremus dolor extremam urgeret diem, sectionem admittebat. Atrox supplicium vultu læto, animóque virili subibat, in vulnere, in sanguinis effusione, nec ulla lachrymula, aut in-

con-




Alexander Falconerius Romanus Sacræ Rotæ Auditor, Almæ Urbis Gubernator Vice - Camerarius S. R. E. Diaconus Cardinalis creatus à SSmo Dño Nrō BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 11. Septembris 1724.

66.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.

Ioh. Christ. Kolb excud. Aug. Vind.



conditus oris clamor notabatur. Cùm sententiam sæpiùs ferret, ab aliis aurum neutiquam extorquebat, qui suum etiam in egentium necessitates profundebat; neque solùm non extorsit, sed nec quidem allata munera unquam admisit. Ecce & mirare! Familiarem suum instanter aliquando interpellantem pro alio, gratiosè interrogavit, Ecquid demum profutura ipsi esset gratia, quam tantâ contentione expeteret? Familiaris promissionem sibi factam quinquaginta aureorum ingenuè exsplicavit; tunc Falconerius, quantum ille promiserat, tantundem rependebat de suo, ne malè justitiæ pendens libra contra jus fasque in partem alteram inclinaret. Demum gloriosissimus Falconerius, fatali morbo correptus, Viterbii decubuit, quâ in urbe, ubi nuntium propinquæ mortis accepit, non fractus est, non concidit, non nutavit; sed tam integer, tam erectus, tam immotus consistebat, ut nequaquam de ipso agi in tanto negotio videri posset, nisi quòd audita re statim adjecit: *Bene est, repetamus igitur per Sacram Exomologesin totius anteactæ vitæ noxas, & elapsam vitam ad futuræ formam & modulum exploremus, quo more sanctorum decedere possimus.* En in Lælio Falconerio prototypon Eminentissimi nostri Purpurati Alexandri Falconerii, quem in alio repræsento, ne tanti Viri, modestiæ gravis sim. Sacræ Rotæ Auditor factus, singulari prudentiâ, fide, sapientiâque fulsit, ita ut quod de Lælio Falconerio, de ipso pariter dici potuerit, quòd semper justæ sententiæ severitatem mollierit Stylo, illâmque procedere jusserit facilem & ornatam, ita ad suavitatem factus, ut eum, in quem jura pugnabant (si absolutio libera non erat) damnatum quidem vellet, sed non offensum. Gubernator Almæ Urbis factus Alexander, non minùs Lælium ex integro æmulabatur, qui videlicet non aurum & argentum, sed omnium corda rectissimus & mitissimus judex ad se trahebat. Ei nullæ feriæ erant ab audiendis supplicibus. Qui humano sanguini parcebat, quoad sine populi justitiæque damno licuit, qui etiam, si quos ipsorum scelera trahebant ad cædem, in eorum salutem ipsa supplicii die Sacris Mysteriis operabatur ad aras. Nec minus Illustrissimus Falconerius Sacræ Sedis Vice-Camerarium probatissimâ industria agebat, in Camerâ Charitatis ipsemet omnibus acceptabilis visus. Certè Benedicto XIII. ita dilectus, ut in prima creatione XI. Septembris Anno 1724. factâ, cum altefato Joanne Baptista Alterio itidem Romano Cardinalis diceretur, geminato Urbis Romanæ gaudio, ob geminum sydus, auspicata felicitate, Purpurato in Cœlo collocatum. Inde VI. Octobris rubeum Galerum è manibus Pontificis suscepit; & brevi postea possessionem cepit de suâ Ecclesiâ DELLA SCHALA, ipsemet per hos gradus honorum augurio, & virtutibus suffragantibus, deventurus ad summa, seu Alexander futurus Maximus.

No. LXVII.

VINCENTIUS PETRA NEAPOLITANUS

VIncentius Petra Neapolitanus, Archiepiscopus Damascenus, Signaturæ Gratiæ Decanus, Episcoporum & Regularium Secretarius S. R. E. Presbyter Cardinalis natus est A. 1662. Nobilissimam Parthenopen nactus patriam, qui cùm in Purpuræ honorem veniret, Roma, Austria, & Neapolis unà lætari visæ. Planè haud facilè in toto terrarum orbe, si territorium Pontificium excipere velimus, ullum regnum reperias, unde plures Pontificia Mytrâ & Sacrâ Purpurâ inclyti Viri prodierint, suíque ingens pretium Sacræ Romæ fecerint, quàm Regnum Neapolitanum. Neapolitani fuêre Maximi Pontifices S. Soter, S. Hormisda, S. Sylverius, S. Bonifacius V. S. Honorius, Victor III, Gregorius VIII. Urbabanus VI, Joannes XXII, Paulus III, Innocentius XII. Quis Sacros Purpuratos, quos Regia Parthenope dedit, satis enumeret, aut merita recenseat? Joannes Campanus Neapolitanus, cùm â decem præcipuis Cardinalibus Romanus Pontifex electus & proclamatus fuisset, ad evitandum schisma Electioni suæ liberè cedebat, quantùm eo culmine dignior potioribus visus, eò submissior. Rofredus de Insulâ Neapolitanus Tancredum Siciliæ Tyrannum, sapientiâ dedomuit, armis repressit, quàm intemeratus ad aram mysta, tam bonus in arenâ Martis miles. Petrus Capuanus Neapolitanus, in eo totus erat, ut Cruce signatas Fidelium copias pro terræ Sanctæ recuperatione contraheret, cum quibus ipse in Syriam trajecit, & victricia Christianorum vexilla ibidem defixit. Petrus Moranus Neapolitanus Epistolarum Decretalium librum Innocentii III. Summâ diligentiâ collegerat. Thomas de Capua Neapolitanus jura Pontificia adversus Fridericum Imperatorem egregiè tuebatur. Theobaldus Ceccanus Neapolitanus, Apostolicus Legatus ad Principes Germaniæ missus, Rudolphi Habspurgici in Romanorum Imperatorem electionem prudentissimo suasu promovit. Gentilis de Sangro Neapolitanus quàm illustris familiâ, tam literis præclarus erat. Landulphus Mauromannus Neapolitanus in Generali Concilio Constantiensi Pontificius Legatus egregiam operam navabat, ut dolendum ejus temporis schisma aboleretur. Rainaldus Brancaccius Illustris Neapolitanus tam insignium vir meritorum fuit, ut ab Urbano Pontifice, difficillimis temporibus, cunctis Patribus tanquam vivum quoddam sinceritatis & constantiæ simulacrum ad imitandum proponeretur, suíque throni firmissimum fulcimen appellaretur. Guilielmus Sirlettus Neapolitanus Vir erat suo sæculo scientiis nulli secundus, quem spirans Musæum nominabant, & vivam Christi Bibliothecam, certè sic græcè, sic latinè, sic hæbraicè loquebatur, ut in iis linguis natus potiùs quàm doctus videretur. Octavius Aquaviva Neapolitanus in legendis libris Divi Thomæ Aquinatis totus hærebat, & brevi duorum annorum cum dimidio spatio totam ejus Theologiæ summam in Epitome redegerat. Dominicus Tuscus Neapolitanus ex tribuno egregius jurisconsultus, ex Jurisconsulto Canonicus Rhegiensis, ex Canonico Gubernator Romanus, ex Gubernatore Romano Cardinalis; ex Cardinali Leone XI. extincto pene Pontifex, compluribus Cardinalibus ad eum evehendum intentis factus fuerat. Ladislaus Aquinas Neapolitanus vir erat mirificè in pauperes liberalis, cujus ea perpetuò vox excipiebatur: *tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Idem post obitum Pauli V. communi omnium persuasione eligendus erat in Pontificem; sed colligenda tunc fuêre vasa, non vota; nam spiri-



Vincentius Petra Neapolitanus Archiepiscopus Damascenus, Signat. Gratiæ Decanus, ac Sac. Congreg.^ni Episcoporum, et Regularium Secretarius S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 20. 9mbris 1724.

67.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. Ioh. Christ. Kolb exc. Aug. Vind.

ſpiritum eodem in conclavi poſuit, ſummæ dignitatis Candidatus. Aſcanius Philamarinus nobiliſſimus Neapolitanus, ejus etiam Urbis Archiepiſcopum agebat, & ita agebat, ut frequenter dicere auditus fuerit, *Eccleſiam non eſſe ſuam, ſed ſe Eccleſiæ eſſe.* Antonius Sanſeverinus Neapolitanus non ſine Sanctimoniæ opinione vivere deſiit. Hieronymus Seripandus Neapolitanus, Apoſtolicus ad Concilium Tridentinum Legatus non ante labores, quàm vitam Tridenti poſuit. Oliverius Caraffa Neapolitanus claſſi maritimæ Chriſtianorum adverſus Turcas præfectus, Purpuræ honorem Sacris triumphis, Smyrnâ occupatâ, condecorabat. Carolus Caraffa Leopoldo Magno acceptiſſimus, ejus manibus rubeum biretum Ratisbonæ accipiebat, præſentibus quatuor Imperii Electoribus, Moguntino, Trevirenſi, Bavaro, & Saxone. Petrus Aloyſius Caraffa Ducem Bullioneum eximio ſuo zelo ad orthodoxa Sacra traduxerat. His aliiſque magno numero Purpuratis, quos Regia Parthenope progenuit, magnum incrementum, Vincentius Petra Neapolitanus acceſſit, planè digniſſimus, quem Benedictus XIII. ſui ſimilem ubivis quærens, elegerit. Nobiliſſimorum Procerum Neapolitanorum proſapiâ progenitus, literarum eximiâ culturâ non minus inclareſcebat; cujus nulla major voluptas erat, quàm in volvendis rerum memorabilium monumentis perpetuo verſari; modò egregium laborem in id impendit, eóque in ſtudio dies noctéſque inſudat, ut Apoſtolicas conſtitutiones, publico prælo committendas, doctiſſimo calamo conficiat, cui præclaro operi, ut ultimam manum impendat, â Sanctiſſimo Patre Paternis ſtimulis ultrò currens animatur; nec dubitatur, quin opus ſit proditurum, quod ſuum authorem in oculis orthodoxi orbis pretioſum reddat. Frater eſt Ducis de Vaſtogirado, cujus inclytum in regno Neapolitano nomen. Cùm Virtus, doctrina, nobilitas Vincentium commendarent, Archiepiſcopus Damaſcenus â ſumma ſede denominabatur; ut unde primum hominem creatum novimus, inde novum vas Electionis Damaſceno ex agro prodiret: certè alata ipſius deſideria Europæus orbis non capit; hinc in terras infidelium, novus Damaſci Archiepiſcopus, eximii zeli remigio, trajicere viſus. Certè pro reliquiis Chriſtiadum, iis in terris conſervandis, unicè inſudat: Prout etiam hodiedum egregios Damaſceni agri cultores Societatis JEſu Religioſos, nec non R. R. P. P. Carmelitas, & Franciſcanos, in ipſa etiam urbe Damaſco reſidentes videmus, qui pro Chriſtiana religione egregiè inſudant. Poſtea Vincentius Petra Signaturæ Gratiæ Decanus, nec non Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium Secretarius nuncupatus eſt. Nam cùm in eo ſingularis quædam probiſſimorum morum integritas appareret, ſummis quibusve muniis digniſſimus judicabatur. Planè Benedictus XIII. in paucis eximium habuit, ejus religioſo zelo, & ſuavi conſortio mirificè captus, utpote per complures aliquando horas cum eo converſatus. Hinc intimæ familiaritatis jure ſibi conjunctum, pro inſignibus animi & naturæ dotibus, primos inter ſibi Cardinalem creandum cenſebat. Nec etiam in virtute omnibus nota quisquam hærebat, ſed commune Romanorum gaudium eam electionem inſequebatur. Ea contigit die vigeſima Novembris Anno 1724. cum luculento laudum ejus præconio. Die tertia abhinc rubeum Galerum è manibus Sanctiſſimi Patris accipiebat, præſentibus XXX. ad minimum S. R. Eccleſ. Purpuratis, qui tam nobile Gemma Sanctiſſimo Collegio ſuo adlectum publicè lætabantur. Id eo tempore memoratu dignum contigit, quòd cùm ad Pontificium Sacellum Sacrum Galerum accepturus, accederet, Columba ſupra Viri verticem aera ſecaret, & rectâ ad altare tenderet, quod plurimis optimi ominis loco habitum. Titulum S. Onuphrii obtinebat; Cæterùm prout nomine Petram refert, ſic prorſus inſignia Viri merita ſpem exhibere videntur, Petram aliquando futurum, cui ſuam Chriſtus, Caput Inviſibile Eccleſiam ſuperædificet.

No. LXVIII.

AVGVSTINVS PIPIA SARDVS.

AUgustinus Pipia Sardus Ecclesiæ Auxinanæ Episcopus, Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Sardonii Regni, quod tantum Virum progenuit, singulare decus est, & Ornamentum, Prout hæc Insula à Sardo, Herculis filio, nomen sortita creditur, sic grandem Virum Pipiam protulit, qui in robur verè Herculeum excrevit, qui, cùm in Sacrâ Divi Dominici militiâ Generalem Præpositum agebat, tot de orco reportatis victoriis illustris erat, quot animas Egregii hi Christi Milites, ex infernali jugo ereptum eunt. Eâ in Insulâ Divi Augustini nomen celeberrimum est; prout etiam in urbe Calari ejus ossa consepulta fuêre, quæ subinde Paviam transferebatur. Eum sibi imitandum ratus Augustinus Pipia Sardus, admirabile lumen Sacri Ordinis sui effulsit; nam per omnia transgressus ejus Ordinis Ministeria, inoffenso tamen pede ardua quævis omnia percurrebat. Orator erat, qui rapidâ eloquentiæ vi audientium animos ad se attrahebat: abstrusa quæquæ naturæ arcana tam probè introspiciebat, ut Philosophorum Apex crederetur; Sacrosancto Theologiæ mysteria tam excelsâ scientiâ hauserat, ut Athlas videretur esse, supernis perpetuò affixus syderibus. E Sacris suggestibus sese exhibebat, qualem Professione præseferebat, Prædicatorem omnium celeberrimum. Super omnia tamen in Viro Eximio, profundissima humilitas erat, quâ ad infima quæque, quantùm sibi permittebatur, descendebat. His eximiis animi & naturæ dotibus dignissimus visus est esse, qui Generalis Sacri Ordinis Magister Sexagesimus primus conspirantibus Eligentium calculis assumeretur. Eum Vincentius Maria, Sacræ Dominicanæ Familiæ longè fulgentissimum Gemma, quem modò Romano regnantem in solio conspicimus, semper inter eximios habuit, ita ut Cardinalis, Archiepiscopus, demum etiam Summus Pontifex factus, profundissimâ humilitate, hunc Sacri Ordinis supremum Magistrum etiam de genu veneraretur, Divi Dominici genuinum Discipulum se professus. Enimverò Benedictus XIII, jamdum Anno 1672. à Clemente X. creatus Cardinalis, non antea tamen ad Sacram Purpuram acceptandam permovendus erat, quàm sibi concederetur, ut sub potestate sui Ordinis, etiam Purpuratus Dynasta, perpetuò maneret, Deinde nullas unquam alias vestes admisit, quàm quibus Fratres Sacri sui Ordinis uterentur. Ad hæc quidquid Sacri ejus Ordinis Regulæ circa jejunium & ciborum abstinentiam dictant, ad amussim etiam in hanc usque diem observat.


Ut



Fr. Augustinus Pipia Sardus, Electus Ecclesiæ Au,
ximanæ Ordinis Prædicatorum Generalis Magister,
S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D.N.
BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio Secreto die
20. Decembris 1724.

Joh. Christ. Kolb exc.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj.



Ut itaque aliquod favoris sui Mnemosynon Sacro Ordini exhiberet, Augustinum Pipiam, ceu fulgentissimum Sydus, Purpureo Romanorum Senatorum Cœlo inserendum sibi censebat; hinc eum in Consistorio Secreto die 20. Dec. An. 1724. habito Cardinalem proposuit, Purpuratis Patribus, quotquot præsentes esse poterant, pleno ore acclamantibus: PLACET. Quidni igitur terque quaterque felicem, Sacer Ordo, te deprædicem, qui tot firmissimas Columnas Orthodoxo Orbi exhibes, quem sub gravissimis difficultatibus in dies ingemiscentem sustinent. Qui dum Sacrum Evangelium ubivis gentium prædicant, & Europam, Asiam, Affricam, & Americam Missionibus percurrunt, ignorantiæ tenebras ubivis dispellunt. Ut de celebratissimo hoc Ordine pauca quædam proferam (quis enim Orbis Succollatorem Dominicum silentio involvat?) Fundatus is est â Divo Patriarcha Dominico, ex Illustrissimâ Guzmannorum Familiâ Calarogæ in Hispaniæ Oxomensis Dioecesis oriundo; Ex quâ complures aliæ longè celeberrimæ per Hispaniam Familiæ, utpote Ducum de Medina Sidonia, de Medina de las Torres, de St. Lucar: Marchionum de Azdales, Monte Allegre, Cacaça, Magrena, Cardena, Palacios: Comitum de Niebla, Olivares, Orgaz, Teballad &c. &c. oriebantur; imò ipsos etiam Hispaniæ Reges nobilissimi Guzmanni consanguinitatis fœderibus attingunt; nam Ramirus Guzmannus, Ferdinando Perezio teste, Isabellam Regis Legionis filiam nuptui sibi collocaverat; & Hermenesina Ramirii Asturûm Regis filia, cuidam ex Guzmannis, Roderico Mendoza authore, nupserat. Non desunt, qui nobilissimos Guzmannos, Germanæ Originis referant, quos inter Ambrosius Morales, qui Guzmannos, linguâ nostrâ vernacula Guttmannos nuncupandos asserit. Hoc satis in propatulo est, quod Divus Dominicus ejus mensuram nominis abundè adimpleverit, verè Guttmannus dicendus, utpote beneficiis suis orbem complexus universum. Incipiebat autem eum Ordinem Fratrum Prædicatorum mente concipere Anno 1203. Anno VI. Pontificatûs Innocentii III. Confirmatus autem fuerat Sacer is Ordo An. 1216. die 20. Dec. ab Honorio III. Romano Pontifice; nec imeritò; nam sanctus Dominicus, & Humilis Franciscus Orbem labantem succollare visi. Anno 1218. Beatissima Virgo Maria noviter confirmato Ordini Prædicatorum primam & specialem gratiam exhibuit, dum Beatum Reginaldum graviter decumbentem conspicua apparens salutari unctione perunxit, & sanavit, eique habitum Ordinis ostendens (scilicet sacrum Scapulare) priùs enim habitu Canonicorum Regularium S. Augustini incedebant, ajebat. EN HABITUS ORDINIS TUI. Qua revelatione facta, Fratres Habitu Ordinis cœlitus designato uti coeperunt. Primus equidem Sacri Ordinis Magister fuit S. Patriarcha Dominicus, cui Augustinus Pipia Ordine sexagesimus Primus successerat; & eo ad sacram Purpuram promoto, surrogabatur Thomas Rippold, Vir meritorum plenissimus, & dignissima Tanto Patre Propago. Sacer hic Ordo brevi maximis incrementis per Orthodoxum Orbem inclaruit. Cùm hæreticorum imprimis Albigensium, mallei essent, & assiduâ prædicatione Evangelii Divini Numinis cultum ubivis gentium instaurarent, hinc multis ubivis Gentium Privilegiis & prærogativis, meritissimo Virtutum prœmio, condecorati fuêre. Statim An. 1218. ab Honorio III. P. M. Divus Dominicus Sacræ Familiæ Fundator, Pontificii Palatii Magister constitutus fuit, quod officium ab illo tempore semper usque in præsens tempus ab uno ex Sacro Ordine Prædicatorum fuit administratum. Dein quia sanctus Patriarcha Dominicus ex Ortu suo Regio Hispaniarum sanguini junctus erat, inde hæreditariè quilibet Magister Generalis Ordinis dignitate uniùs de Grandibus Hispaniæ (ut loquuntur) gaudet. Tertio Generalis Inquisitoris Officium per Hispaniam etiam â tempore sancti Patriarchæ Dominici semper hæreditariè mansit penes Sacrum Ordinem Prædicatorum. Quartò Officium Pœnitentiarii Sacræ Romanæ Ecclesiæ ad S. Mariam Majorem semper administratur ab Uno ex

Sacro Ordine Prædicatorum. Quis reliqua decora omnia sacri hujus Ordinis, in quadraginta quatuor provincias divisi, sono eorum in omnem terram exeunte, enumeret? Numerantur IV. sumi Pontifices, quos sacer hic Ordo dedit: nominatim Innocentius V. Benedictus XI. S. Pius V. & Benedictus XIII. Ad Cardinalatum, quorum quidem numerum inire licuit, evecti fuère LV. Ad Patriarchatus XXX. ad Archiepiscopatus ultra CCCC. Ad Episcopatus MD. & ultra. Abbates Generales II. fuère. Vice-Cancellarii II. Vicarii Papales III. Legati â Latere XXV. Comissarii Apostolici XII. Nuntii Apostolici LXXX. Magistri S. Palatii LXXVII. Secretarii S. Congregationis Indicis XIV. Sacri Concilii Tridentini Theologi LXIII. Auditores Rotæ IV. Bibliothecarii Apostolici II. Capellani Papæ VIII. Commissarii Generales S. R. Inquisitionis XXV. Et jam novum Sacræ Romæ Lumen transmisit Clarissimus hic Ordo Augustinum Pipiam, quem Sanctitas sua Benedictus XIII. in Consistorio secreto habito XX. Decembris anni MDCCXXIV. Cardinalem dicebat. Romam Bononiâ advectus Augustinus, eâ teneritudine â Sanctissimo Patre suscipiebatur, ut meritò dubitari potuisset, uter alteri filialem magis affectum impenderet. Erubuit Pipiæ Humilitas, cùm sumum Orbis Caput profundissimâ humilitate coram Ordinis Magistro sese demitteret. Certè cùm in Ecclesia Sanctæ MARIÆ DELLA MINERVA paulò post conveniret, Benedictus XIII. suave & Amabile Orbi nomen, ea submississimi animi signa publicè edidit, ut præsentibus lachrymas extorqueret, & in summo Viro profundissimam Humilitatem nemo non summopere admiraretur. Eidem Augustino Pipiæ dicta Titularis Ecclesia S. Mariæ della Minervâ obtigerat. Dicerem doctæ Minervæ Alumnum, Nisi Maria, verior Pallas, Marianum Virum sibi vindicaret. Postea Ecclesiæ Auximanæ, in Marchiâ Anconitanâ sitæ, Episcopus denominatus est; & Benedictus XIII. Virum unicè sibi dilectum, suis manibus consecratum volebat. Eam nunc Ecclesiam Augustinus Pipia gubernandam suscepit, & verbo Dei pascit. Jactet nunc Antiqua Roma, Terentio Maximo teste, ex Sardonia Insula optimum & Copiosissimum frumentum ad se advectum; Nihilominus Augustinus Pipia de longe ad Auximanos portat panem, eúmque longè pretiosissimum, & Eucharisticum, quo subditum sibi gregem fovet, nutrit.

No.



Prosper Marefuscus Maceratensis Archiepisco,
pus Cæsariensis SSmi Dni Nri Auditor S.R.E. Pres,
byter Cardinalis creatus à SSmo D.N. BENEDICTO
PAPA XIII. in Consistorio secreto die 20. Decem,
.bris. 1724.

69.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. — Ioh. Christ. Kolb excud. Aug. Vind.

No. LXIX.

PROSPER MAREFUSCUS MACERATENSIS.

PRosper Marefuscus Maceratensis, Archiepiscopus Cæsariensis, Sanctissimi Domini Nostri Auditor, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Patriæ Suæ Maceratæ prorsus Illustre decus existit, quæ Urbs in Anconitanâ Regione sita est, & perpetua Gubernatoris sedes existit. Hic Marefuscus, nobilissimis parentibus progenitus, prima futuræ magnitudinis fundamina jaciebat, & jam in adolescente ea indoles promicabat, quæ Virum saperet. Noverit se in eâ Regione progenitum, quæ Tyri æmula, pulcherrimo artificio Purpuram tingit, quam ei spes amicorum destinabat, dum in sublimibus quibusque disciplinis eos brevi successus faciebat, ut cum admiratione omnium inclaresceret. Cùm itaque Pietas, Sapientia, & singularis in gravissimis quibusque rebus gerendis Spiritûs discretio eximium Virum commendarent, Archiepiscopus Cæsariensis denominabatur, ut eximium zelum suum in ipsas usquequaque Orientales plagas extenderet. Præstitit id luculenter; si non cruore & gladio, armis certè spiritualibus in infideles pugnando; nam cum pyratici lembi Anconitanam oram incursionibus infestarent, & in ipsam usquequaque Romam minitabundi insurgerent, nihil ille antiquius habuit, quàm ut Divam Virginem Lauretanam, Patriæ suæ grande Ornamentum, pro suppetiis ferendis invocaret. Tunc quidem victrices per Hungariam Aquilæ discrimen dispulêre, & Turca insignibus ad posteritatem cladibus debellatus, satis habebat, sua tueri. Ipse rerum gestarum series & temporis ordo satis indicabant, id opus dexteræ Excelsi fuisse, & Divam Virginem suo patrocinio nostris peccatis iratum Numen ad misericordiam inclinâsse. Nam inprimis illa ipsa die, quæ Divæ Virgini ad nives sacra est, hostili sanguine ad PetroWaradini mœnia Hungariæ campi rubuêre. Deinde Temeswariæ oppidum totius Christianitatis propugnaculum longè fortissimum, illo ipso tempore Cæsareis cessit, quo in publicas preces effusa tota Roma pro armorum felicissimo successu impetrando, Divæ Virgini supplicabat. Manifestum Vírgineæ Matris auxilium cognovit Clemens XI, cujus verba, summum habitura momentum hîc appono. *Cùm non nullis* (inquit,) *abhinc mensibus opportunum illibatæ Virginis Patrocinium, Auxilium Christianorum comparaturi, ad illius Psalterium seu Rosarium quotidie ac devotè recitandum, tam privatim, quàm publicè supplicationibus habitis, non semel Christi fideles, edictis, adhortationibus, concessisque indulgentiis excitaverimus, no-*

Ddd vissimè

vissimè verò Festum ejusdem Rosarii cum Officio & Missâ propriâ per universum terrarum Orbem celebrandum decrevissemus, statim ac hujus solemnitatis octiduum expletum fuit, deditionis signum barbari sustulerunt, Cœlorum Reginâ Cæsareis armis, & Ecclesiæ rationibus opitulante.

Tertiùm cùm anno ponè insequente dies illucesceret Beatissimæ Virginis in Cœlos assumptæ triumphis consecrata, quâ quidem die Sanctissimus Pontifex Clemens XI in Liberianâ Basilicâ iterum ardentes ad Magnam Matrem preces effundebat, ad Albam Regalem Cæsareus exercitus Turcas, ceu ventus folium dissipavit. Est videlicet ea lux in Hungariæ fastis albo notatus calculo. Nam ea ipsa die quadraginta abhinc annis Christianis armis Buda expugnata fuerat. Hæc dies toti Hungariæ inde etiam sacra est, quod eadem Divus Stephanus mortalitatis exuviis depositis, in Cœlos avolaverit; Hinc Festum Assumptionis Hungari ex Sancti Regis sui Instituto Magnæ Matris diem appellant. Enimverò Eminentissimus Purpuratus Prosper Maresuscus, tam tenero semper affectu in Divam cœlitum Reginam, Christianorum fortissimam Palladem exardescebat, ut ignis videretur esse, qui nunquam dicit, satis est. Lauretanæ Ædes Parthenium zelum loquentur, quas cùm frequenter inviseret, Divam pariter Virginem Adjutricem videbatur habere & promotricem. Factus Pontificius Auditor, Muneris præclarè gestæ laude excellebat, & Benedictus XIII. tanti Viri eximiæ prudentiæ, quam in dictis & factis expromit, tantùm tribuit, ut solus cum solo non infrequenter, & perquam suaviter conversetur. Ex ejus videlicet Sapientiæ Scholâ tantus Maresuscus prodiit, dignissimus summo Discipulus Magistro; si quidem Discipulum dicere velimus, qui exactum Sapientiæ & Virtutis Prototypon in semetipso exhibet. Cùm itaque Sanctissimus Pater è re Sacræ Reipublicæ Romanæ futurum crederet, si natam publicis negotiis Virtutem in Gloriæ solio collocaret, Prosperum Maresuscum in Consistorio Secreto die 20. Decembris Anno 1724. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem creabat, luculento Urbis Romanæ gaudio, & Maceratensibus Concivibus in publicam non minùs lætitiam effusis, quos tanti Concivis gloria unà nobilitare visa. Certè in Prospero Maresusco Prosperitatem Patriæ agnoscunt; & cùm summas quasque dotes, dignas, ut Romano conspiciantur in solio, possideat, Nemo non Nomine & Omine futurum Prosperum auguratur; ipse verò in cunctos amabilis & benevolus mensuram Nominis sui abundanter â se expleri reputat, cùm prosperitatem, se omnibus in abundantiâ charitatis communicando, singulis præstat.

No.



Nicolaus Coscia Neapolitanus Archiepus Traianopolita,
nus, SSmi. Dni. Nri. Prælatus domesticus, et à Supplicibus
libellis, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus ab eodem
SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consisto,
rio secreto habito in Palatio Vaticano die 11.
Iunij 1725.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. *Ioh. Christ. Kolb excud. Aug. Vind.*

No. LXX.

NICOLAUS COSCIA NEAPOLITANUS.

Nicolaus Coſcia Neapolitanus, Archiepiſcopus Trajanopolitanus, Sanctiſſimi Domini Noſtri Prælatus Domeſticus, & â Supplicibus libellis, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ in Dominica Urbem Beneventanam Patriam nactus eſt, inter Sabati Caloriſque confluentes ſitam, & olim Samnitibus adſcriptam. Familia, quæ tantum Virum progenuit, paucos inter in Regno Neapolitano inclareſcit. Ut Nominis ſui fulgorem latiùs propagaret, non defuêre, qui transgreſſi in Hiſpaniam, authoritate & opibus ibidem inclareſcunt; prout etiam Eminentiſſimi Purpurati Germanus frater, Princeps de Giovenazzo Mantuæ Carpetanorum in Aulâ Regiâ hodiedum primi nominis Miniſtrum agit. Nec minùs in urbe Beneventanâ Nicolaus Coſcia patentiſſimum campum nactus eſt, ubi ſummam, quâ pollet Sapientiam, & prorſus eximias virtutes exhiberet. Spectatorem & Probatorem habuit Vincentium Mariam Urſinum, tunc S. R. E. Cardinalem & Archiepiſcopum Beneventanum, nunc Benedicti XIII. nomine laudabiliſſimum Romano in Solio Orthodoxi Orbis Hyerarcham. Plùs quàm triginta annorum jucundiſſimo conſortio ſummo Viro Nicolaus Coſcia jungebatur. Eo Magiſtro talis tantúsque evaſit, & ex hac demum Virtutum & Scientiarum palæſtra in publicum orbis theatrum admirandus prodiit. Eſt videlicet omnis perfectio communicativa ſui, & maximus Vincentii Mariæ labor in eo ſemper verſabatur, ut tales demum reliquos omnes redderet, quales ipſemet eſſet. Enimverò Benedicto XIII. Promotore & Creatore, tam inſignes ad Sacræ Purpuræ Honorem Viros evectos videmus, ut illa Regis Pyrrhi Legati vox hodiedum locum habere videatur, qui cùm ad ſuos factus redux interrogaretur, quid Romæ vidiſſet? incunctanter repoſuit, tot ſe Romanâ in Purpurâ Reges, quot in Curiâ Senatores conſpexiſſe. Antequam Sacro huic Collegio Nicolaus Coſcia, novum Ornamentum accederet, Trajanopolitanum Archiepiſcopum denominatum ſe vidit. Eſt autem Trajanopolis Urbs Thraciæ, ad Hebrum fluvium ſita. Fluvius is Marti Sacer erat, quòd is ibidem natus putaretur. Mars eſt Eminentiſſimus Purpuratus Nicolaus Coſcia, ſed talis, qualis IN BELLO MILES Benedictus XIII. ſub quo ſuæ poſuit tyrocinia Militiæ. Videlicet adverſus Erynnym, vitiorum ſymphlegades, & Infidelitatis Hydras pia bella gerit. Poſtea Benedictus XIII. Romano faſtigio admotus, Prælatum ſuum domeſticum dicebat, ne unquam â ſuo latere longiſſimo conſortio notiſſima ſibi Virtus diſcederet. A Supplicibus etiam libellis Sanctiſſimus Pater eum eſſe volebat, ejus indole probè introſpectâ, quæ cùm omnibus benè vellet, ſupplicem diu neminem patitur. Cùm in omnibus muniis exa-

ctam exhibuisset probi Viri Ideam, Sanctissimus Pater in Apice gloriæ collocandum Virum credebat, quem adhuc penè Juvenem senili gravitate philosophantem audierat. Facta erat Promotio in Consistorio secreto habito in Palatio Vaticano die undecimâ Junii Anno 1725. Notabile erat, quòd ea die Cardinalis crearetur, quâ Pax Austriaco Hispanica inter summos Orbis Monarchas Carolum III. Romanorum Imperatorem, & Philippum V. Hispaniarum & Indiarum Regem Viennæ inita â Sanctissimo Patre Cardinalitio Collegio proponeretur; hinc illa Dies lætitiam Romanorum geminare visa; præsertim Divo Felici Sacra, felicitatem Orthodoxo Orbi portendere credebatur. Tunc quidem ex Romanis Dynastis præcipuus quisque, utpote Ottobonus, Principes Albani, Ruspoli, Altherii, Borghesii in eô excolendô toti fuêre, & sui Affectûs certissimum Mnenosymon Prœmia digna ferebant. Ipse Sanctissimus Pater Candelabrum, ex purissima Chrystallo affabrè elaboratum, transmittebat; credo Lumen fulgidissimum Cosciam crediderit, idque dignissimum, quod supra candelabrum Ecclesiæ collocaretur. Cùm Neopurpuratus Princeps brevì post creationem factam Pontificiæ Mensæ adhiberetur, in ejus cultu Benedictus XIII. iteratò eximius videbatur; eadem prorsus sellâ brachiatâ, quâ ipsemet uteretur, multùm reluctanti appositâ. Apud Magistrum Generalem Equitum Melitensium Sanctissimus Pater seriò instabat, ut Neopurpuratus Dynasta, tot in Christianam Rempublicam præclarus meritis, suæ Militiæ adscriberetur; Neque etiam in eo cunctatus est Supremus Ordinis Magister, summo etiam gaudio exultare visus, cùm tam Nobile gemma reliquo Illustri Corpori adlectum intueretur; Hinc non modò celeberrimâ Commendâ (ut vocant) maximorum redituum meritissimum Virum remunerabatur, verùm etiam totius Amplissimi Ordinis Protectorem, spe indubitatâ efficacissimi Patrocinii, esse volebat. Sub finem mensis Octobris Eminentissimus Purpuratus cum Sanctitate sua ad Ecclesiam Divæ Virginis in Monte Mariæ ædificatam ascendebat, ubi Sacrâ unctione Sanctitas sua complures inungebat, & postea cum Eminentissimo Purpurato Nicolao Cosciâ altâ voce precariam Coronam, alternante Populo recitabat. Postea Sanctissimus Pater Nicolaum Cosciam, Principem Beneventanum, suæ Ornamento Patriæ, & utilitatibus unicè natum, sui locô Ecclesiæ Beneventanæ præfecit, eámque Ecclesiam, quam ceu pupillam oculi sui amat, utpote per triginta & octo annos â se administratam, tali utique Viro regendam tradidit, quem dignissimum judicabat. Tunc quidem Sanctissimus Pater, Eundem Socium IN ORATIONIBUS, IN JEJUNIIS, IN VIGILIIS ET ÆRUMNIS appellabat. Habemus hic paucissimis verbis circumscriptum Maximi Viri Encomium, cui, quod superaddam, non est, nisi dicere velim, æquaturum aliquando dignitate, cujus virtutes imitatus est.

No.



Nicolaus Iudice Neapolitanus Protonotarius Ap̃licus, et Sacri Ap̃lici Palatij Præfectus, S. R. E. Diaconus Cardinalis creatus à SS̃mo Dn̄o Nr̃o BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto habito in Palatio Vaticano die 11. Iunij 1725.

71

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. — Ioh. Christ. Kolb exc. Aug. Vind.

No. LXXI.

NICOLAVS JVDICE NEAPOLITANVS.

Nicolaus Judice Neapolitanus, Protonotarius Apostolicus, & Sacri Palatii Apostolici Praefectus S. R. Ecclesiae Diaconus Cardinalis in Romanorum Purpuratorum Ordine ideò novum sydus exortum creditur, ut occiduo Hespero suus non deesset Bosphorus, qui ejus abeuntis vices redintegrato splendore ocyus suppleret. Hesperus erat Franciscus Judice Episcopus Ostiensis & Veliternensis, Sacri Collegii Decanus, qui insignibus meritis, & aetate gravis pleno virtutum remigio in coelos avolavit. Bosphorus est Nicolaus Judice, qui hunc veluti hiatum supplevit, & novo sydere Romanum Coelum auxit. Fuerat is maturè Romanam in aulam advocatus, ut sub Grandaevâ Disciplinâ sapientissimi Nestoris Francisci Judice summus evaderet; nec spes de eo concepta votis abludebat: nam Protonotarius Apostolicus factus, in forensibus quibusve caussis eximiam prudentiam exerebat; ad ipsos etiam juris apices, acutissimô ingeniô penetrandos tam promptus, quàm juris & aequi undequaque observantissimus. Exin Apostolici Palatii Praefectus denominabatur, grande ipsemet Sapientiae domicilium; Certè quem Clemens XI. & Innocentius XIII. inter prorsus Eximios habebant, in Benedicti XIII. Eorum Successoris amores, & paternam Benevolentiam haereditario veluti jure immigrabat; ea enim sunt Summorum Virorum judicia, quae in unum plerumque Scopum collineent. Sub initium Februarii Anni 1725 Nicolaus Ordinibus minoribus initiabatur, se totum Dei, & Sacrae Reipublicae necessitatibus consecraturus. Tunc equidem Sanctissimus Pater paterno prorsus affectu Eundem complectebatur, & statim apparebat, illam virtutem brevi elevandam, quae tam pretiosa in oculis Sanctissimi Pontificis apparebat. Inde ad Sacros Ordines majores progressurus, ut à Deo, ad quem sua omnia referebat, summum negotium, & Angelicum plane mysterium ritè inchoaret, ardentissimum spiritum Exercitiis spiritualibus magis confirmabat, quibus Sanctissimi Patris indultu & voluntate in ipso Palatio Quirinali vacabat, laeto multorum augurio, fore aliquando, ut qui prima magnitudinis fundamina in Quirinali posuisset, iis in Sedibus in solio gloriae appareret. Cùm Maria Violanda Beatrix Ferdinandi Mariae Electoris Bavariae filia, eadémque Ferdinandi Haereditarii Principis Hetruriae relicta Vidua, ad Sacri Jubilaei indulgentiam lucrandam, Romam Orbis Principem Urbem se contulisset, Nicolaus Judice Sanctissimi Patris nomine eam Principissam, suarum Virtutum fulgore Romam illustrabat, eâ die, quâ Lateranensem Ecclesiam invisebat, exquisitissimis ferculis & lautis obsoniis remunerabatur, à qua vicissim pretiosissimum adamanteum donum tulit, ipsemet in oculis Romanorum, fulgidissimi unionis instar, pretiosus. Cùm annua dies recurreret, quâ Benedictus XIII. auspicatissimâ orbis felicitate Cathedram Petri

aſcenderat, poſtquam Eminentiſſimus Purpuratus Joannes Baptiſta Alterius, præſente Pontifice, Sacris operatus fuiſſet, examen Epiſcoporum inſtituebatur. Statim ſpe omnium Cardinalis deſtinabatur Nicolaus Judice, prout etiam ejus Creatio in Conſiſtorio Secreto habito in Palatio Vaticano die 11. Junii Anni 1725. magno Romanorum gaudio ſecuta eſt. Creabatur unà Nicolaus Coſcia Neapolitanus, adeóque duo hi Nicolai, ejusdem Patriæ, Familiæ, Nominis, Virtutum, & Sapientiæ conſortes in eadem Creatione jungebantur, quos intima amicitia inter ſe, & ſummus in Benedictum XIII. Amor, & filialis obſervantia dudum conjunxerat. Celebrabatur ea die Divi Felicis feſtivitas, diuturnam felicitatem, utrique portendere viſa. Alterâ abhinc die Neocreati Purpurati in Pontificio cubiculo è Sacratis manibus ſanctiſſimi Patris Benedicti XIII. Rubeum Biretum accipiebant. XIV. Julii Idem Sanctiſſimus Pontifex rubeos Galeros charis capitibus impoſuit, eósque paternè complexus, non obſcurâ intimi gaudii ſignificatione dimiſit. Eadem adhuc die ad Baſilicam S. Petri deferebantur, ut multiplicem benedictionem ejus interceſſione Sancti â Deo ter Optimo Maximo obtinerent, quâ largiter depluente, pro Sacrâ Romanâ Eccleſiâ, cui ſe unicè devoviſſent. quoscunque infractô animô labores exantlarent. Poſtea Eminentiſſimum Cardinalem Fabritium Paulutium, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Vice-Decanum de more adibant, qui nova, eáque inſignia Membra, Ampliſſimum illuſtratura Collegium, Eccleſiæ, ſibi, & Senatorio Ordini gratulabatur. Tunc equidem Franciſcus Judice, Sacri Collegii Decanus, ſenio & morbo fractus, impeditum ſe ſentiebat, quò minus Amantiſſimum Nepotem cum Nicolao Coſcia, eâ die publicè audiret; ſincero tamen & penè ultimo gaudio perfundebatur, quòd probè informatam ſe Magiſtro Virtutem, ad Purpuræ gloriam intueretur evectam. Inde receptui è mundo canere cœpit, ceu ſalutare Dei vidiſſet, digniſſimum ſucceſſorem nactus. Placidâ morte obdormivit die octava Octobris, pene dum animam efflaret, ſui & rationis compos. Cui Eminentiſſimus Neopurpuratus Nicolaus Judice ad ultimum halitum usque perpetuò aſſiſtebat, fomenta corpori admovebat, comiter conſolabatur, & efficaciſſimis adhortationibus ad ultimam luctam muniebat. Corpus in Urbem Neapolitanam deferebatur: patriæ inferendum tumbæ, Principe de Cellamare, qui Regis Hiſpanniæ Philippi V. per complures annos in aulâ Francicâ Legatum egerat, & Eminentiſſimi Purpurati Nicolai de Judice Sororem matrimonii fœderibus ſibi junctam habet, lugubrem Pompam curante. Ultimis Franciſci tabulis hæredes inſtituti fuêre Eminentiſſimus Nepos Nicolaus, & Princeps Giovanazzo Judice. Enimverò ad cœleſtia translatus gaudia Franciſcus Judice, in noſtro hemiſphærio adhuc vivit, relicto Clariſſimo nepote Nicolao, ſummæ non minùs ſapientiæ & ampliſſimarum Virtutum, quas, ſe Magiſtro imbibit, quàm opum hærede.

CONTINUATIO I.
ROMÆ SANCTÆ

AUCTORE
F. AUGUSTINO FABRI
EX ORDINE PRÆDICATORUM.


Icones cælante
JOANNE CHRISTOPHORO KOLB,
Calcographo Augustano.

Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ. Majestatis;
Et Superiorum Permissu.

AUGUSTÆ VIND. ANNO M.D.CC. XXIX.

Lector Benevole!

OPinione tardius murice tinctus progreditur calamus, ſacratioris pulverem lingens purpuræ reverentiali continuatione purpuratorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Principum, quos, ut ſanctior ſummi voluntas Orthodoxi Orbis Monarchæ BENEDIDTI XIII. elegit ad Eccleſiæ ſibi commiſſæ decorem, ità maturior peperit intellectus ad univerſi ſplendorem, naturæ immitans inſtitutum, quæ majores partus protractiori tradidit tempori. Hæc equidem cauſa priorem nonnihil hactenus morabatur ſponſionem, ne ſex menſium lapſu poſt novorum creationem Cardinalium, & Operis Compilator, & Calcographus allecto jam ſemel amiciſſimi Lectoris deſiderio ſatisfaceret. Creatis igitur, inque Cœlo Eccleſiæ ſublimatis novis Syderibus Eminentiſſimorum Cardinalium ea ex ordine, qua par eſt veneratione, amicabili ſubijcimus obtutui, firmâ atque virili promiſſione non fore imposterum, ut aperta ſecurioris, ac ante, correſpondentiæ occaſione, ulla utriusque impedimentum nubecula creet. Hinc qui Operi præſenti ſumptus impendit, ejúsque hæredes nunquam non toti in hoc erunt, ut omni elapſo ſemeſtri poſt in futurum quorumque Cardinalium creationem accurata eorum actuum deſcriptione benigno Lectori obſequantur. Initium promiſſioni faciet venturus novus annus 1729. 16. Cardinalium expeditione, poſt medium anni ſecuturis Cardinalium Acoramboni, & Caraffæ, & quos interim coronari contingat deſcriptionibus, in idiomate, ut prius, Latino, ad Feſtum autem Purificationis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Purpuratorum Patrum gloria Linguam Germanicam evocabit, eâdem, qua nunc exſtat, forma, ob commodum fortaſſis ſucceſſivæ compacturæ. Hæc benignum Lectorem monitum volui, rogatúmque, culpæ meæ non dare tardiorem promiſſi Operis expeditionem, quam pro virili reſarcire conabor. Vale.





Andreas Hercules de Fleury Gallus Episcopus olim Foro=Iuliensis in Provinciâ S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 11. Septembris 1726.

Ioh. Christoph Kolb. exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sac. Cæs. Maj.

72.

No. LXXII.

ANDREAS HERCULES DE FLEURY GALLUS.

ANdreas Hercules de Fleury Presbyter Cardinalis natione Gallus, Anno 1650. nobilissimis ortus Natalibus, non nisi ad summa quæque natus munia, pietatem â tenera ætate impensè coluit, qua ut magis non sibi soli, plurimis autem prodesset, doctæ Palladi indefesso litterarum labore animum intendit. Nec mirum: Societatem JESU veræ probitatis morúmque disciplinæ magistram, nutricem, instillatricémque sapientiæ lactis habuit. Hinc assuetus proborum, doctissimorúmque consortio Virorum, quos unicè deperibat amore, jactisque in tam Sacra, & per universum orbem celebrata virtutum palestra, fundamentis, brevì Gallicus iste Hercules catenulas aureæ eloquentiæ, quibus omnium animos ad se attaheret, ex ore profudit. Congessit dein altissimos sublimiorum scientiarum montes, penetravit Physices arcana subtilissima ingenii acie, perspexit Theosophiæ abdita, omniáque humanæ sapientiæ adyta facili negotio transcendit. Talibus invictissimus sacorum Gigantium armis, sacratior ipse Achilles cœlo spectatore Ecclesiæ hostium inanes illusit conatus, quibus permota Parisiensis Academia omnium scientiarum florentissimum in orbe facilè Emporium, illum in suum præsidem elegit, haud ignora, sub tanti viri protectione, cujus manus Deus docuit ad prælium, & digitos ad bellum, ex omni parte defensum iri. Spartam hanc nactus, ornavit eam dictissimis Librorum monumentis, quæ itidem Eruditorum ingenia ad Orthodoxæ Fidei defensionem accuunt. Sunt autem, quos vir iste in omni litterarum genere versatissimus summa cum industria conscripsit, sequentes libri. Le Moeurs des Israelites edit Parisiis 1682. 12. Le Moeurs des Chrêtiens Parisiis 1682. 12. Traite du Chos de la Methode des etudes Paris. 1686. 12. Le Devoirs de Maitres, & des Domestiques Paris 1688. 12. L' Historie Ecclesiastique magno cum applausu novissimus iste in lucem editus Liber doctas inter versatur manus. Cognoscitur equidem ex adeò nobilibus intellectûs fructibus, qualem se se in Episcopali munere Foro-julii exhibuerit vir omnium in ore celeberrimus de Fleury, dum non calamo duntaxat instruxit, sed & exemplo oves suas prævit, non sermone tantùm, sed & opere gregem suæ curæ commissum pavit. Agrestium mappalia, & vilissima non abhorruit tuguria, infirmos, si quos ibi decumbere novit, sacra Exomologesi expiavit ipse, sacróque eosdem viatico ad longæ æternitatis peregrinationem communivit, teneram juventutem, rudésque adultos fidei rudimenta edocuit, ê sacris suggestibus præco nunquam non ad confluentem populi multitudinem efficacissimè verba facere auditus est; audientium verò animos ad virtutis sequelam erexit, vitia, & detestandos abusus destruxit; ad hoc omnes corporis, spiritusque nervos ac vires

intendit, ut nemo à splendore Catholicæ veritatis se absconderet, & quæ unica salvifica est, & sancta ubique terrarum floreret religio. Verùm, etsi splendidis adeò, quæ vigilantem Antistitem vestiunt, fulgeret ornamentis, ac magnificis virtutum exemplis pastorale munus suum exornaret, timuit nihil ominus zelo suo, ne apud, qui naturâ suâ bonus est, pastorem, in reddenda aliquando ratione censuram incurreret, altæ officii sui dignitati, veluti undequaque indignissimum, & ejusmodi oneri ferendo imparem se reputans, excelsa animi modestia, & submissione resignavit. Auláque Regis terreni relicta, soli Regum Regi in sacro quodam recessu impensissimè vivere statuit toto animæ hiatu ad cœleste palatium aspirans. Rarum admodùm nostri temporis imitationis specimen, præsagium verò à pietate viri Deo adeò chari, omnem in Regnum Franciæ à Superis dèpluendæ felicitatis. Penetravit hanc in altissimam humilitatis abyssum Ludovici 14. regius, idémque perspicacissimus oculus, visóque, in ea armamentarium non omnium modò virtutum, sed etiam scientiarum, quas inter emicabat rara juris publici experientia, instructum suppellectile, statuit sui firmamenta Regni in hujus inconcussi Atlantis hnmeris solidare, dum Pronepotem, quem diadematis sceptríque successorem designare placuit, ipsius curæ, ac moderamini commisit. Multis æquavit illustrissimum orbis sydus D. de Fenelon olim moderatorem Ducis d' Anjou, & Berrì, multis superavit; ille qnidem quòd ob insignia merita factus sit Archiepiscopus Cambrij, iste, quòd purpureis ascensis gradibus Cardinalis sit creatus, nunc verò primus totius Regni Galliæ Minister delectus honoretur. Unus ergo est Andreas Hercules de Fleury, cujus operâ in præsentiarum Rex Christianissimus in summis quibusque rebus utitur, & tota propemodum Europa ab ipsius oraculis, dum suspenditur, pendet: nam arcanorum Regis Christianissimi conscius omnium, & transactor, Conventui Legatorum totius Europæ Suoissonij præficiebatur sui Regis nomine, simul atque ut intentus in omnem occasionem tacitè & apertè singulorum Principum ad æquitatis trutinam commoda in ea omnium natione celebritate procuraret. Ipse unicè delectus est, qui inter se Reges ac Principes pacificaret, religionis causam, armorum consilia, regnorum ac dominatuum jura decerneret, stabiliret. Quanta in æstimatione apud Regem Christianissimum felicissimè regnantem fuerit, sermo, quem Rex ad Parlamentum (ut vocant:) habuit, declarat: & fermè sic sonat. Tempus est, ut ipse curam meorum in me suscipiam regnorum, & affluentiam mei meis subditis debiti amoris experimentum faciam, motus eorum immota obedientia, & fidelitate. Placuit mihi summa semper mei Patruelis Ducis de Buorbon solertia in administrandis, quas suæ virtuti commisi, provinciis, eamq; in acceptis refero; è re tamen in præsentiarum esse judico, titulo, & obsequiis principalis Ministri imposterum penitus abstinendum. Hanc animi mei sententiam ipse quòd regna mea gubernare constituerim, subjectis mihi Parisiensi imprimis, deinde reliquis Parlamentis intimari præcepi, & id ipsum per litteras patentes mearum Præfectis, & Provinciarum Satrapis publicari faciam decretum, exterarum Ministris aularum satis jam manifestum &c. Determinatis horis certa quædam Regni negotia pertractanda proponam, quibus, & aliis privatis curis Antistitem olim Fori-juliensem interesse præ cæteris volumus, adjunctis, qui rerum expeditionibus gnaviter deserviant. Enim verò decuit, tam grande sapientiæ domicilium summis exornare honorum, atque officiorum titulis, ubi Rex ipse sceptra moderari didicit: nam ex quo tantæ prudentiæ morúmque gravitate vir ad esse futuri Regis Præceptor ascitus est, nactus est occasionem perspectam omnino Regiam in omnibus indolem habendi, sensa Principis penetrandi, & jam summi Regis mandata priusquam voce ederentur, ex vultu conijciendi. Et laborum quidem tolerantia, constans ac supra aulicum obsequium fides. quæ Regem latere non poterant, ipsius quoque haud dubiam benevolentiam devinxère, itá, ut non amare eum non possit, qui animi promptus consilia in omnem partem varia submittebat, quo integrum suæ Majestati esset deligere maxima suæ Regiæ Dignitatis, Regníque commoda. Sola Purpura,

quæ

quæ magni hujus, simul atque in oculis suis parvi Herculis humeros, quibus unà & politicum, & sacrum Ecclesiasticæ Reipublicæ cœlum hactenùs fulciebat, tegeret, restare videbatur. Sed ecce adest submissa à Summo Pontifice BENEDICTO XIII. infallibili veræ pietatis, atque virtutum æstimatore, in recognitionem tantorum meritorum Viri de sacra Sede optimè meriti, dum suæ Sanctitati placuit fortissimum istum Herculem sui, suáque humilitate antiqui serpentis Victorem inter coruscantia Pnrpuratorum Patrum sydera collocare, Cardinalem ipsum creando in Consistorio secreto habito die 11. Septembris anno 1726. Nescio, an unquam Lutetia Parisiorum (si Regum excipias inaugurationes) votis quempiam ardentioribus prosecuta, aut majori gestientis animi affectu cuidam ad Purpuram evecto gratulata fuerit, quàm cùm talem ac tansum & Regno Ministrum, & Ecclesiæ Principem, & Patriæ Patrem, & maximè àrduis præsentis Europæ statûs negotiis moderatorem propitius Cœli favor indulserit, cujus voluntate potiùs ac nutu, quàm humano consilio talem accidisse ad purpuram promotionem nemo est, qui ambigat, nisi quis fortè ignoret, eandem esse Dei, & populi vocem. Insignia florentissimi ac illustrissimi de Fleury stemmatis canem ostentant, & sex explicatas in parma gentilitia rosas. Ille vigilantiam signat, istæ odoriferam purpuræ gloriam pandunt. Certè vigilantem: quis enim tanti Regis Ministrô vigilantior? quo custode Antipatre coronata Macedonum capita sinè puugentium Regni curarum læsione tutè dormiunt, cujus latratu procul ab Ecclnsiæ foribus arcentur ovium pellibus vestiti fures. Quid de explicatis rosis sibi non spondeat Sacra Romana Ecclesia in tanto purpurati Prinripis decore? Rosa florum Regina id prærogativæ habet, quòd suum ùr recens nata, ità odorim servet eiiam in senecta uberi. Primæ fasciæ hujus Herculei Principis jam involucra fuère virtutum: In primo flore juventutis vitiorum elisit angues; adultus hydram colubris & capitibus renascentium in Gallia hæresum pullulantem non ferrô, & igne, sed spiritu, & gladio oris sui oppressit. Et nunc gloriosissimus sacra in purpura Senex Dynasta cum beatissimo Sene Pontifice socijs admotis humeris cœlum portat. Et quoniam virtuosa consuetudo suavitatem à se penitùs individuam nunquam non spargit, nec roseus noster Hercules victoriosam ammittet fragrantiam vel post mortem, sed ereptis infernali Draconi spoliis, rosis liliisque coronatus cœlestes Hesperides, quod tardè contingere precamur, triumphali totius perfectionis pompâ ingredietur.

No. LXXIII.

LAURENTIUS COZZA MONTIS-FLASCONENSIS.

LAurentius Cozza, Assistens Congregationum S. Officii, Episcoporum, & Regularium, Disciplinæ Regularis, Fidei propagandæ, Ecclesiæ S. Mariæ Ægyptiacæ, & Nationis Armenæ Protector, Presbyter Cardinalis natus 31. Martis Anno 1654. in Monte Faliscorum (vel ut ajunt) in S. Laurentio Dioeceseos Montis Flasconis falernô passim per orbem celebris. Hoc in monte Laurentius Cozza generosa vitis altas egit radices virtuosæ vitæ, ut suo tempore superno rore, ac divini Solis radiis ad perfectionis maturitatem coctus non optimum duntaxat aridis animabus poculum propinaret salutis, verùm etiam in craticula variarum corporis afflictionum assatus, mensæ cœlesti sapidus fieret cibus inferendus. Adolescens egregiæ indolis seraphicis jam admovetur ignibus: nam Cœli tactus ardore, voluntatem suam victimam sacris dedit D. Seraphici Patris Francisci institutis. Effulsit in eo mira intellectus subtilitas, ingenii acumen, judicii perspicacitas, audire enim subtilissimi Doctoris Sophiæ arcana, capi erat; individuas rerum formas & in se naturâ unas inauditæ distinctionis acie ex natura rei sinè deformi lœsione inter se dividere novit, in dictis verò factisque in tyrone Magistrum se probabat. Ne igitur præstantissimæ salivam sapientiæ suæ ipse deglutiret solus, ad docendi munia obeunda, ipsi odornabantur pulpita, ubi eximiæ fusis doctrinæ oraculis, quot discipulos habuit seraphicos efformavit Doctores. Flexanimam ipsum dixisses Suadam, adeò audientium, in omnem, quo valebat partem torrente suæ eloquentiæ, sed non nisi ad immensum amoris divini, ut, unde exeunt virtutum flumina, iterum revertantur, animos rapuit. Sacro-sanctæ Theologiæ mysteria tam sublimi scientiæ ardore imbibit, ut, quod avido intellectu hausit, prompta voluntate amaret, in Cherubinam, ac Seraphinam quasi immigrans naturam. Testes hujus veritatis sunt, sapientiâ humanâ excellentiores, quos vir iste in omni scientiarum genere versatissimus singulari solertia haud parvo in numero conscripsit, libri. Sed hæc sint licèt maxima, minora tamen sunt in hoc celsissimo de Observantia Minorita. Sinè phalcris dicam. Mente assiduè circumferebat imaginem divi sui stigmatizati parentis, non tam ad contemplandum, quàm imitandum, probè gnarus, excelsa quæque ruere absque humilitatis fundamento, quam profundissima animi demissione Matris locò in honore nunquam non habuit: rigoris sacri sui Ordinis & regularis ex præscripto observantiæ sacerrimus Zelotes, severus in se, mitis in alios, vix Pater distinctus inter fratres amore, mansueta conversatione & submissa comitate. Præclaris adeò animi, & naturæ dotibus ornatus Vir in Urbe Solymorum religiosissimo Fratrum sui Ordinis cœtui Quardianus præficiebatur. Quo arduo in munere non tam suo, quàm suorum diu, noctúque metuens periculo ob crebrius à Saracenis intentatas



Fr. Laurentius Cozza Montis Falisci, Minister Generalis totius Ordinis S. Francisci, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726.

Ioh. Christo. Kolb exc. AV.


Cum Gratia et Priv. Sac. Caes. Maj.

tentatas ibidem irruptiones, sed vel orationis armis procul eos abesse cogebat, vel amabili sua comitate barbaros furores circurabat, vel tandem, si perfractis Conventûs repagulis sub feroci pagano moriendum fuisset, paratus devota Christo victima etiam ad aram cadere, animæ suæ ferrô via ad Cœlum patefacta, ad imitationem D. sui Patris hac differentia, quòd iste â Christo mediante Seraphino sacra stigmata acceperit, ipse gladio signa constantis fidei accepisset. Dignissimus ergo qui exantlatis tot periculis, hostibúsque sinè sanguinis effusione debellatis, in Generalem Ministrum totius sacræ militiæ sui Ordinis unanimis suffragantium calculis eligeretur. Quot trophæa Seraphicus hic sacer per universum mundum diffusus Ordo in militantis Ecclesiæ templo sub tanto Duce suspendit, imaginatu difficile, numeratu longè difficillimum est, cùm vix Pagus, Civitas certè haud ulla in Regnis sita invenitur, in quibus sacra Conventuum castella D. Francisci erecta non conspiciuntur tot illustrata quotidianis de orco reportatis victoriæ palmis, quot animas egregii hi Christi Milites, sui maximi victores, & infernali jugo ereptum eunt. Maximus iste, & omnium sacrorum in Christiana Republica numerosissimus Ordo fundatus fuit à divite paupere Christi imitatore, Francisco Assisiensi, ab INNOCENTIO Tertio summo Pontifice in Concilio Latarenensi approbatus 1215. posteà ab HONORIO III. Anno 1223. confirmatus fuit. Ex hoc munitissimo Seraphicorum fortalitio tanquam ex equo Trojano fortissimi in spatiosum mundi hujus campum erupêre Heröes clandestino, & aperto Marte, calami, & oris gladio in Ecclesiæ hostes irruentes, hæreses debellantes, partim humana ratione, partim cœlesti doctrina, & prodigiis paganos convincentes, quin & primogenitos Regis Majoricæ, Cypri, Aragonæ, Græciæ, Tartariæ suo miræ virtutis cingulo ligatos ad Christi jugum dum traxerunt, in veram libertatem asseruerunt. Seraphico suo igne in cineres redigerunt tantarum Lusitaniæ, Ungariæ, Boëmiæ, Navarræ, Austriæ, Poloniæ Reginarum purpuras, regali mutato in abjectum, habitu, Seraphicis suis pennis obscuram fidei faciem etsi non evidentet claram, infallibiliter tamen credendam mentis aspici objecerunt. Alexander de Ales, de cujus lumine D. Bonaventnra summa Purpuræ Cardinalitiæ gloria, lucem cum ardore maritans, inter Lampades Ecclesiæ Doctorum splendet, & ardet. Subtilissimus Doctorum Scotus, qui ingenii acumini vitæ sanctitatem conjungens, secreta naturæ exploravit, & abyssos gratiæ penetravit. Ochamus Nominalium Coriphæus qui ad evitandam rerum multitudinem, conatus est cum nominibus solummodò quæstiones scholastico-litigiosas instituere. Aurelius, qui tantorum lapsu annorum in terræ visceribus absconsus & tandem in lucem prodiens, nostra tempora, sua ditavit auri inventione. Majron, qui titulum illuminati Doctoris obtinuit, ex eo, quòd profundis obscuritatibus illustratis, suis radiis visibiles reddiderit atomos subtilitatis Scoti. Robertus, Riccardus, Liranus, Basolus, Henricus, Clavasius, Raymundus, Capestranus, Bernardinus, Pelagius, Oisus, Bargius, Siretus, Novocastrus, Hibernicus, Lichetus, Trombetus, Taretus, Titelmanus. Omnes isti, & alij innumeri Seraphini expanderunt alas suas ad extremas maris oras, finésque terræ, quorum sub umbra integra regna foventur: hæc enim Augustissima Religio, in quinque choros (sive mavis) in quinque nominaliter incompletas species divisa, perfectione autem reali & tendentia in unam ex una regula finem, completè unita numerat centum & quinquaginta Provincias, & viginti sex millia Conventuum. Quinque Imperatores immortali decoravit corona. Quinquaginta quinque solenni Canonizationis ritu Sanctorum fastis adscriptos ad cœlum transtulit. Quindecim millia Martyrum, invictissimos fidei pugiles summo cœlorum Monarchæ transmisit. Quatuor Pontifices maximos infallibili dedit Vaticano. Ultra quinquaginta Sacræ Romanæ Ecclesiæ ad purpuram enutrivit Cardinales. His novissimè accessit clarissimum sacerrimæ hujus familiæ lumen, & ornamentum Laurentius Cozza, quem celsis

 refer-

refertum meritis BENEDICTUS XIII. in consistorio secreto 9. Decembris 1726. celebrato, purpura exornatum sacro primorum Ecclesiæ Principum Collegio annummeravit, signum editurus philadelphici, & translatitii, quo Sanctissimi Patriarchæ, orbisque Portatores Dominicus & Franciscus indissolubili nexu uniebantur, amoris. Hac ipsa suæ felicissimæ ad purpuram inaugurationis die, omnia Eminentissimi Cardinalis Sacripanti demortui beneficia huic paupertatis amatori suæ Sanctitati conferre placuit, non equidem aut divitem redderet, sed ut purpuram extrinsecus honestaret viri, purpuræ nitore splendidioris, vitámque in terris cœlestem agentis; nam assiduè in Conventu suorum Confratrum Ara Coeli dicto, degens, in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione & aviditate in illa æterna patria conversatur. Unde haud inaniter astruendum, hac ipsa de causa Alcyonem in insigne sibi complacuisse asciscere, quo significaret, assidua contemplatione cælestium omnes mentis fluctus detumescere, & in eorum vicem interiorem tranquillitatem sorte beatissima suffici. Certè in meritissimi Laurentii Cozza ad Cardinalitium promotione sicut universa Roma insolita edidit jubilantis animi signa, ita haud vanè ex ejus in urbe fixa præsentia veluti in nido stabilienda, omnem sacræ, & profanæ reipublicæ quietem ac perennem tranquillitatem ominari potest, magìs autem ex diutissimo (quod unicè precamur) in cœlo Ecclesiæ dominatu Luminaris majoris summi Pontificis BENEDICTI XIII. Dominicani, & Luminaris minoris Laurentii Cozza Minoritæ omnem felicitatem adstruere licet.

No.





Nicolaus Maria Lercari Genuensis Archiepiscopus Nazianzenus S Smi D.N. BENEDICTI PAPÆ XIII Primus Minister, et Status à Secretis, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus ab eodem S Smo. D.N. in Con=sistorio secreto die 9. Xmbris 1726.

Ioh. Christoph Kolb exc. A.V.

Cum Gratia et Privil. Sacr. Cæs. Maj.

No. LXXIV.

NICOLAUS MARIA LERCARI GENUENSIS.

Nicolaus Maria Lercari tit: SS. Joannis & Pauli S. R. E. Præsbyter Cardinalis Episcopus Nazianzenus. Clarissimum hoc Sydus exortum est 9. Novembris 1675. in Aristocratico Cœlo Genuensis Reipublicæ, Parentibus honestissimis, iisque opulentis in oppido dicto Taggia, vel ut aliis placet, Tabia, unâ duntaxat parasanga distante à San Remo, & duobus millibus passuum dissito à mari Ligustino Diœceseos Albengensis. Albenga Urbs est insigni celebris portu, ampla quidem, & pulchra, populosa verò non adeò ob auræ insalubritatem. Anno 1175. fuit à Pisanis in cineres redacta, sed Phœnix inde resurgens, venustior reddita est ædificiorum splendore. Alexander Tertius Romanus Pontifex anno 1179. eam Episcopali Sede decoravit. Titus Ælius Proculus, qui tempore Imperatoris Probi Cæsar proclamatus fuit, hanc urbem patriam habuit. Haud pròcul inde à regione parva quædam insula conspicitur, ob id nomen sortita Isoletta d' Albenga, ubi præter unam in altum erectam turrim videre nihil est, nisi dicere velimus, hac in vicinitate agrorum unam, sed longè nobiliorem eámque munitissimam conspici turrim omnium virtutum ac scientiarum armis instructam, & apice absolutæ suæ perfectionis nubes transcendentem, atque unam integram amplissimámque præstantissimorum virorum rempublicam in uno Nicolao Maria Lercari repræsentantem: Enim verò si hoc eminentissimum propugnaculum cominus intueri liceat, *omnem armaturam fortium*, *& mille clypeos* inexplicabilium prærogativarum *ex eo pendere* fatendum sinè palpo erit. Primos teneræ ætatis flores doctæ Palladi sacravit: erat illi explicata indoles, aspectus nobilis, ingenium docile ac perspicax in omnem partem mira comitate, morúmque suavitate versatile, specimen reddens ad suprema quæque munia obeunda eum singulari cœli favore, ac providentia natum. Sui ingenii comites habuit historias omni retro antiquitate celeberrimas, vividæ ejus memoriæ adeò adhærentes, ut infantiæ mundi coëtaneus fuisse videretur. Hinc præterita ad nutum habebat præsentia, præsentia in digestum ordinem disponebat, futura mente præcurrebat. Scientias altiores non tam didicit, quàm deglutiit, suâ eloquentiâ Romam in admirationem rapuit, ejus dum beneficio pleráque ardua negotia feliciter confecit, mira tamen solertia temperata, probè gnarus, sinè hac parsimonia omnem facundiam importunam demum esse profluentiam, morbúmque haud se retinentis ingenii: laborum indefessus diebus noctes desponsabat, vir in omni genere excellentioris litteraturæ versatissimus, sed præcipue justitiæ vigoris tenacissimus: quare ne minimus apex, vel una æquitatis atomus trutinâ decideret, doctas lucernas nocturis vigiliis accendit, partibus ut ex omni parte fieret satis, suum admirante Astræa Alumnum adeò rebus invigilantem forensibus. Summi Pontificis BENEDICTI

XIII. obtutus oblectabant tot raræ admodùm in tanto viro naturæ animíque dotes, visóque, quòd omni semota animi relaxatione totus esset in pertractandis rebus publicis ad Ecclesiæ Romanæ maxima emolumenta, solertes labores pensione recreavit 500. Scudorum ad alios usus jam destinatorum. Sed & mox à sua Sanctitate Secretarius status constituitur, & Præfectus Pontificiæ Cameræ: gliscentem inde in dies autoritatem, auctáque merita eximii adeò viri, humor nescio quis exterorum Principum Ministrorum ea diminutum ibat, detrectantium publica cum ipso negotia transigere, credendum, quia majori reverentia digno, eam nisi purpurâ decorato, deferre non fuisse ausos. Quidquid tandem erat: discordantiam evidenter collatæ purpuræ decor sustulit. Placuit ergo Sanctissimo Patri supremo in Ecclesiastica Hiererchia honore, papali duntaxat inferiori, in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726. habito unanimis Purpuratorum Principum suffragiis Nicolaum Lercari coronare, non minùs universa sibi de tali ac tanto viro gratulante Roma, splendidissimis lætitiarum editis signis artificialium festivantium focorum, quàm serenissima Genuensium Republica in immensos effusa jubilos ob sui ad tantos honores exaltationem concivis, dignúmque reputante, ut, qui ex Cardinalitia dignitate patriæ suæ auxit splendorem, vicissim munificentissimis ipsum muneribus honoraret, totáque Lercarianam Genuæ oriundam nobilitate donaret. Posthæc Nazianzanæ Ecclesiæ Archiepiscopus à BENEDICTO XIII. denominabatur pietate æquè ac summa juris prudentia clarissimus, nec in ullo munere sibi dissimilis, quamcumque in partem se demum verteret, æquissimas in decidendis forensium causarum difficultatibus judex, zelosissimus in pascendis ovibus Antistes, ex utroque quærens, non quæ sua sunt, sed quæ Christi summi Pastoris. Tandem rerum omnium expertissimum sua Sanctitas declaravit primum Apostolicæ Aulæ Ministrum, cujus vastissimæ altissima montium Romana vertex summa Ecclesiæ negotia committeret prudentiæ, quam non modò Roma admirans fusa ejus oracula venerabatur, sed & Reges, & Principes primæ admissionis Ministrum reverebantur. Quin & Augustissima Imperii Aquila in tam splendido Romanæ Ecclesiæ sole defigens oculos, volénsque tanti viri merita remunerari, pingues duarum in Milanènsi statu Abbatiarum reditus eidem concessit, adjecta insuper ex bonis Ecclesiasticis Milanensibus annua ad dies vitæ pensione quingentorum Scudorum: Sanctissimus Pater etiam quatuor Abbatias, quibus pientissimè defunctus Cardinalis Bernardinus Scotti in præfato statu fruebatur, addidit, unà cum beneficio Xenodoxii ad S. Joannem post obitum Cardinalis Sacripantes. Ità planè est, quod superiùs de Eminentissimo Nicolao Lercari memoratum est, videri naturam pretiosissimos suos thesauros in conferendis præstantissimis tum corporis, tum animi dotibus in hac unica eminentissima Persona depositâsse, sibíque complacuisse in unico Nicolao Lercari excellentissimorum virorum Rempublicam erigere. Tot enim non importunus honoribus accersendis, neutiquam verò impar òblatis præficiebatur officiis, quorum quodlibet fortissimi cujûsque Atlantis humeros lassandi capax esset, ipse solus sinè onere portabat. Assistit S. R. E. Congregrtionibus, & quidem tanquam Præfectus della consulta, Sacræ Domûs Lauretanæ, & status Fermensis. Item Gongregationibus sacrorum rituum, Episcoporum, & Regularium, Concilii de propaganda fide Indulgentiarum, & Reliquiarum, Consistorii Ceremoniarum, bonæ Gubernationis, Indicis, Avignonensis, Sublevaminis, Artis agrariæ, Aquarum, Immunitatis, Fabricæ, Confinium, Visitationis Apostolicæ, Disciplinæ regularis. Signaturæ di gratia, Examinis Episcoporum, Satisfactionis Missarum, Paludum Pontinarum, Residentiæ Episcoporum, Riparum, viarum. Insuper & Protector est Canonicorum Lateranensium, Hospitii Apostolici ad S. Michaëlem, & denique Collegii Germanico-Ungarici. Omnia hæc solerti obibat obsequio Nicolaus Lercari, & diurnâ & nocturnâ sinè somno, sinè cibo, laborum tolerantiâ. Antequam Sanctissimus Pater 1727. Beneventum abiret, Nicolao Lercari summo justitiario submisit Decretum, vi cujus in ejus absentia attenderet ad vacaturorum officiorum collationes, ne ea indignis, sed vel per civilia

vel

vel militaria obſequia de Eccleſia Romana bene meritis conferret, nullo habito reſpectu ad ſignaturas, vel expectantias, ſivè à ſe, ſive à ſuis prædeceſſoribus gratiosè impertitas, quas prorſus abolitas vult, niſi & ipſi, quibus ſimiles gratiæ, & prærogativæ fuerunt indultæ, præſtitis egregiis factis idoneos ſe, ad quæ aſpirabant officia, reddiderint: quo ſanctiſſimè conſtituto ſecundis avibus ſua Sanctitas Beneventum abijt, Nicolao præcipuo ſui regiminis inſtrumento Româ ſuæ fidei, & curæ relicta, addito inſuper præcepto, expediret ad ſe quotidie Beneventum quatuor continuos curſores, qui de rebus maximi momenti, & quæ altioris indaginis negotia in ſua interim abſentia eſſent emerſura, diſtinctam, & quomodo tractata fuiſſent, aut tractarentur, accuratam deponerent relationem. Benevento dein Romam uno poſt menſe Beatiſſimus Pater rediens laudavit ſummopere in omnibus, & per omnia ſui Primarii Miniſtri curam, & ſtudia intercalaris ad amuſſim adminiſtrati regiminis. Beatus profectò ille Monarcha, felixque Princeps, qui tales nactus fuerit Miniſtros, quibus non tam ex cœcæ cujuſdam inclinationis favore regendi munia committat, quàm quos potior omni alia ratione virtus commendat, qui amore magìs, volentes ad obſequia trahant, quàm affectato imperio cogant invitos, ſéque ipſos priùs, quàm ſubjectos noverint moderari. Enimverò in talem incidit Roma, dum Eminentiſſimum Nicolaum Lercari in purpura ſplendentem undequaque intuetur: id enim omnium ore ac linguis longè, latéque per omnia paſſim Regna, & Provincias decantatur, & certè in orbe peregrinus ſit, oportet, ad quem tanti Viri prudentiæ, ac moderationis, qua omnium animos dudum ſibi devinciebat, vel fructus, vel fama ſaltem non pervenerit. Teſtes dictorum ſunt, quotquot vel auxilii, vel conſilii inopes ad tanti Tripodis aram confugere, vel qui ad ſacræ Purpuræ fimbriam deoſculandam admiſſi rara animi hujus prudentiſſimi Principis decora vicinius ſunt contemplati. Talibus equidem ſacra Orthodoxa eget columnis, talibus ſuccolantibus humeris Sanctiſſimi Patris honorandiſſima ſenectus, qui hactenus non alios ad ſacram Purpuram Dynaſtas evexit, quàm quos inſignis doctrina cum illibata virtute, & integræ vitæ meritis maritavit, orci terrores, fidei defenſores, hæreſum debellatores, Eccleſiæ cardines, pedîs, Tyarîs, coccineîs digniſſimòs, quos inter primariò Primus aulæ Pontificiæ Miniſter fulget Nicolaus Maria Lercari, quem tam altè jam aſcenſâ gradatim petrâ, ſacro quoque ejuſdem vertice (DEO Comite & inſpirante) potiturum haud obliquo vaticinio tangi poſſet.

No. LXXV.

ANGELUS MARIA QUIRINUS

Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis Venetus.

Angelus Maria Quirinus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis natus 20. Martii anno 1680. Quirinorum familia, & antiqnitatis decore, & nobilitatis splendore nulli Venetorum facilè secunda, originem suam in radicibus nobilissimi Romani per omnes priscas historias celebrati Sulpitiorum stemmatis habere gloriatur, & non duntaxat à septimo, & octavo gloriosissimè regnantibus Venetorum Ducibus Mauritio Galbaio, & Joanne Galbaio, qui ad octavi sæculi occiduum vixêre, sed ab ipso Romanorum Imperatore Sergio Sulpitio Galba, & retrò, suæ Prosapiæ sanguinem per longissimos canales ad nostra usque tempora productum volunt. Tot monstra maritima Adriacum non habet, quot monstra sapientiæ Veneta Civitas numerat; credendnm ideò, quòd serenissima hæc Aristocratia prout omnes scriptores referunt, suum exordium ex aquis, quæ sapientiam denotant, sumpserit 25. Martii, die, quo sapientia incarnata, ùt universa Ecclesia tenet, de stellato solio in hanc lacrymarum vallem descendit, eodémque lustrîs sex peractîs mortua, exeunte de latere ejus sanguine aquâ misto. Cocco benefica constellatio, quæ die adeò sanguinolento tingitur purpurâ altioris pretii, & sacratioris venerationis causâ habendi. Agnus moritur, Leo Venetus aperit librum: auspicatò nascitur ista Respublica ad nobilissimam libertatem in die Redemptionis. Nascitur Angelus Maria illustrissimis Parentibus de Quirinis 20. Martij Venetiîs, quinque diebus ante vigesimum quintum, felix prodromus ipse, nuntiúsque suæ futuræ Purpuræ ex regeneratione facta sacro Baptismi latice ipso concipientis Virginis Matrísque DEI festo. Primo igitur vagitu Angelus & nomine Mariæ salutatus, & salutans. Fausti certe prognostici dies: quo Angelus ascendens ex Adriatico Marianas nomine fecit aquas, dies, qui principium salutis attulit mundo, Angelo de Quirinis stolam contulit innocentiæ, quod forte ligamen sit connexurus ex communicatione nominum Angelum inter & Mariam, & dies adeò genialis Mariæ, quod tantam effectam Matrem inclinaturus sit ad uberes gratias impertiendas, & honores: dies gemminatæ Auroræ, & Virginis concipientis, & Angeli nascentis, quod serenissimæ Venetæ Reipublicæ sit allaturus duplò majorem splendorem, & Principi in orbe urbi duplicatam lucem Angelo Mariæ cœli terræq; favores, mitras, purpuras, ac demum super omnes colles in Vaticano vertice sublimitatem. Dies navitatis non fuit absque pietatis mysterio, vaticinium non absque felici veritatis eventu. Angelo conformem à teneræ ætatis unguibus vitam duxit, contemptor mundi, antequam hospes, doctæ Palladi nupsit virtutis dote. Positîs in altissimæ humilitatis abysso fundamentîs scientiarum attigit summa cum facilitate cacumina, quibûs alîs præmunitus Angelus ad montium excelsa tendit, relictóque sæculo obscuro quidem, sed super solem splendido D. Patriarchæ Benedicti habitu in toto orbe & sanctitate & doctrinâ famosissimo monte Cassino absconsus, sacræ militiæ tyrocinium posuit, generoso animò mundum pedibus conculcans, & illustrissimis titulis antiquissimæ suæ stirpis, quam non Italia solùm, sed & Germania, Gallia, Ungaria, Batavia, Græcia, sed & Tracia & Syria à tot centuriis annorum ex virtute bellica novit, renuncians, intra sepes claustri latere maluit sui maximus victor, quàm avitæ generositatis vigore urbes evertere, castra demoliri.


Nihil



Don. Angelus Maria Quirinus, Venetus, Episcopus Brixiensis Ord. S. Benedicti Cong.^nis Cassinensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à S.S.mo. D.no. N.ro. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726., et in simili Consistorio publicatus die 26. Novembris 1727.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. M. Ioh. Christoph Kolb exc. Aug.

75.



Nihil Angelô Mariâ in hoc sacerrimo cœtu dimissius, nihil modestius, inoffenso pede ardua & abjecta obibat monasterii ministeria, viâ nimirum ad excelsa stratâ, nec unquam sola, nexæ inter se virtutes ei associantur, nam quò generosè præcedit una, illuc individuus sequitur comitatus virtutum cæterarum. Sublimiores scientias ita hausit, ut in abstrusa Philosophiæ profundissima penetrârit arcana, & aliàs inaccessa sacræ Theologiæ cacumina transcenderit, ingeniique sui acumine, pede duntaxat terræ incola, mente siderum assecla. In Ecclesiasticis Historiis evolvendis assiduus memoriæ eas affixas tenebat, nec in ulla re ex honesto otio magis delectabatur, quàm egregia insignium scriptorum monumenta de tenebris oblivionum publica luce donare. Habet hoc paterna hæreditate insigne sacerrimus Augustissimus & antiquissimus S. Benedicti Ordo, ut plerúmque montibus situs, mundi vallibus lucem suppeditet; nam præterquam, quòd maxima orbis pars huic divino Ordini fidem Orthodoxam debeat, quis enim nescit per Gregorium Angliam, Hispaniam per Leandrum, Germaniam per Bonifacium, Belgium per Amandum, Poloniam, Ungariam, & Boëmiam per Adalbertum, Sueciam per Stephanum, Lituaniam per Brunonem, Gasconiam per Albonem, Sclavoniam per Bonifacium, Indiam occidentalem per 12. Monachos ex monte Ferrato fidem suscepisse, tot summos Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Doctores, Sanctos, & Ecclesiæ militanti nutrivisse, & Ecclesiæ triumphanti transmisisse, non cessat tamen surrogatîs continuis nobilissimis plantîs & morum sanctitate, & sapientiæ gloria corrusantibus Vaticanum hortum exornare, quo in horto In præsentiarum velut Rosa Jerichuntina floret Angelus Maria de Quirinis, centi-folia virtutum meritis: cujus odore delectatus summus Ecclesiæ Monarcha BENEDICTUS XIII. eum ad purpuram Cardinalitiæ dignitatis elegit in Consistorio secreto habito 9. Decembris 1726. sed publicari fecit die 26. Novembris 1727. in simili Consistorio, ingenti cum gratulatione totius sacri purpurati Collegîi de accessorio suo senatui emminenti splendore. Mons Cassinus festis ignibus Mongibello similior lætitiarum ardebat flamis, amoris signa eructans in sui Confratris exaltatione ad purpuram non quod insolitum sit huic sacro monti aut Ordini aliquem ad Purpuram ex suis assumi, sed quòd uni contigerit, quod omnes promerentur. Illustrissima pariter familia de Quirinis Venetias Urbium Italicarum Emporium artificialibûs focis, & publicis gaudii testimoniis illustriores reddidêre jubilô communi animatis civibus ad acclamandum perenne VIVAT suo in supremum gradum honoris sublimato concivi. Sed modestia novi purpurati Principis ad similes honores insensibilis arreptâ purpurâ tinxit calamum, quo quasi docto penicillo sui sanctissimi ad purpuram Promotoris BENEDICTI XIII. adumbraret Ecclesiasticas functiones, quæ cùm omnes Angelicæ sint, Angelicâ quoque pennâ mundo palàm fierent, condecens erat. Eodem tempore, quò Angelus Maria rubeô pileô coronatus fuit, Ecclesiæ Brixiensis, in Venetorum territorio, Episcopus denominabatur: sunt autem huic Sedi Episcopali jure quasi hæreditario annexi tituli & Ducis, & Marchionis & Comitis, qui omnes quidem veluti pedissequi Angelo Mariæ famulantur, nunquam verò raras ipsius virtutes, ac excelsa merita adæquant. Assistit Congregationibus Episcoporum, & Regularium Rituum, Concilii, Visitationis Apostolicæ, Disciplinæ Ecclesiasticæ. Enim verò Angelus & Romæ & Venetiarum maximum decus non tàm præfectus quàm natus ad omnia summa munera, totum orbem in spem erigit, fore, ut quondam septicolle Vaticanum se se Monti Cassinensis Angeli meritis inclinans ex Castro-Angeli explosis majoribus tormentis universalis Ecclesiæ Angelum tutelarem, & summum Patrem salutet, & qui de Cœlo Romanæ Ecclesiæ datus est, illuc redeat, votis omnium, quæ Venusinus Vates Augusto Imperatori exoptabat, conclamando:

Serus in cælum redeas, diùque
Lætus intersis populo Quirini.

No. LXXVI.

JOANNES DE MOTTA ET SILVA LUSITANUS.

JOannes de Motta & Silva S. R. E. Presbyter Cardinalis Lusitaniæ natus 14. Augusti Anno 1685. ex illustrissima Silvarum prosapia, antiquitatis, & rerum gestarum splendore in toto Portugalliæ Regno maximè conspicua: Familia ista ab antiquissimis Regibus in Legione, & quidem à Regis Fruelæ secundi natu minori filio Infans Aznar nuncupato, ortum habet: ex qua deinde complures aliæ longè celeberrimæ familiæ prodiêre, quæ Castiliæ, & Lusitaniæ Regna innumeris impleverunt & pietate, & armis, toga sagóque clarissimis Heroibus, quorum sapientiam in dandis consiliis aulæ Imperatorum ac Regum sunt admiratæ, magnanima eorum ac bellica virtute hostes contriti, doctrinâ & Religionis studio Ecclesia Orthodoxa illustrata. Enituêre in hoc illustrissimo genere Comites Cifuentes, quorum eximiis meritis motus Rex Henricus IV. Urbem Cifuentem in Castilia sitam 1455. Joanni de Silva in Comitatum donavit. Defunctis ejus masculis Hæredibus Ferdinandus Hiacynthus Meneses lineâ maternâ ex illustrissima Silvarum progenie oriundus titulum Comitis Cifuentis obtinuit Anno 1644. sed mùndi pertæsus vanitatem, Capucinum induit clauso pientissimæ vitæ cursu. Ipsius nepos Ferdinandus de Silva, major Vexillifer in Castilia, comes profectionis fuit Caroli III ex Portugallia Barcellonam, à quo postea ob fidelia præstita obsequia Insulæ Sardiniæ Pro Rex præficiebatur anno 1711. Dein cùm Carolo III. in Romanorum electo Imperatorem in Germaniam remeans Eques aurei velleris, & primus in aula Cæsarea Camerarius ab augustissimo factus est anno 1712. pariter ex illustrissima Silvarum stirpe originem trahunt Duces de Pastrana, olim Domini de Chamusca nuncupati: Ruy Gomez de Silva primus Dux de Pastrana plures genuit ex Anna de Mendoza & Cerda filios, à quibus Comites de Salinas, Duces de Hyar, Marchiones de Orani, de Eliseda, & de Aquilar orti sunt. Præfati Ruy Gomez Pronepos Rodericus nactus est Ducalem titulum de Lerma, & Infantado. Joannes de Deo de Silva Princeps de Melito, & Evoli Dux de Infantado, Lerma Pastrana, Estremea &c. nupsit Comitissæ cuidam ex Regio Gynæceo. Frater ipsius Emanuel Maria Joseph Comes de Galve in bello Gallo-Hispanico ob successionem in Regno tenens partes Austriacas anno 1706. omnium bonorum jacturam subire coactus est, satis potentem se ac divitem existimans, si sub alis protectricibus Augustissimæ Imperii Aquilæ degendi honorem suum sinè nota vacillantis animi continuaret. Generosos ac penè innumeros Illustrissima produxit Silvarum Domus Heröes, quorum decora virtutum Europam ab antiquissimis retro seculis ad nostra usque tempora complexa sunt. Hæc inter splendidissima sydera veluti Sol relucet Joannes de Motta & Silva, suæ illustrissimæ Originis illustriora dans documenta. Nam præstantissimis animi corporisque dotibus decoratus, has morum gravitate sinè fastu exornavit, illas altissimo scientiarum oceano absque mentis elatione immersit, ad


ripam



Ioannes de Motta y Silva Lusitanus, Canonicus Patriarchalis Ecclesiæ Ulyssiponensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. Dño. Nro. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 26. Novembris 1727.

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. Ioh. Christoph. Kolb exc. AV.

76.



[illegible]

ripam quippe auriferi Tagi natus, auream eloquentiam inde hausit, profunda Philosophiæ ingenii acie perspexit, dirigens vitam ad normam rationis, limitesque honesti, sacræ Theologiæ mysteria mentis apice penetravit, cœlo assiduè affixus, in divina oracula profluxit, sacrorum Canonum, ac jurisprudentiæ difficultates tanta facilitate enucleavit, ut maximè arduis æquâ trutinâ causis libratis, lites tanta æquitate decideret, ut ne partes quidem succumbentes de Sententia contraria conqueri possent. Quare consiliorum promptitudine haud obscurus Tripos, claritudine acris sui ingenii, ac dicendi venustate facilè princeps importantissima Regni, & Ecclesiæ Patriarchalis Ulissiponensis, in qua canonica dignitate præeminet, negotia summa cum dexteritate expediebat. Lusitanâ illustris magnificentia, ut plurimùm in aulæ ore circumferebatur ob insignem liberalitatem: nihil enim magis suum esse reputabat, quàm divitias in pauperum manus elargitione eleemosynarum distributas, lucrum maximum existimans, si amplissimi sui Canonicatûs reditus aut præbendæ (ut vocant) in egentium sublevanda pereant necessitate. Præclara illius merita, raræ pietatis exempla, & indefessa in rebus sapientissimè gestis solertia jam dudum Regiæ Majestatis oculos perstrinxêre, quibus permotam se sentiebat, ut sacram Sedem etiam atque etiam precibus urgeret pro tanti viri virtutum meritis purpura conferenda: annuit facilè Regiis instantiis summus ac pientissimus universæ Ecclesiæ Monarcha BENEDICTUS XIII. cum sacro Purpuratorum Collegio, congratulantibus sibi unà de opportuna occasione tum Regis Portugalliæ æquissimis obsequendi petitionibus, tum insignis adeò Viri, & de Orthodoxa Ecclesia optimè meriti virtutes purpuræ honestamento condecorandi. Placuit ergo Sanctissimo Patri Joannem de Motta & Silva in Consistorio secreto habito 26. Novembris anno 1727. ad Cardinalatus honorem assumere. Accepto lœto ad tantam dignitatem suum concivem esse promotum, Lusitania nunciò, tota ovans abijt in gaudia, indèque conceptas animi voluptates insolitis manifestavit sparsim per Regiam Urbem lætitiarum plausibus, accensis innumeris per domos & plateas gratulatoriis facibus, & inter boatus majorum belli tormentorum, artificialibus extructis ignibus. Rex ipse, quantum honoris in persona Joannis de Motta, & Sylva sacræ purpuræ deferret, Regia liberalitate mundo luculenter innotescere voluit, destinatis Genuam ad Cambium 400000. Scudorum, quibus Neo-Purpuratus Princeps Romam per Italiam profecturus ad suæ dignitatis splendorem utatur. Enim verò, qui ob largissimas in pauperum necessitates effusas eleemosynas jam dudum Ulissiponæ eorum beneficentissimus parens audiebat, mutato cœlo Ulissiponensi, innatum animo pietatis zelum non immutatum ibit alieno in solo: eandem enim legem magnis viris natura dixit, quam syderibus, nempè, ut esse non possint, nisi prosint. In illustrissimæ familiæ de Motta, & Silva duplici parma Gentilitia conspiciuntur in uno quidem campo quinque Lilia, in alterô Leo in pedes erectus cum suspensa super caput ejus Regia corona, illa indubitato, designantia fragrantiam pietatis, hæc virtutem magnanimæ generositatis. Sed magis utraque Joannes de Motta & Silva in se exprimere videtur. Nam 14. Augusti in vigilia Beatissimæ Virginis in cœlum assumptæ sub signo leonis in Virginem intrantis, duo nimirum sydera mititatem, & generositatem influentia, quæ præcipua sunt sacræ purpuræ ornamenta, natus est. Unde haud vana desumenda auguria, quòd Joannes de Motta & Silva generoso rugitu Ecclesiæ hostes deterritos, sit prosternaturus in terram, quatenus contriti de suis erroribus pænitentiam agant, & contritos, fragrantia pietatis comite ad sinum benignissimæ Matris Ecclesiæ, quæ pretioso Christi sanguine abluta, sinè ulla ruga & macula Virgo purissima est, sit perducturus.

No. LXXVII.

DIDACUS DE ASTORGA ET CESPEDE HISPANUS.


Didacus de Astorga & Cespede S.R.E. Presbyter Cardinalis Archi-Episcopus Toletanus Hispanus natus 1666. ex illustrissima Cespedum Familia, quæ vetustate originis coruscat, potentia opum affluit amplis Dynastiis moderatur, toga, sagóque inclarescit, pietate Religionis lucet, sapientiâ excellit, Heroibus abundat, Mitris renitet, virtute bellica refulget, armis resplendet, magnanimitate inclyta, literis commendata, prudentiâ insignis, mascula fortitudine etiam in sexu fragili famosa, omnia pròpemodum Hispaniarum Regna Nominis sui fulgore complectitur. Astorga sive Asturica Augusta, vel Asturum Cimontanorum Civitas est munita propugnaculis, sita in Regno Legionis ad ripam præterfluentis amnis Tuerti, gaudénsque titulo Marchionatûs: Sedes Episcopalis ibi est, subjecta Archi-Episcopatui Compostelli. Anno 447. Synodale Concilium illic congregebatur. Marchiones illustrissimæ Familiæ de Cespedes isti Urbi dominantur ad nostra usque tempora, donatæ illis à Regibus Hispaniarum ob insignia merita in fœudum perpetuum. Hujus illustrissimæ Domus splendorem mirum in modum auxit Alphonsus de Cespede virtute bellica celeberrimus Archistrategus, qui anno 1518. natus Orcai Provinciæ Manchæ in Regno Castellæ parentem habuit Gabrielem de Cespede secundum Majoratus Civitatis Realis possessorem: Matrem verò Mariam Floram de Quiros ex illustrissima domo Asturiæ: factus Tribunus à Duce de Alba, magnanimum pectoris robur ut plurimum impendit in Catholicæ Religionis augmentum. Ardorem ipsius Martialem pietate duce experti sunt frivolè confœderati Schmalcaltici, quos non semel ingenti relicta strage turpiter fugavit, viso, ejusmodi milites, qui nullo subnixos fundamento rationis, congulatos defensum ibant Schmalcalticos articulos orthodoxæ firmissimæ veritati contrarios, pennâ illos conscribente leviores esse. Sui Ardoris religiosi experimentum fecit in flumine Albis, incapace ipsius extingunendæ flammæ, quæ intus ardebat viva accensa fide, per charitatem operante. Nam anno 1547. præfatum amnem cum novem alijs voluntariè absque stipendiis conductis transnatans, multam, & variam bellicam Saxonum suppellectilem ad alteram ripam secum deportavit. Rebus dein contra Ecclesiæ Romanæ conjuratos hostes feliciter confectis, anno 1558. mare secundis velis trajecit cum majore natu Comite de Alcaudete, Martino Alphonso de Cordova, & Valisco Africam versus, ubi unà cum suo fratre germano Joanne de Cespede (postea capto in prælio) editis præclaris contra Mauros in Regno Tremensi facinoribus luculenter satis ostendit, à se Religionis Deíque causam suo sanguini plurimùm præhaberi, non una à Barbaris reportata insigni victoria. Postremò 1568. strenuâ opera Regem Philipum secundum adjuvit contra in Regno Granade tumultuantes Mauros, quibus armorum vi domitis eum Joannes Austriacus Hispanici exercitus Generalissimus pro remuneratione prætorem militum denominavit, adjecta pingui Commendariâ Socuellamos dicta Magni Equitum Ordinis S. Jacobi. Verùm antequam utroque isto suis obsequiis debito plenè potiretur beneficio, à Mauris ex insidijs 25. Julij anno 1569. intra montes (Guaxaræ altæ nuncupatos) exploso in eum sclopeto interfectus



Didacus de Astorga y Cespedes Hispanus Archiepiscopus Toletanus, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. Dño. Nro. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 26. Novembris 1727.

Cum Grat: et Privil: Sac. Cæs. Maj. — Joh. Christoph Kolb. excud. A. V.

77.



fectus est, certè toties victor non occubuerat, si à suis, Mauro acriùs urgente, ignominiosè non fuisset derelictus; nam cum paucis, id est viginti, qui apud se remanserant, incredibili animi robore hostium multitudini cum ingenti cæsorum strage diu restitit: qua in actione, quæ ultima ei fuerat, ipse solus plus quam centum Mauros quatuordecim ponderibus gravi mucrone interemit à vertice capitis ad cingulum usque fissos; sepultus postea fuit Restavali: in loco verò, ubi generosissimus Heroum cecedit, crux alta erigebatur cum hac Epigraphe. Hìc vitam perdidit magnus Archistrategus Alphonsus de Cespede fortissimus robore. Et hanc reor esse rationem, indèqne venire, quòd illustrissima familia de Cespede in sua parma gentilitia fortissimum nomen JESU gestet cum erecta cruce & adscriptione *VIVAT!* aliò namq; magnanimus Alphonsus arma non vertit, nisi contra hostes DEI nominis blasphemos, & quibus crux Christi scandalum est, & inaudita stultitia. Rodericus Mendes Silva Regis Hispaniarum Chronista celeberrimus de invictissimi Martis hujus incredibili virium suarum robore integrum librum conscripsit, narrans, quòd Alphonsus de Cespede equo insidens, & manibus apprehensa in sublimi lignea trabe vel quolibet alio valido sustentaculo, cruribus suis equum unà secum à terra aliquantulum elevasset; quòd robustum mancipium Turcicum in terram humeris tenus defossum, uno duntaxat brachio extractum ad plures passus manu sustinuerit, quòd in quodam certamine taurino ex equo cadens, leva manu taurum sistens, dexterâ illi caput amputârit. Quòd à Carolo Regis Philippi Secundi filio tygridem contra ipsum incitatam, unico mox ictu enecaverit. Et plura alia roboris sui testimonia fortissimo Gigantium similiora, Ipsius sororem Catharinam haud imparem fratris sui viribus fuisse tradunt. Reliquit post se duos ex conjuge sua Maria Chirina de Artieda Rodricum & Gabrielem natos, & unam filiam Anna nomine, qui illustrissimis Hispaniarum familiis sanguinis propagativi communicatione innupserunt. Adeò per orbem præclaris pro supremi Numinis honore, pro Religionis incremento, & Regum decore functos muneribus Majores nactus est Eminentissimus purpuræ gloria Didacus de Cespede, quorum quidem dum inter arma civilem juxta militarémque prudentiam ac virtutes Martiales imitari vel non potuit ex corporalium virium defectu, vel hoc in genere noluit, maluit tamen in alio vel ex proportione illos æquare vel evidenter superare. Sui namque, assitrice virtute ac sapientiâ maximus victor, statuit potiùs suum spiritualibus præmunitus armis robur exerere, vel in delendos, vel convertendos Mauris nigriores peccatores, quorum, ut innumeros Christo lucri faceret, Clericali militiæ nomen dedit, felicius, quam quod alij insignes belli Duces ex illustrissimo Cespedum sanguine per Mavortia arma immortale quærebant nomen, vitæ sanctimoniâ comparaturus. Hinc humanis divinísque scientiis, qua par erat, solertia animum excolens, mox consiliorum sapientissimus Tripos audiebat. Per omnium ora fama, rara hujus viri animi corporísque decora ad suæ Majestatis Philippi Quinti regias aures detulit, non falso rumore, aut demulcente favore, Rex ipse sibi complacuit experimentum de vasta huius viri prudentia capere, & comperto, longè majorem ejus esse sapientiam, quàm fama sparsit, gravissima Regni negotia dexterrimæ ejus virtuti commisit, quæ facili labore ad Regis Regníque emolumentum expedivit. Obstupuit aula sapientiam viri, reverebatur consiliorum oracula, ipse verò ex ingenita celsi animi submissione delatos sibi ex omni latere honores, ut ut potuit declinavit. Pauperum sublevamen suam reputans celsitudinem, largas in egenos effusas eleemosynas, suas divitias. Facili & mollis ad eum accessus, (quod in sacris Dynastis summè laudandùm) aurésque ad miserorum querelas & preces nunquam obseptæ in omnes porrecta & mira humanitas, linguæ moderatio, verborum pondus. Facta tam copiosa per omnes, quæ licuit, hominum conditiones, meritorum messe, non omnium duntaxat aulæ procerum, & popularium suorum animos magnetica sua dicendi venustate ad se attrahebat, verùm & ipsam suam Catholicam Majestatem inclinem ad summa quæque munia conferenda. Placuit ergo Regi lucernam adeò ardentem super cadelabrum summæ

 Ecclesiæ

Ecclesiasticæ in Regno Hispaniarum dignitatis extollere. Toletanæ Ecclesiæ Archi-Episcopus omnium votis, & communi populi lætitia denominatur. Et cujus Pastorum vigilantiæ hoc excelsum munus magis decenter committendum fuerat, quàm hujus mysticè Ezechielis pleni oculis animalis? quis hoc Argo zelosior hortum animarum solertiùs custodiet? aut quis lupos rapaces, & damniferos apros inde arcebit animosiùs? Generosi Cesqedes armorum vi Mauros Regno Hispaniarum expullerunt, Eminentissimus Purpuratus Præsul Didacus Cespedes, Caput sacræ Inquisitionis, sacro verborum, & celsissimæ sapientiæ cuspide hæresum hydras, si qnas in Regnis Hispaniarum pullulare contingat, recisis pertinaciæ, & errorum capitibus, vel initio leniter confixas, perversitate prementium se squamarum induratas, ne salutaris doctrinæ spiraculum ad cor incedere queat, satanæ in interitum tradet, sic tamen hìc quasi per ignem transituras, ibi in inextinguibili igne mansuras. Martem secutis Cespedibus nil magis volupe erat, quàm suam fidem in Deum, & Regem testimonio proprii effusi cruoris comprobare, noster purpuratus Dynasta ultra hoc, quòd paratus sit vi sui pastoralis officii ex amore DEI, & animarum lucro pro ovibus suis animam suam ponere, nulla re magis lœtatur, quàm sacræ Religionis augmento, Regnique emolumento. Sedes Archiepiscopalis Ecclesiæ Toletanæ annuos reditus habet ad 350000. taleros, quis horum solemnior atque pauperes usurpator erit? Rex agnitis adeò eximii viri meritis, purpuram pro eo procurare à summa Romana Sede meditabatur, condignam & tot feliciffimè expeditis Regni negotiis, & exantlatis pro sacra Christiana republica laboribus mercedem. Accedente igirur Catholicæ Majestatis ad summum Orthodoxæ Ecclesiæ Monarcham Regia intercessione, comitata à sacri Antistitis Toletani præclaris virtutum meritis, in consistorio secreto habito 26. Novembris 1727. Dynasta Purpuræ sacro Cardinalium collegio aggregatur, cœli consilio ità factum, ut eodem die augustissimæ Imperii Aquilæ dilecti pulli Sigismundus Comes de Kolonitz, & Josephus Ludovicus Comes de Sinzendorf unà cum Didaco de Cespede Regis Hispaniæ pupillæ oculi sacra Purpura à sanctissimo Patre BENEDICTO XIII. decorarentur, colore uniformes, quorum summorum in orbe Majestatum voluntates vinculô pacis sunt unanimes. Sua Sanctitas Româ Madritum ablegavit, qui Biretum purpureum Regiis ibidem manibus consignaret, Nepotem Cardinalis Bentivoglii illustrissimi stemmatis florentissimam spem, atque honorum stirpis apicem, adeò nobilem purpuræ decor merebatur latorem, qui Hispanicæ Magnificentiæ adderet splendorem tam ex propria, quàm ex principali ablegantis persona. Sua sacra Majestas Catholica suis ipsa manibus pientissimi Antistitis & omni veneratione dignum caput Cardinalitia dignitate decoravit. Effusus in jubilos, & per omnem, qua licuit ætatem, populus unanimi plausu congratulantes auctum suæ stellæ polari exaltationis splendorem, Patri patriæ extensionem honoris, & inter festos tormentorum fragores, & lœtos per urbem excitatos ignes divinæ dementiæ grates persolventes, precantésque simul, ut, quem cœlo ità disponente in sacrum Antistitem, sacrum Purpuratorum collegium in singulare ornamentum, Orthodoxa Respublica in amplissimam utilitatem nacti sunt, in multos annos incolumem, felicémque sortiantur.

No.





Sigismundus de Kollonitz Germanus Archie-
piscopus Viennensis in Austria, S.R.E. Presbyter
Cardinalis creat, a SSmo. Dño. Nro. BENEDICTO
PAPA XIII. in Consistorio secreto die 26. Novembris 1727.

Cu. Grat. et Priv. Sac. Cæ. M. — Ioh. Christoph Kolb ...

78.

No. LXXVIII.

SIGISMUNDUS EX COMITIBUS DE KOLLONITZ GERMANUS.

Sigismundus ex Comitibus de Kollonitz Germanus S. R. E. Presbyter Cardinalis Archi-Episcopus Viennæ in Austria S. R. I. Princeps: natus ibidem 20. Maij 1677. Gens Kolloniziana clara ab origine sua in Croatia fuit, ubi initium habuit. Progressu temporis soli nativi angustiarum impatiens, radiis suarum virtutum ultra Horizontem patrium diffusis, illustrissimam passim per Europam, certè per universum Romanorum Imperium se fecit. Transtulit illam in Boëmiam Ferdinandus de Kollonitz anno 1617. ibique considentes Regni assessores esse promeruerunt, toga, sagóque inclyti. Henricus de Kollonitz insignis belli Dux Austriaca jura cordatè defensum ibat anno 1334. contra Margaritam vulgò Maultaschen dictam. Thomas de Koloniz ipsius frater ducta longa annorum serie suum vidit nepotem Eberhardum, qui Mavortiis suis brachiis non raro in Turcarum sanguine tinctis, crebrísque reportatis de hoste victoriis lunam erubescere fecit, fuitque ab Imperatore Carolo IV. multis gratiis, & prærogavis auctus. Amalricus Generalis Cæsareus 1530. Selimani II. fortunâ bellicâ turgentis, audaciam non semel armis oppressit, sæpè acie vicit. Anno 1580. Villachum Metropolim in Carinthia expugnavit cum quatuor tantùm millitum millibus & quinquaginta, postea Vice-Dominus in Valle Leonis denominatus. Joannes Bartholomæus de Kollonitz per omnium ora celeberrimus Generalis in Ungaria, totum illud Regnum suâ famâ complexus est. Pariter ipsius frater Georgius Seifridus de Kolonitz militum Tribunus Forchensteinij, & Eisenstadi, cui quinque nati filij Seifridus, Ferdinandus Carolus, Joannes Georgius, & Ernestus, quorum primns Novagij in Ungaria Gubernator circa annum 1596. summa cum laude Cæsareo exercitui præficiebatur tanquam supremus Campi Mareschallus: reliqui quatuor egregii tum Tribuni, tum Consiliarii Archi-Ducatui Austriaco præclara in Regno Ungariæ obsequia præstitère; præfati Sigismundi nepos Ernestus, primus Comitis charactere insignitus fuit, dum Gubernatoris munere fungebatur Commorræ: tot ac tantos, ac numerô plures sago clarissimos Heröes progenuit Kollonitziana illustrissima Domus, hostinm terrores, Patriæ defensores, Europæ decora, Imperatorum Regúmque delicias, meritissimos, ut, qui inter maximè conspicuas familias in Austria, & Carinthia splendidissimorum syderum instar coruscant, jam ultra centum annos munere hæreditarío Venatorum Magistri gaudeant in utraque dicta Provincia. Hi omnes cedrò digni Kollonitziani cœlum politicum illustrârunt collucentibns armis, Regnáque suo sanguine decorârunt, Religionis non minùs ornamenta, quàm Imperii emolumenta. Ex his prodière astris clariora lumina in Orthodoxam Ecclesiam meritis suis, stellato cœlo altiora, quorum pietati ac sapientiæ splendori, ipsæ obsequentes famularum locò virtutes, Mitras, Purpuras, & summa quæque munera deferebant. Anno 1183. jam Episcopali Mitrâ fulgebat Gurchii Theodoricus de Kollonitz, ibique, postquam Ecclesiam Gurchiensem 37. annos sapientissimè rexit, vitâ discessit anno 1720. quid dicam de pretiosissima Ecclesiæ Orthodoxæ gemma Leopoldo Comite de Kollonitz, qui anno 1631. 24. Octobris Ernesto Comitî de Kollonitz parente, Lutherianæ sectæ hæretico natus, vix rationis lucem aspexit, errores hujus Pseudo-Religionis

(nam plures unâ dari verâ religione paradoxum est) jam despexit. Ne verò vel ex traduce veneno aliqua mortifera labes ei imposterum adhæreret, ipsa sua sacra Majestas Leopoldus I. Augustissimus Imperator sibi cordi esse duxit, quibus à teneris consuescat illustrior hic adolescens, sacerrimè judicatum est, nullibi reverà solidioribus & doctrinæ & virtutum fundamentis hujus tenerrimi surculi maximæ spei indolem imbui posse, quàm si prudentissimo Magisterio R. R. P. P. Societatis JESU in tota Orthodoxa Monarchia, sapientia, & Sanctimonia facilè principum, eorúmque curæ, & solicitudini committeretur. Profecit in utraque linea pietatis ac doctrinæ, delectabiliter suum optimis morum & scientiarum disciplinis excolens illustrem spiritum. Anno 1650. festo resurgentis Christi die Equestri Ordinis S. Joannis Jerosolomytani dignitate auctus, in Candiam abijt contra Christiani nominis hostes. Intererat pugnæ navali ad Dardanellas, in qua potitus vexillo Castellanus Maltæ denominabatur. Anno 1659. indè Vienam in Austria reversus Aulæ Imperatoriæ Camerarius instituebatur. Verùm multò solicitior erat, quomodo aurea virtutum clave cœli conclave aperiret. Sacris deinde initiatus totum se Deo devovit, spirans in omnibus suis actis, & gestis virtutum ac sapientiæ odorem, quibus Augustissima oblectata Austriaca Alauda eum cooptavit in Episcopum Neutrensem anno 1667. anno 1685. in Neustadiensem, anno 1690. in Jauriensem, anno sequenti in Colozensem, anno 1695. in Archiepiscopum Strigoniensem, & tandem ab Augustissima Imperij Romani Aquila alis recommenditiis ad Solem totius Ecclesiæ Orthodoxæ Monarcham INNOCENTIUM XI. portatus, inter sydera sacri purpuratorum Patrum Collegio collocabatur, sed summo Pontifice opinione citiùs mortuo, Purpuram dein ab ejus iu solio Petri legitimo successore ALEXANDRO VIII. accepit: qua dignitate auctus, qui priùs, quà Archiepiepiscopus Strigoniensis jam tunc titulis gaudebat Strigonij Superioris, & inferioris Dominatuum Hæreditarij Comitis, Apostolicæ Sedis Legati nati Regni Hungariæ Primatis, intimi ac primi Aulæ Cancellarii, & intimi Secretarii, Prioris Ordinis S. Joannis Jerosolomytani Commendatoris Michalupræ, & Mailbergæ, & sacræ Cæsareæ Majestatis intimi actualis Consiliarii, copiosissimos suos Ecclesiasticos reditus ut plurimùm in pauperum largas eleemosynas distribuit, in eos præcipuè benignus, qui relicta hæresi, ad gremium veræ Matris Ecclesiæ confugêre. Lentîs tandem hoc splendidissimum Ecclesiæ sydus morborum tenebris obnubilatum, mortis eclypsin passum est Viennæ 20 Januarij anno 1707. ætatis suæ 76. spiritu in cælo transmisso, corpus exanime in sacra æde ad divam Annam Patribus Societatis JESU humatum reliquit, à quibus nimirum fidei dogmatibus, omníque doctrinarum genere imbutus piè didicit vivere, & feliciter mori. Cunctis ergo suis, quos nunquam animo possedit, in decorem domus DEI, quem unicè dilexit, & in usus pauperum, quos tenerrimè deperibat, dispensatis thesauris, reliquit longè maximum ac pretiosissimum thesaurum vivum videlicet eximiarum suarum virtutum hæredem, & Prototypon, Patruelem suum Sigismundum de Kollonitz, qui à primo flore suæ ætatis illustrissimi sui sanguinis eximia virtutum dedit specimina. Enituit in eo explicata indoles, docile, & ad omnem pietatis & modestiæ formam flexile, & ubivis præsens ingenium. Admirabili præditus perspicacia intellectûs, &, quæ contingere possent prospicientis. Effulgebat in adolescente virilis morum gravitas, comitas, industria, probitas, & prudens verecundia, quas omnes ante pubertatem humanioribus litteris doctissimis R. R. P. P. Jesuitis pronubis desponsas esse voluit. Mittitur ex sententia prædictorum R. R. PP. Apollo iste Germanus, multo nobili virtutum ac doctrinæ comitatu Romam ad Collegium Germanicum, ut vel Alumnus ibidem jam funderet oracula, quem eximiæ naturæ animíque dotes Tripodem constituêre. Huic gemino virtutis æquè ac sapientiæ currui insidens prudentia & futurorum non minùs exploratrix, quàm præsentium moderatrix, agens aurigam facilitatis, ingenii sociavit solertiam, auxilio cujus in facultatibus Philosophicis pariter ac Juridicis, tum etiam Theologicis eò brevì pervenit Sigismundus, ut Pegaso velocior coëtaneos suos multis post se parasangis relin-

relinqueret. Obstupuêre Itali in Germano ingenii acumen, sapidntiæ ardorem, sub Zona Germaniæ aliàs frigidiore accensum, quo vel Italus spiritus incalescere poterat mutato nationis habitu in eum, qui more Germanorum sinè duplici cordè portatur aetiquissimo. Sex integros annos inclytus adeò Apollo in Collegio Divi Apollinaris Alumnum egit sub vigilantissima cura, & disciplina RR. PP. Societatis JESU, qnorum prudentissimæ gubernationi, & inspectioni præfatum Collegium, unde tot, ac penè innumeri doctissimorum virorum prodeuntes, ad summa Ecclesiarum in orbe munia obeunda evehebantur, commissum est. Ut autem sapientissimus noster Kollonitzianus Apollo inter æquales quidem ratione convictûs alter Cyrus emineret distinctus, Doctoris laurea Apollini sacra, summa cum laude, &omnium gratulatione Romæ decoratur, cujus virenti flori ut splendorem augeret suus Eminentissimus Patruelis Leopoldus de Kollonitz tunc temporis Archiepiscopum Strigonij agens, eum in Canonicum Strigoniensis Ecclesiæ cathedralis cooptavit. Anno 1700. jubilæi, accepta post pedum osculum paterna à summo Pontifice CLEMENTE XI. benedictione, multis ab eodem pretiosis muneribus honoratus ad patrios lares remeavit. Gavisa est in immensum de reditu, suóque in Horizonte clarissimi adeò Syderis ascensu nativa tellus, neque fieri potuit, quin ubivis insignium virtutum, ac raræ admodùm sapientiæ suæ radiis ubertim sparsis, acutissimos Augustissimæ Romani Imperij Aquilæ oculos perstringeret, clementissimámque Cæsareæ Majestatis indolem oblectaret, aliàs naturâ suâ pronam ad summa quæque meritis munera conferendi. Quare non tracta longa mora Austriaco Jovi hunc virtutibus ac sapientiâ resplendentem Phœbum ad solium Episcopale Scatusense primò, deinde Vaccense, tandémque Hungariæ Regno abundè ejus virtutum fulgoribus illustrato ad Viennensem Sedem Episcopalem evehere placuit, auctum denique summo S. R. I. Principis ac Archi-Episcopali honore. Decet enim Augustissimum Imperii Solem lucidissimorum famulatu stipatum syderum, & Archiducalem Metropolim metropolitana dignitate exornatam esse. Haud difficile id erat pientissimo Imperatori CAROLO VI. à sanctissimo Patre BENEDICTO XIII. impetrare pro zelosissimo Antistite Viennensi Sigismundo de Kollonitz, ut primus omnium in Principe Archi-Ducali Urbe Archi-Episcopus pallio insignitus bonoraretur. Qui virtutibus natus est, ad summa quæque imperante honore munia urgetur naturalis inclinationis terminum, & quia virtus verecunda est, in primo gradu Purpuræ consanguineæ, eximijs duntaxat sinè impedimento prohibente meritis vult maritari, & sine dirimente, suo individua societate adhærere sponso. Novit Imperatoria aula insignia Kollonitzianæ familiæ merita, & in Austriacæ Domus maxima emolumenta præstita obsequia vel in unici Sigismundi amplitudine compendiata: novit & Roma nobilissimæ hujus propaginis, vel in una stirpe Sigismundo delineatam indolem, ac copiosam in Ecclesiam Orthodoxam ab eo sacris & profanis sapientissimè functo muneribus profluentem segetem. Hinc facilè summa sedes mota, obviàm ibat Imperatoriæ petitioni nostro Sigismundo de Kollonitz procuranti Purpuram, quam sua Sanctitas BENEDICTUS XIII. 26. Novembris 1727. ad Augustissimum destinavit, ut illâ suis ipse Cæsareis manibus suum decoraret Archiepiscopum, congratulante sibi toto sacro Purpuratorum Dynastarum Collegio de sui splendoris per ultramontanum sydus augmento. Aula Cæsarea, & tota Vienna cum illustrissima familia Kollonitziana effusa in mille gratulatoria vota festis ignibus contestabantur commune omnium gaudium ex meritissima Sigismundi de Kollonitz Neo-purpurati promotione conceptum, persuasi, nunquam sibi defutuoros cœli favores, aurámque salubrem, dum Eminentissimus noster Planeta in ascendente propitios à DEO influxus pro Augustissimæ Domus Austriacæ incremento, totiúsque Patriæ exinde omnem tam diu jam suspiratam impetrârit felicitatem.

LlI No.

No. LXXIX.


JOSEPHUS LUDOVICUS COMES DE SINTZENDORFF GERMANUS.

JOsephus Ludovicus Comes de Sintzendorff S. R. E. Presbyter Cardinalis, Episcopus Jauriensis natus Lutetiæ Parisiorum anno 1799. 14. Julij. Illustrissimam Sintzendorffianam familiam si nominari quis audit, vasto aures sonu insignium opplet fama gestorum, phantasiam occupant immensi laudum tituli, oculos perstringit Phœbeo lumine antiquitatis splendor, memoriam obruit impenetrabilis virtutum ac meritorum cumulus, caditque in mentem immensus tantæ Prosapiæ Nilus, divisus in varia per Europam, ac orbem propemodum universum discurrentia flumina plena Mitris, Prætoriis virgis, toga, sagóque inclytissimis Heroibus, intimis Consiliariis, Aularum Proceribus, sacris profanisque Dynastis, & Legatis, qui opibus præpotentes, Dominatuum amplissimi, sapientiâ, religione, virtute, felicitate, litterarum peritia, ac nominis splendore integra Regna, & Provincias complectuntur. Illustrissima hæc familia atavos habet antiquissimos S. R. I. Comites de Altorf, derivatos ex Regio sanguine Ducum Bojorum: nam Henricus Dominus de Sintzendorff, qui circa annum 1044. vixit, dicitur fuisse filius Guelphi, cujus parentem constat, fuisse Ethionem Comitem de Altorf filium Henrici Ducis Bavariæ: præfato Henrico de Sintzendorff nati sunt filii Dietericus, qui circa annum 1058. Episcopalem Ecclesiam rexit Basiliensem, & Henricus, qui armis & consiliis Imperatorem Henricum IV. egregiè adjuvit contra Guelphum Bojorum Ducem. Dictus Henricus duos progenuit filios, Rudolphum, & Joannem, ille cum Imperatore Conrado III. expeditionem in Orientem parantem, anno 1148. inibi vitâ decessit, unico post se relicto filio Henrico III. quem patruus illius Joannes, postquam cum Leopoldo victorioso Austriæ Marchione in Syriam profectus est, redux in Germaniam factus, multis ob præstita fidelissima obsequia, ditionibus in Austria sitis ab eodem remuneratus fuit, hæredem ex asse instituit. Hanc ob causam Henricus III. post felices successus cum Imperatore Friderico Barbarossa ex Oriente reversus, in Austria consedit. Hic auctus numerosa prole est: quas inter inclaruerunt Conradus parens Othonis, in variis bellorum expeditionibus strenuam operam navantis Imperatori Rudolpho I. contra Ottocharum Boëmiæ Regem, & Conradus II. quinque filiorum ex Catharina conjuge sua de familia Enenchel pater effectus, ex quibus Joannes stemma propagavit avus factus Leonardi Protoparentis in præsentiarum florentissimæ Domus Sintzendorfianæ. Duo istius filii Laurentius, & Reinpertus bifariam secarunt stirpem in duas lineas. Ex utraque prodiêre insignes Belli Duces, hostium



Philippus Ludovicus de Sinzendorf, Germanus, Episcopus Iaurinensis, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SS.mo D.no N.ro BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 26. Novembris 1727.

Cum Grat. et Pr. Sa. Cæ. M. Ioh. Christoph Kolb exc.




hostium terrores, aularum decora, patriæ Patres, opum non minus quàm virtutum nunquam satis in orbe decantandi Magnates. Quos inter Majorum suorum inhærens vestigiis, & prudentia & munium aulicorum hodie enitet illustrissimus, & excellentissimus Dominus Philippus S. R. I. Comes à Sintzendorff, Liber Baro in Ernstbrunn, Dominus Dynastarum Gföl, superioris Seloviz, Parliz, Mulzig, Loos, Zaan, & Drosgau, Burggravius, in Reinekh, supremus Hæreditarius Scutifer, ac Præcisor in superiori, & inferiori Austria, Hæreditarius Pincerna in Austria ad Anasum, aurei Velleris Eques, Sacræ Cæsareæ Catholicæ Majestatis Camerarius, actualis Consiliarius intimus, ac Primus Aulæ Cancellarius, cujus magnanimæ virtutes, & merita, uti inexplicabilia sunt, ità nullius Regni angustia comprehendi queunt, viventque in memoria Posterûm, donec orbis rectè gesta sciverit revererri. Enim verò non stirpis solùm claritudine, non prudentiâ singulari, non omni humanitate perfusis moribus, non virtutibus tantùm cæteris Europam universam præeunte famâ complectitur, sed & Regum, & Imperatorum animos, celsa quadam similitudinis idea imitari novit, ut radiis suarum Majestatum in eo positis, orbi eum sydus suum proposuerint. Quis enim tanti viri dignitatis, & prærogativæ nescius est, quòd Auguaissimus Imperator CAROLUS VI. eum arcanorum Imperij, & consiliorum arbitrum assiduè adhibeat, suæq; Majestatis capacem, iterum atque iterum reddiderit, dum hanc non per Germaniam tantùm, & Galliam circumferre, sed etiam in Regnornm, & Provinciarum suarum ambitu dedit. Moritur Bojorum potentissimus Dux S. R. I. Elector Maximilianus Emanuel, ablegatur Monachium illustrissimus ac excellentissimus Comes à Sintzendorff Primus Aulæ Cancellarius, Cæsaris nomine ad condolendum filio Neo-Electori super mortem Parentis, & congratulandum simul pro successione in Electorali regimine, in qua functione in omnem intentus occasionem Augustissimi commoda procurandi Serenissimos Electores Bavaricum, Coloniensem, & Palatinum ad Cæsaris partes tractos, summa cum prudentia ità persuasit, ut unanimi consensu promiserint, velle se, pro statûs exigentia, & si è re fuerit, ad Cæsareæ Majestatis 24000. suorum militum mittere. In tantis Regnorum, & totius Europæ gravissimis expediendis negotiis de inter Christianos Principes stabilienda pace hodiedum Augustissimi Imperatoris nomen, & Personam in se transfusam gerit in eo omnium nationum celeberrimo congressu Suissonij in Gallia, ubi inter Europæ splendidissima Legatorum Sydera ut sol refulget summi Imperii Monarchæ Legatus Comes de Sintzendorff, sapientiæ radiis, & rerum agendarum probatissima solertia, suarúmque splendore virtutum non præsentium duntaxat omnium, sed & ipsius Gallorum Regis oculos mirè perstringens, & omni comitate exornatis moribus oblectans: nec dubium, quin sua maxima in rebus publicis incomparabili prudenria (divina assistrice sapientia) sit ad optatum finem omnium Regum, & Principum commoda suis atlanticis humeris totius Europæ commissa negotia felicissimè perductutus. Tali ac tanto Parente natus est Josephus Ludovicus de Sintzendorff inæstimabilis Germaniæ gemma, decus, & ornamentum Orthodoxæ Ecclesiæ, jubar splendidissimum illustrissimæ suæ Prosapiæ. Lutetia Parisiorum ipsi prima incunabula, & fascias dedit, lilia lac potum præbuêre Germanico Candori, faustum prognosticum, fore, ut Ecclesiæ Orthodoxæ, quæ Virgo, & Mater est immaculata, quondam arrha, & annulo Episcopali sibi eum in sponsum accipiat. Tener surculus, sed in maximas spes adolescens maturos virtutum fructus jam in flore ostendit, quibus famulas conduxit pedissequas indefessam in litterario studiorum cursu solertiam, & avitæ nobilitatis decorem. Quare brevì in omni Doctrinæ, & artium liberalium genere insignes progressus fecit. Arcam ipsius dixisses memoriam, & vivum receptaculum omnium retrò sæculorum antiquarum historiarum: jurisprudentiæ attigisse apicem eum autumâsses, non tam studio, ac labore, quàm paternæ immigrationis jure scansum, sed cùm probè nosset, litteras longè pietati posthabendas esse, imò non vanas solùm, sed & noxias, solidam ijs pietatem ità attemperavit, ut in precibus sacris sedulus, suis etiam quibuscunq; negotiis subduxerit

 tempus,

tempus, quod divinis commentationibus impenderet, altioribus tractus Religionis augendæ stimulis, ad sanctioris vitæ statum disponentibus. Igitur clericali militiæ adscriptum Ecclesia Cathedralis Salisburgensis hanc pretiosissimam Gemmam in Canonicum adoptavit, qua dignitatè condecoratus, insignes animi dotes, nascendi quasi sorte menti infusas explicuit, Religionis imprimis ardorem Hinc sacra sua Majestas Cæsarea CAROLUS VI. motus, eum, post excessum serenissimi Augusti è Ducibus Saxoniæ Jauriensi viduatæ Ecclesiæ Episcopali præesse voluit. Sed angustior erat Regnum Hungariæ summi sacri Antistitis virtutum meritis in Regnum Poloniæ penetrârunt, ad usque Regis solium, qui insignium virorum æstimator, amator, & Promotor sanctam sedem instantissimis interpellavit precibns pro conferenda purpura Episcopo Jauriensi Josepho Ludovico de Sinzendorff, quam sua Sanctitas BENEDICTUS XIII, partim intercessionibus tanti Regis, partim consideratis tanti Genitoris, & filii efficacissimè perorantibus meritis, haud gravatè indulsit. Igitur Josephus Ludovicus sacro Purpuratorum omnium consensu, & suffragiis Collegio aggregatus est in Consistorio secreto habito 26. Novembris 1727. Tunc quidem & non plures, quàm octo & viginti annos natus, sed sapientia sua omnem ætatem superans super senes intellexit. Augebat purpura in juvene formam virtutis, simul & ipsa à forma virtutis in juvene mutuò augebatur. Augustissimus Imperator CAROLUS VI. suis ipse manibus dignatus est capiti Biretum filij illius Patris imponere, cujus animo se toties infudit ipsa sua Majestas: Enim verò gloria Patris est filius sapiens, sed augebatur in immensum ex Majestatis Cæsareæ dignatione imponentis decorem. Lutetia Parisiorum genuit, sed valdè remotè Neo-purpuratum Principem, Vienna in Austria educavit, & Jaurinum in Ungaria tanquam suum Purputatum amplectitur omni veneratione Antistitem, Roma perfecit, congaudens cum toto sacro Collegio parenti ob collatum filio Purpuræ honorem, filio verò congratulans honorem ob parentis decorem, quem florentem omnis ætas videbit, nullum tempus dedecorabit.

No.





Franciscus Antonius Finy, Minervinensis, Archiepiscopus Damascenus SS.^{mi} D.N. PAPÆ BENEDICTI XIII. Cubiculi Præfectus S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus ab eodem SS.^{mo} D.N. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726., et in simili Consistorio publicatus die 26. Ianuary 1728

Cu. Grat. et Priv. Sac. Cæ. M. Ioh. Christoph Kolb exc. A.

Digitized by Google

No. LXXX.


FRANCISCUS ANTONIUS FINY MINERVIENSIS.

FRanciscus Antonius Finy S. R. E. Presbyter Cardinalis, natus Minerviæ 6. Maij anno 1669. nobilissima familia de Finy suæ nobilitatis decora trahit ex Regno Candiæ, & Provincia Istriæ. Candia urbs est Metropolitana potentissima, sita in Insula Candiæ (unde & nomen accepit) ac olim Sede Archiepiscopali decorata, habens sub se novem Episcopatus. Anno 1645. Turca obsidione longa eam angustiavit, quam, propè Carvacam cruento commisso prælio, & exercitu Barbarorum usq; ad internecionem deleto, iterum solvit, interempto selecto milite. Nihil ominus usque ad annum 1667. urbem circumquaq; arctè cinxit. Mense Majo ejusdem anni denuo urbem obsidere cœpit, ac tandem certis utrinque initis pactis urbs se ultro hosti dedit. Dicunt, Turcarum militum plus quam 600000. duranre hac obsidione interiisse, & Constantinopoli hanc ob causam ingentem rebellionem fuisse exortam. In tanto belli discrimine, tamque variarum fortunæ agitationum fluctibus generosa enituit semper propago Finiorum, quæ aliquoties hostem imperterito animo à mœnibus arcebat, in acie profligebat, & superbè erecta lunæ cornua confundebat cum ingenti strage occisorum. Infractis enim viribus Vincentius Finy & à tergo, & à fronte irruens, omni spreto vitæ periculo, inter majora discrimina strictô gladiô, cadente hinc & indè hoste densos militum cuneos perrupit, securus victoria, vinci nescius. Tanta illi erat bellicæ artis peritia, ut crebriùs hostium multitudine contempta, cum paucis suorum campo eos cedere cogeret. Acre illi ac perspicax ingenium, non armîs duntaxat potens, sed in omni litterarum genere excellens, juris præsertim prudentia, quam bello fœdere victori gladio sociebat, hoc ad hostium deletionem usus, illâ ad justitiæ defensionem. Quare Marte tandem relicto, Candiâque patriâ, Venetias se contulit. Ubi solutis de more 100000. ducatis Venetis serenissimæ Reipublicæ nobilibus aggregatus fuit. Post temporis intervallum excellentem dignitatem Procuratoriam prioribus haud minoribus expensis nactus est: Dicunt, nisi inimica mors sortem ei invidisset, futurum fuisse, ut ad Ducalem ibidem celsitudinem ascenderet, in caput nempè totius serenissimæ Reipublicæ electus: tanto nimirum apud omnes in amore, & honore fuit ob eximia animi corporisque ornamenta. Ex illustrissima hac, & celeberrima prodiit familia Franciscus Antonius Finy. Hic statim à primis litterarum incunabulis prodidit, quem virum esset aliquando

in publico orbis & Orthodoxæ Reipublicæ theatro acturus. Erat illi ingenium mite, & ad omnem urbanitatem aspectu decoro, elegantíque temperatum. Elucebat in adolescente comitas, industria, probitas, & in novæ purpuræ hospite verecundia, zelus Religionis, & ad omne pietatis studium docilis alacrisque spiritus. Prima sapientiæ fundamina jaciens, jam domicilium sapientiæ efficiebatur. Nulla re adeò delectabatur, quàm subventione pauperum, oppressorumque erectione. Quod ut validiùs exequi pòsset, maximam industriam adhibuit, ut haustis Philosophiæ arcanis, ac mysterijs Theologiæ abstrusis ingenii sui acumine perlustratis, utriusque juris apices in tanta excellentia possidere cœperit, ut brevì ipsam sacram Themidem suarum altitudine scientiarum in admirationem rapuerit fusis é sacris tribunalibus ex intimis juris visceribus oraculis. Tales namq; eximios viros aut eligebat, aut formabat, quos lateri suo familiarìque convictui adhibere amabat Vincentius Maria Ursinus, nunc summus sapientissimè navem Petri gubernans Pontifex BENEDICTUS XIII. Nam cùm sua sanctitas in urbe Beneventana Archiepiscopum ageret, arcta familiaritate Franciscum Antonium Fini amplecti dignabatur. Creatum jam Cardinalem cubiculi sui Præfectum esse eum voluit. Ut autem in profundissimæ humilitatis Principe ad purpuram assumpto Cardinalitia dignitas conspcua magis elucesceret, Sanctissimus Pater ipsi muneri dabat 4000. Scudorum adornata insuper habitatione, quod rari admodùm affectus signum est, & gratia paucis concessa, in Palatio Vaticano, ut propriorem haberet ad manum, suum Theologum, mensili auctum pensione 5000. talerorum, quocum personali alloquio de rebus maximi momenti prompta consilia iniret, cujus fidem, atque insignem prudentiam ex dignatione diuturnæ familiaritatis domesticæ expertam nunquam non comprobavit. Vitâ functi Cardinalis Nicolai Carracioli Abbatiarum reditus in suum Finum transtulit, denominato posthac Administratori Melfensis Diœceseos mille scudos adjecit ex ærario Apostolico solvendos, imposito ipsi munere, ut deinceps Cardinalibus, & Prælatis, quorum pensiones à Pontificia penduntur Camera, exsolveret suas contingeutes portiones. Submissos semel, qui Eminentissimo Cardinali Coscia, æquè suæ Sanctitati in paucis dilecto, pro rata temporis debebantur septuaginta quatuor scudos, in donum gratuitum ab eodem remissos accepit. Post mortem Cardinalis Fabronij, sanctissimus Pater unam valdè pinguem Abbatiam Eminentissimo nostro Francisco Antonio Fini concessit. Postremò verò eum Archi-Episcopum Damascenum denominare placuit, videlicet maximum de se meritum Virum, ac scientiis, & virtutibus præpollentem uni opulentissimarum Urbium sacrum Antistitem præficere. Igitur illam Princeps purpuratus nactus est spratam, quam Paulus vas electionis sua prodigiosa conversione, postea inibi in sporta per muros dimissus condecoravit. Gemit equidem hodie sub Turcico jugo pusillus Damasci incola Christiadum grex, & mutatis plerisque vero Numini dicatis templis in Muscheas, & idolorum delubra, conspicit crucis locò cornigeram lunam ubique in altis quondam sacris ædificiis, erectam, confisus tamen cœli favore fore, ut dimidium hoc mutabilis Deitatis simulacrum zelo sacerrimi hujus & Eminentissimi Purpurati tandem prostratum sub pedibus erubescat Orthodoxæ veritatis. Nec enim desunt fortissimi Catholicæ Fidei defensores: Societas JESU hìc pedem ac domicilium jam fixit, ardore tantorum virorum luna paulatim incalescet, familiare enim est istis JESU nomen portatoribus, ubique terrarum, illud hominum cordibus altè imprimere, ac durissimos Caucasi rupes sparso Evangelij semine fertiles reddere. Sed & R. R. P. P Carmelitæ & Franciscani diu noctúque divinas laudes persolvunt, & conversioni infidelium student, quomodo nudo pede calcatâ luna agrum Damascenum ad pristinam ubertatem reducant, & destructis idolorum fanis cœli terræq; supremo Numini templa erigant. In parma gentilitia illustrissimæ Finiorum familiæ leo erectus conspicitur., quemadmodum enim rugitu suo fœtum mortuum suscitat, id est, ad vitam excitat, sic zelosissimus

Anti-

Antistes Damascenus suæ curæ, & pastorali solicitudini commissas ex majori parte per infidelitatem, & detestandos mores mortuos, vigilanti solertia, & oratione ad Deum fusa vivificabit. Nolite igitur Damasceni! nolite expavescere ad vestri leonis rugitum, vivificat, non occidit, *opera tenebrarum abijcite, & induimini arma lucis*: ad pedes crucifixi accurrite, & vivetis, magnanimo satis est corpus prostrâsse leoni. Non sanguinem sitit Purpurati Principis ardor, sed animarum vestrarum salutem, vincere didicit clementiâ magistra Vincentij Mariæ Ursini Franciscus Antonius Fini, qui ob insignia, & sapientiæ, & virtutum merita à BENEDICTO XIII. in solium Petri suffecto, rubeo Galero coronatus est in Consistorio secreto habito die 26. Januarij 1728. unanimis sacræ Purpuræ Dynastarum placitis, congratulantium sibi sacróque Collegio de aucta per tantum virum splendoris gloria. Roma per domos illuminata festis ignibus signa insolita edebat lætitiarum ob tanti Principis exaltationem, & universa Serenissima Respublica in medijs artificialibus focis inter mille vota conclamando: Vivat Fini nunquam intermoriturae, ac finiendæ gloriæ.



No. LXXXI.

MARCUS ANTONIUS ANSIEDEUS PERUSIANUS.


MArcus Antonius Ansideus Italus S. R. E. Presbyter Cardinalis, Episcopus Perusinus sacrarum Congregationum S. Officij assessor, Episcoporum, & Regularium Examinator, Consistorialis Consiliarius &c. Perusiæ ex nobilissima Ansideorum familia ortus, certè nobilissima, quæ Dei nomine ex nomine gloriatur. Talibus Marcus Antonius natus est Parentibus, à quibus cum lacte timorem Domini, initium sapientiæ sugeret, ut per omnem ætatis suæ decursum prudenter agens intelligeret, sibi genus esse de cœlo. Quare ad rectam rationis normam à teneris annis hic illustris imbutus surculus, specimina in vere floridissimo haud obscura ediderat, quos fructus esset daturus autumnali virilis ætatis tempore. Divino (ut ita loquar) ingenio dotatus litteras Perusiæ humaniores vix delibatas, in sui substantiam convertit, & quod admirandum, tempore, quo alij expeditè vix loqui sciunt, prompto ore historiàs ex omni retro antiquitate è memoria depromsit, tamq; amabili dicendi venustate, & altitudine judicij, ut diceres, per methamorphosin eloquentiæ Principem in Marcum Antonium immigrâsse. Romam adolescens ad nobile Collegium S. Clementis mittitur altioribus ibidem scientijs non solùm instruendus, sed etiam exercitiis, artibúsque, quibus nobilem carere indecorum est, instituendus. Enituit in utroque suos inter coëtaneos Alumnos Marcus Antonius Ansideus, nam Philosophiæ arcana, & Theologiæ mysteria adeò ingenij sui acumine penetravit, ut coram celeberrimo cœtu doctissimorum hominum sum̃a cum laude disputaret, adversantium sententias comiter elideret, argumentorum laqueos sapienter distinqueret, & nodos etiam intricatissimos solveret. Finito adeò nobili sublimium scientiarum cursu, jurisprudentiæ ingenium applicavit, vocatis priùs ad concilium, quas unicè colebat, virtutibûs, ne contra justitiam ex præscripto illarum quidquam ageret, vel decideret. Admotus itaque gravissimis Ecclesiæ statûs expediendis rebus, virtus, doctrina, æquitas, nobilitas Marcum Antonium virum in omni genere perfectum, & summis quibúsque negotiis Romano Curiæ aptum, perficiendis commendabant. Hinc anno secundo Pontificatûs CLEMENTIS XI. munere decorabatur Referendarii utriusque signaturæ, ubi occasionem nactus conspicuam reddendi sui ingenij perspicaciam, & prudentiæ in agendis dexteritatem. Factus Auditor signaturæ justitiæ, dici haud potest, qualem virum in dictis & factis in hoc inquietissimo officio propter continuas audientias, quibus acutissimæ aures ob variarnm rerum, & personarum exigentias totius curiæ porrigendæ



Marcus Antonius Ansidei, Perusinus, Episcopus Perusiæ
S. Rom.^na Universalis Inquisitionis Assessor S. R. E. Presbyter
Cardinalis creatus à SS.^mo D. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Con-
sistorio secreto die 9. Decembris 1726., et publicatus in altero
Consistorio secreto habito post Semipublicum die 30. Apr.^ilis 1728

81.


...Grat. et Priv. Sac. Cæs. May. — Ioh. Christoph. Kolb excud. A. V.



rigendæ sunt, se exhibuerit. Nemo ad ipsum accessit, qui prudeutiam ejus non admiratus discessit, affabilem Comitatem laudavit, omni humanitate perfusos mores deprædicavit, odorem justissimæ æquitatis persensit, etiam suâ causâ cadens. Paucis post interjectis annis idem Summus Pontifex eum præficiebat Signaturæ vicem gerentis Auditoris Cameræ, quod munus annis pluribus sustinuit summa cum laude, omnibus omnia factus amore, æqui bonique causâ. Familiare est sacris animis, virtutibus, meritisque graves extollere, istis verò, nunquam ad altiora beneficia aspirare, nisi in inferioribus priùs optimè fecissent. Promotus deinde ad Secretarium Congregationis (ut vocant) del Concilio, amplum vasti ingenii sui campum, & invincibilis suæ prudentiæ vires exercendi nactus est, visóque, idem Summus Pontifex CLEMENS XI. sapientiam hujus Viri, solertiámque in expediendis gravissimis Ecclesiæ negotiis, nullis circumscribi limitibus, insigni eum munere decoratum voluit, Assessorem Sancti Officii denominando. Magnus sapientiæ, ac virtutum admirator, & amator Vincentius Maria Ursinus, hodie felicissimè regnans Orthodoxæ Ecclesiæ summus Monarcha BENEDICTUS XIII. in rebus maximè atduis eximiæ hujus Viri prudentiæ tantum tribuit, ut non dubitârit, ei committere valde grande, & importantissimum negotium, concernens in orbe penè universo famosissimam constitutionem *Unigenitus*, quo ad mentem Sanctissimi Patris cum decumana laude functum, Episcopali dignitate Perusiana decoravit, magno cum applausu totius illius Urbis, quòd, quem genuit, in Antistitem haberet. Perusia (excepta Roma) est omnium prima in Patrimonio D. Petri, ampla, & populosa civitas, munita non minùs propugnaculis, quàm eminenti scientiarum Academiâ defensa. Sed, etsi bella inter se Augusto, & Marco Antonio gerentibus tota sit flammis absumpta, eam alter noster Marcus Antonius Ansideus in medio igne divini ardoris, & mutna Civium concordia illæsam ab omnium hostium incursione conservabit: etsi alio tempore ab eodem Augusto, L. Antonio in ea præsidium tenente extrema inedia fuerit angustiata, ità ut Perusiana fames in proverbium abierit, Marcus Antonius Ansideus sacro oris sui pabulo, & pane super substantiali eam ad usque delicias cibabit. Totila Gothorum Rex septenali obsidione hanc urbem afflixit, & tandem captam solo æquavit: noster saccerrimus Antistes Marcus Antonius in longas myriadum series pastorali eam solertia circumplectetur apertis infinitis temporalium, & spiritualium fontibus consolationum, Narses destructam noviter hanc urbem ædificavit, Marcus Antonius Ansideus eam ad formam civitatis novæ Jerusalem morum Sanctitate restaurabit. Longobardis diu subjecta tandem Sæculo nono Romanæ Sedi iterum à Rege Franciæ restituta fuit. Ab eo tempore sub nullius alterius redacta est potestatem, variis licèt bellorum jactata fluctibus præsertim gliscentibûs armîs Guelphos inter & Gibellinos. Ast cœlo tutore, nunquam non pacatissima tranquillitate, & amœna pace fruetur sub umbra sui zelosissimi Purpurati Principis & Episcopi. Circa annum 1620. Floruit Balthasar Ansideus doctrina & virtute prorsus insignis, & splendidissimum sui nobilissimi stemmatis, urbisque Perusianæ singulare ornamentum. Erat is Paulo V. summo Pontifici ob raras sui ingenij dotes acceptissimus, ità ut ipsius curæ, & probatissimæ solertiæ non solùm celeberrimam in orbe Bibliothecam in Vaticano commiserit, verùm etiam illius sapientiæ difficillima expeditu confidit negotia, à quo etiam, præpropera morte extincto, Cardinalitia fuisset dignitate honoratus. Quam alterius mors illi Ansideo invidit dignitatem, contulit sors huic nostro Ansideo, in, quem immortalem omnes Christi fideles optant, orantq; BENECICTO XIII. qui in Consistorio secreto post Consistorium semipublicum pro Canonizatione B. Margarihtæ de Cortona Feria 6. die 30. Aprilis 1728. habito eum sacro Purpuratorum Dynastarum Collegio aggregare sibi complacuit finita concione de prædictæ S. Margarithæ Canonizatione hæc pauca subijciens. Quinque idcirco S. R E. Cardinales, quos in Consistorio nostro secreto die nona Decembris anni millesimi septingentesim vigesimi sexti cum quatuor alijs jam publicatis creavimus, & adhuc, cùm suppetiæ, quibus (jam vos non latet) religioso, & honesto, non tamen pom-

patico, illorum statui sustinendo consuleremus, defuerint, in pectore reservatos habuimus, ne diutiùs illis, utpotè de Ecclesia, & Apostolica Sede, quàm optimè meritis, quorúmque præconia, ut de gestis jam notis, hìc retexere omittimus, honores debiti, ac præmia retardentur. Hodierna die ad majorem DEI laudem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem, decus, & ornamentum publicare intendimus: videlicet Veneraeilem Fratrem Marcum Antonium ex Archi-Episcoo Damatiæ Episcopum Perusianum, & Sancti Officii Assessorem. Venerabilem Fratrem Prosperum ex Archiepiscopo Theodosiæ, Episcopum Anconitanum; sacræ Congregationis Co ncilij Secretarij, & fidei Promotorem, dilectum filium Gregorium Selleri nostri Ordinis Prædicatorum sacræ Theologiæ, & Apostolici nostri Palatii Magistrum; dilectum filium Antonium Bancherium nostræ almæ urbis Gubernatorem, nostræ Cameræ Apostolicæ Thesaurarium Generalem. Præterea ad ipsius omnipotentis DEI gloriam, & Sanctæ Sedis honorem, duos alios creare intendimus Presbyteros Cardinales; viros siquidem ambos meritis, doctrinâ ac regulari observantiâ illustres, vobisque ac toti litterariæ Reipublicæ bene notos, votisque omnium commendatos: scilicet dilectum Filium Vincentium Ludovicum Gotti nostri Ordinis Prædicatorum electum Patriarcham Hierosolymitanum; dilectum filium Leonardum Porzia Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis electum Episcopum Bergomensem. Quid vobis videtur? auctoritate Omnipotentis DEI S. S. Apostolorum Petri, & Pauli, ac Nostra, declaramus ac respectivè creamus S. R. E. Cardinales. Usque huc verba Pontificis. Ea promotio, quanta lætitia non modò animos nobilissimæ familiæ de Ansidei pervaserit, sed etiam omnium totius civitatis Perusianæ Civium cordium medullas penetraverit, cogitatu facilius assequi, quàm dictis effari poterit; dum Purpureum honorem ex quadam participatione sui Purpurati Concivis etiam ad se singuli pertinere exist.mant, propiorésque se factos DEO, quem nunquam non propitium sibi fore pollicentur, quàm diu quidem, quod diutissimè suis obtingere votis optant, DEO, & nomine, & moribus aliquomodo similem, protectorem, & saccerrimum Antistitem in terris venerari concessum fuerit, vel tandem videre (si superis placeat) DEI in terris aliquando Vicarium.

No.





Prosper Archiepiscopus Lambertini, Bononiensis, Episcop. Anconitanq. Sacræ Congregationis Concilij Secretarius S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SS.^{mo} D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1728., et publicatq. in altero Consistorio secreto habito post Semipublicu die 30. Aprilis 1728.

82

Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. — Ioh. Christoph Kolb excud. A.V.

No. LXXXII.

PROSPER LAMBERTINI BONNONIENSIS.

PRosper Lambertini tit. S. Crucis in Jerusalem Presbyter Cardinalis Archiepiscopus Theodosiæ, Episcopus Anconitanus, Sacræ Congregationis Concilij Secretarius, fidei Promotor, Assessor Congregationum del Concilio Episcoporum, Regularium, Immunitatis, Consistorij, & sacrorum rituum, natus Bononniæ ex illustri, & nobili familia Lambertinorum. Bononnia ob terræ fertilitatem pinguis, vulgò la grassa indigitatur, dubium haud obscurum parit, an sit fertilior copiâ ingeniorum nobilium, & doctissimorum virorum, pluralitateque Divorum, quos universalis Ecclesia publico veneratur cultu, an abundantiâ vini, frumenti, & olei, ubertateque saporosissimarum frugum. D. Apollinaris proximus Apostolorum temporibus Verbi Divini primus exstitit Bonnoniensium Præco, cujus vestigia secutus D. Zama circa annum ducentesimum septuagesimum primus ibidem Episcopus: hic innumeros post se reliquit doctrinâ, & sanctimoniâ celeberrimos sectatores, etiam tales, qui agros Bonnonienses suo pro Christi fide tuenda sanguine fœcundarunt, plures verò sacri Collegij Dynastæ Bonnonienses non tam Purpurâ, quàm salutaribus institutis, & vitæ integritate, nobilissimam suam Patriam virtutum ubertate donarunt. Hæc fœcundissima Parens genuit Ecclesiæ quatuor Summos Pontifices omni laude supra astra efferendos. Primogenitus erat Lucius secundus, qui licèt vitâ brevis, annosam nihil omininus oppressit audaciam Arnaldi Brixiensis coriphæi, & auctoris Heresiæ Arnaldistarum, vel, ut alij volunt, Politicorum, perversè collaborantium, ut mortifero suæ damnandæ sectæ veneno etiam Imperatorem Conradum secundum inficerent: sed utrumque execratus est sapientissimus Princeps, nefariam videlicet Sectam, & impudentissimos Sectarios. Secundo genitus erat Gregorius XIII. de quo supra N. 5. fol 19. Tertiò genitus Innocentius nonus, Vir integerrimæ vitæ, & miræ abstinentiæ, unica tantummodo de die, & primùm quidem ad solis occasum refectione contentus, benignus erga omnes, mitis præsertim in pauperes, vix in D. Petri solio consedit, fatis concessit, summa cum consternatione Populi Romani, & totius orbis Christiani. Sedit enim duos duntaxat menses. Quartò genitus fuit Gregorius XV. Vir rectus, ac timens Deum: verbo, Prototypon absolutæ virtutis. Vixit in Pontificatu duos annos, quinque menses, & unum diem. Anno 1529. Carolus V. Rex Hispaniarum, & S. R. I. invictissimus Imperator à Clemente VII. Imperii diademate coronatus est. Circa annum quadringentesimum vigesimum tertium Imperator Theodosius junior Bonnoniæ in toto orbe Universitatem plantavit famosissimam, altè fatus Imperator eam deinde restauravit, immenso auro irrigavit, incrementum dedit, & maximis decoravit privilegiis. Ex hac fœcundissima matre prodière innumera scientiarum lumina, Summi Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Prælati, & infiniti Doctores, qui Orthodoxam rempublicam sapientissimè rexerunt, illustrârunt, defensârunt, & ab omni hæresi purgârunt. In hoc nobilissimo eximiarum virtutum, & scientiarum horto progerminatus est ad summas prosperitatum spes totius Romanæ Ecclesiæ odorifer flos Prosper Lambertini. Nobilissimus iste surculus pullulante vix judicio discretivæ ætatis erigitur optimis morum præceptis, & litterarum institutis, & comperto ingenitæ nobilitatis indolem ad maxima quæque munia esse natam, Romam mittitur, ut Bonnoniæ incœptum in sublimioribus scientiarum cursum Romæ in Clementino nobilium Collegio terminaret. Ingressus tam inclytum omnium virtutum & scientiarum seminarium perpetuum otio indixit bellum: nam ut erat perspicacissimi

ſimi intellectûs, & ingenii acumine dotatus, ſpinoſa Ariſtotelis dogmata facili labore, ſinè tœdio, dum audijt, imbibit, totúsque Solis Aquinatici radiis immerſus, Angelum moribus, doctrina Thomam præſeferebat, nihil interim eorum neglecto exercitiorum, quæ nobilem à foris mirum in modum commendant. Excultus igitur uterq; homo eximiis corporis, animíque ornamentîs, mentem forenſibus impendit rebus. Gaviſa eſt Romana Curia tanti viri frequentiâ, qui utriusque juris cacumine conſcenſo, omnium aures oblectabat, nam ſive accuſando, ubi mitior, ſive defendendo, ad quod paratior, in utroque tamen ſacræ Themedis alumnus oracula æquitatis profundebat, unicuiq;, quod ſuum erat, tribuens. Capiebatur Clemens XI viri adeò eximij admirabili prudentia, miti, & comi ejus ingenio, expertus Proſperum Lambertini in omnibns verbis, ac geſtis proſperè ex præſcripto juſtitiæ agere, parémque maximis negotiis tractandis eſſe, Fidei Promotorem, & Advocatum Conſiſtorialem denominavit, qui jura civitatis Bononienſis, ejusmodj in Romana Curia gaudentis privilegio, defenderet in omnibus ad illius comodum ſolerter intentus: conſtitutus ergo in munere tanto, imaginatu facilè eſt, quanto ſtudio in omnem circumſpectus occaſionem attenderit, quomodo grato animo emergentibus ſuæ nativæ telluris neceſſitatibus occurreret, qui ſui genij mititate etiam deſperatis exterorum cauſis, quantum in ipſo erat, nunquam deerat. Erat enim commune refugium cujuscunque conditionis perſonis, ſed pauperum imprimjs neceſſitatibus compaſſus. Nunquam magni momenti negotium gerere aggreſſus eſt, niſi priùs implorato cœli ac ſapientiæ increatæ aſſiſtricis favore: & quamvis ex omni latere diu noctúque vinculatus graviſſimorum negotiorum catenis teneretur, invictum tamen ab orationis aſſiduitate ſpiritum non relaxabat, eámque, quam ipſe in Superos fovebat Religionem, à ſibi ſubditis exigebat, qui omnes unius moris domi, forisque ſui pientiſſimi Patroni integritati vitæ conformes fieri ſtudebant: probè noverat noſter Proſper Lambertini, proſperum iter conficere, qui quadriga virtutum Cardinalium in altum vehitur, inunctîs rotîs Religionis in Deum, & charitatis in proximum. Tanta ſolertia pro publica Eccleſiæ Orthodoxæ utilitate, qua noctes diebus maritabat, impenſa, pietásque viri Clementem XI. piè movebant, ut merita præſtantiſſimi hujus Prælati jam in altum cumulum extreſcentia digno remuneraret ſingularis gratiæ donô. Præfecit eum officio Signaturæ (ut vocant) di Giuſtitia, & di grazia, ut & ſacræ Themedis adminiſtrator, & gratiarum hoſpitator in promptu penes ſe haberet, omnibus juxta æqui boníque exigentiam benefaciendi. Haud multò poſt eum S. Officij Aſſeſſorem conſtituit, & aliquot interjectu annorum Secretarium Congregationis del Concilio, quo munere diu ſumma cum laude & ſatisfactione omnium in illo ſupremo doctiſſimorum virorum conſeſſu functus eſt. In aulis quidem Imperatorum difficile eſt, ſucceſſori placere naturâ plerumque, moribúsque diverſo, præſertim ubi favori plus quàm Regnorum commodis ſatisfacere placet. Non ità ſolet in aula Pontificia, ubi Eccleſiæ incrementa, animarúmque ſalutes per incorruptos, ſacrósque Miniſtros potiſſimùm attenduntur. Mortuo Clemente XI. Vincentius Maria de Urſinis, nunc ſolium D. Petri ſapientiſſimè regens Sanctiſſimus Pater BENEDICTUS XIII. nunquam non in dictis, & factis Proſperi Lambertini ſibi complacuit, unde in divum Petrum ſuffectus, viri hujus in omni ſcientiarum genere, rebúsque præſertim forenſibus in Curia Romana expertiſſimi prudentiâ ad importantiſſima quæque negotia expedienda impenſiùs utebatur, & probatiſſima ejus in omnibus fide comperta, plures ei graviſſimas ſacræ fidei impoſuit commiſſiones enucleandas, quibus dexterrimè ad mentem ſanctiſſimi Patris confectis, ejus præclara merita Epiſcopali dignitate primò Anconitana, deinde unanimis ſacri Collegii Dynaſtarum ſuffragiis Purpurâ cohoneſtavit, transferendo hoc tantis virtutum rerúmque præclariſſimè geſtarum meritis inclareſcens ſydus in ſereniſſimum Purpuratorum Patrum cœlum in Conſiſtorio ſecreto habito 30. Aprilis 1728. ſanctiſſimè autumans Eccleſiæ proſperitatem nimiùm quantum fore augendam, Proſpero ſuæ benignitatis & charitatis ſalutiferos influxus in omnes abundè communicante.

No.



Fr. Gregorius Selleri, Perusinus, Ordinis Prædicatorũ Sacri
Palatij Apostolici Magister S.R.E. Presbyter Cardinalis Creat.
à SS.mo D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto
die 9. Decembris 1726., et publicat. in altero Consistorio
secreto habito post Semipublicũ die 30. Aprilis 1728.

83

Cum Grat. et Priv. Sac. Caes. May.

Ioh. Christoph Kolb excud. A. V.

No. LXXXIII.

GREGORIUS SELLERI ITALUS

Ordinis Prædicatorum.

GRegorius Selleri tit. S. Augustini presbyter Cardinalis, Assistens Congregationum S. Officij, Episcoporum, & Regularium Examinator &c. honestis natus Parentibus in territorio Perusiano, splendidissimum Dominicanæ familiæ Sydus, vel si mavis, radius reflexus Aquinatici Solis; florigero in vere suæ adolescentiæ jam ardebat canicularibus pietatis ardoribus, face haud dubiè accensus ab illa, qua beatissimus Pater Dominicus Fundator candidi nostri Ordinis totum illustravit orbem, hæresum errores detexit, vitiorum tenebras dispulit, & omnium corda divinis flammis succendit. Sacra præeunte adeò flama, optimè ad divina dispositus Adolescens Ordinem Prædicatorium ingreditur, dignissimus Candidatus illibati Candoris. Præclaræ corporis, & animi dotes famulam ipsius locabant operam virtuti. Hinc mundi transfuga in loco sacræ immunitatis factus suæ propriæ voluntatis occisor, nihil sibi in sua innocenti irregularitate magis fuit volupe, quàm ex præscriptu regulæ sacri Ordinis inter æquè sanctè delinquentes, sibique præmortuos vivere. Lumen Thomæum altissimarum scientiarum quæsivit in abysso humilitatis, qua fida comite lucernam præferente perfacilè eas invenit in sublimitate Thomistici montis, ubi ædificata altissimæ sapientiæ domo, factus est ipse inexpugnabile sapientiæ propugnaculum: nam profunda Philosophiæ arcana, & excelsa Theologiæ mysteria ingenij sui acumine itá penetravit, ut hominem exuisse, & Angelum induisse videretur, penitúsque ab hominum cognitione debere esse remotum, quod ipsum lateret. Adeò sublimi volatui assuescit, qui sincerissimis Aquinatici Angeli doctrinæ alis portatur: non ergo mirum, si inoffenso pede ardua Ordinis percurrebat munia, qui suum domicilium virtutum meritis extruxit inter sydera. Ad tam eximias planè animi, naturæque dotes iteratò dignabatur respicere clementia summi Pontificis Clementis XI. visúmque suæ Sanctitati è re fore universalis Ecclesiæ, si ad praxim extramissivam radiorum speculativum adeò sydus in multorum utilitatem redueeretur. Igitur statuere placuit, hunc verè magnum Theologiæ Magistrum non obstante actuali munere Secretarij Congregationis, & Indicis, simul Consultorem sancti Officij, & sacri Palatij Apostolici Magistrum denominare. Quo excellenti in munere per continuam successionem præstantissimorum ex Ordine nostro Prædicatorio Theologorum Fr. Gregorius Selleri fuit num-

numero septuagesimus septimus, eóque cum summa laude & omnium applausu adplurimos annos functus est. Hunc Virum per totam Italiam maximè conspicuum reddiderunt non ascensæ duntaxat doctissimæ cathedræ, è quibus quot verba tot oracula fudit divinæ scientiæ, & scansi suggestus in sacro Palatio, ubi coram ipso summo Pontifice, sua admiranda dicendi venustate ipsos sæpè Purpurarorum Principum aulæq; Pontificiæ Ministrorum præsentium animos in stuporem rapuit, sed insignia Theologica Opera per publicum typum in lucem edita, in quibus, ne sibi soli prodesset, pretiosum longo labore collectarum Thomisticarum scientiarum thesaurum omnibus Theosophistis fidelissimè communicatum voluit. His egregiis eximii Doctoris Fr. Gregorii Selleri meritis permotus Sanctissimus Pater BENEDICTUS XIII. postquam dudum jam in pectore suo fotum circumferebat, ad Cardinalitiam tandem dignitatem evehere statuit, ità sua Sanctitate vivæ vocis oraculo attestante in Consistorio secreto habito 9. Decembris anno 1726. in occasione creationis duorum Eminentissimorum Cardina- Nicolai Mariæ Lercarij, & Laurentij Cozza. *Venerabiles Fratres*. Appropinquantibus communis lœtitiæ diebus, quibus Nos, divini luminis instructi consilio, octo Beatorum nomina solemniter ad DEI omnipotentis gloriam Catholicæq; Ecclesiæ exaltationem Sanctorum catalogo adscribere constituimus, hodiernum diem, quo simnl deficientem venerabilis Fraternitatum Vestrarum Collegij numerum compleremus, eligimus. Præmittimus interim, non parva Nos solicitudine angi, quatenus per humile supremæ Apostolicæ auctoritatis exercitium, celeberrima super Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium electione felicis recordationis Sixti V. Prædecessoris nostri constitutio (la quinquagesima) suæ pro debito executioni mandetur. Hæc namq; verba præcipua in ea leguntur, quæ hic duximus in Fraternitatum vestrarum memoriam revocanda videlicet - - *Inter hos septuaginta Cardinales, præter egregios utrinsque Juris, aut Decretorum Doctores, non desint aliquot insignes viri in sacra Theologia Magistri, præsertim ex Regularibus, & Mendicantium Ordinibus assumendi saltem quatuor, non tamen pauciores*: - - -Exemplo Prædecessorum procul dubio ductus sapientissimus Pontifex, quem præ cæteris, & Benedicti XI. & Pauli IV. laudabilem praxim latuisse, non credimus. Paulus enim Viros selectissimos duos Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, in divina facultate Doctores, post quos alij ad hæc usqne tempora creati minimè connumerantur, prægrandis hic licèt sit Ordo magisque inter Minoritas reliquos protendatur, assumpsit. Et Benedictus Nostri Prædicatorum Ordinis tres sacræ Theologiæ Magistros in vestrum ipsum Collegium brevem infra octo mensium decursum, cooptavit. Exempla proinde, haud dissimilia, ultimis nec defuêre temporibus. Post nostram (heu quam immeritam ac jugiter dolendam) ad Cardinalatum evectionem tres adhuc alij nostri Ordinis Cardinales nobiscum dignissimè, nostra sanè cum confusione floruêre, unóque per mortem avulso, alter non defuit verè aureus, ità ut ævo nostro, dum Cardinalatûs functi sumus honore, Cardinales quatuor ex nostro, Ecclesiæ quidem non inutili, Prædicatorum Ordine, nobis tantumodò infructuosis extitisse comprobetnr. Ad majorem ergò DEI gloriam, sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem, vestrique Collegii decus, novem omnes Cardinales, qui ad præsens septuagenario vestro numero implendo desunt, creare intendimus, ex quorum tamen numero duos duntaxat nunc evulgamus, videlicet - - - Reliquos verò septem (inter istos, ne, memoratæ Bullæ occasione, Regularium tantùm nos meminisse videamus) præclaros aliquos, doctrina, & laboribus de Romana Curia benè meritos, recensuimus non ad carnem nos, & sanguinem respicientes, quæ penitus ad professæ nostræ Dominicanæ Religionis ingressum fuimus, Dei misericordia, obliti; juxta Davidis effatum Psalmorum 44. - - obliviscere domum Patris tui - - (ecce abominatio parentum - - commentat celeberrimus Hugo de sancto Charo, prmus inter quinque, & quinquaginta Cardinales Ordinis Prædicatorum) reliquos, inquimus, septem non libenter, sed planè inviti, in pectore reservamus, arbitrio nostro successivè publicandos, cùm

vires

vires nobis, & media suppetent, illis pro debita status ratione providendi. Durum etenim nobis semper accideret promovendorum conquestibus non cavere, quorum honorificentiæ consultum volumus (quod jam prompti bene, ac sapienter considerent, & episcopari velint, optaremus, si eorum honestæ simul, ac religiosæ substentationi pro posse non provideamus: quamvis aliàs (quod, & Nos experti sumus in primo triennio nostri Cardinalatûs, antequam Episcoparemur, in desuetudinem abijsse) statutum videlicet in electione Pij II., in Innocentij VIII. electione innovatum, ut scilicet Cardinalibus sua provisione carentibus, florenorum quatuor millia quotannis assignarentur, ad praxim Nos, etiam cum usura revocare studuerimus; dum floreni ipsi 4000. prout realiter tunc valebant, solam 4000. scutorum summam æquiparabant; de præsenti verò, & si tantummodò sint ideales, nihil ominus ad libram positi cum nostri temporis moneta scuta inveniuntur, tercentum supra quinque mille. Hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæ vobis circa hodiernam Cardinalium creationem, ac eorum respectivè, publicationem, & in pectore reservationem, significanda habuimus, super quibus nil nos profectò intendimus, nisi Dei gloriam, & Ecclesiæ, ac sacri vestri coetus honorem. Quid vobis videtur? auctoritate Omnipotentis DEI, sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra creamus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteros Cardinales Nicolaum Mariam Lercarium Archiepiscopum Nazianzenum, Patrem Laurentium Cozza Generalem Ministrum Ordinis S. Frencisci de Observantia, quem recentis nostræ constitutionis super habitu, & tonsura Prælatorum Regularium editæ memorem esse volumus, ipsique illius Observantiam expresse injungimus. Cùm dispensationibus, derogationibus, & clausulis necessariis, & opportunis. Alios septem in pectore reservamus, arbitrio nostro quandocumque declarandos. In Nomine Patris † & Filij † & Spiritus Sancti † Amen. Usque huc Sua Sanctitas.

Placuit ergo sanctissimo Patri sui, nostrique Sancti Ordinis Confratrem P. Gregorium Selleri in Consistorio secreto habito 30. Aprilis anno 1728. unà cum P. Vincentio Ludovico Gotti pariter suo nostróque Confratre, cum reliquis 5. in dicto Consistorio declarare, & respectivè coronare, non sinè ingenti sacri Purpuratorum Patrum, & universi Prædicatorij Ordinis gaudio, congratulantium unanimis cordis, & oris votis de aucto utriusque splendore. Perfusus ob tales dignissimis viris collatos à summa Sede honores insolita lœtitia serenissimus Priuceps de Malta Equitum Melitensium supremus Magister Generalis utrumque Cardinalem Commendâ (ut vocant) annalium redituum 500. scutorum, & Cruce, quod hujus Ordinis Insigne est, decoratos voluit. Lætare igitur terque, quaterque beatus Prædicatorum Ordo! quòd inter medios Cleros fulgeas pennis columbæ deargentatis. O qualis Candor tuus nativus fuit primi auri pallore decoratus! dum in Petra Petri fundatus tales de Petra excidisti columnas, quæ & ipsæ Petræ Petri factæ sunt, super quam Ecclesia firmiter ædificata immobilis semper stetit, stat, stabitque contra ab inferis excitatos terræ motus. Fulges in pallore auri etiam ex morte eorum, quos Orthodoxæ Ecclesiæ Reipublicæ in Summos nutrivisti Pontifices, tres Beatissimos Patres illibatique Candoris Innocentium V. Benedictum XI. & Pium V. quorum doctrinæ veritas increpat feras arundinis omni vento falsorum dogmatum se pascentes: quorum vitæ integritas confundit Congregationes taurorum, quæ suas in Vaccis populorum ex turpitudine voluptates quærentes efflant ore impudico infectum halitum obscoena eructatione, præcepta dicentes, divina esse servatu impossibilia, vota monastica rem esse detestabilem, quorum quidem, qui talia dicunt, damnatio justa est. Fulges in pallore auri ex immenso fulgore, quo modernus Sanctissimè gubernans Ecclesiæ Monarcha BENEDICTUS XIII. universum Orthodoxam Rempublicam illustrat, fatentibus ipsis Ecclesiæ adversariis, se deficere scrutantes scrutinio, & in ejus saccerrimæ vitæ ratione, peccatum quærere, sed minimè invenire posse. Tua liliate Ordo! tua sancta instituta, quæ Sanctissimus Pater

BENEDICTUS tua singularis gloria, ad amussim in hanc usque diem strictissimè observat, talem reddiderunt Pontificem, cujus laus est in virtute DEI per omnes Ecclesias. Fulges in pallore auri, ex ominum, divina eloquia, & sacros Canones si eximas, tutissimâ Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis doctrinâ, qua mediante tot coruscantia Sydera in Orthodoxo coelo exorta sunt, quæ saluberrimos sacrorum fidei dogmatum influxus in Christi Fideles ex ambonis, & suggestibus depluerunt, hæreses confuderunt, vitia extirpârunt, & omni virtutum genere agrum veræ Ecclesiæ foecundârunt. Fulges denique in pallore auri, ex Purpurâ tot tuorum Cardinalium, Mitrîs Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & innumerabilium inconcussâ eruditione Doctorum in coelo partim jam coruscantium, partim in terris adhuc clarescentium. Lætare igitur & vel maximè renovato gaudio in pallore auri neo-purpurati Principis Eminentissimi Cardinalis tui filij Gregorii Selleri, cujus insignia virtutum merita, tua sunt sacræ disciplinæ decora, & nunquam intermoritura gloria.

No.



Antoniꝰ Banchieri, Pistoriensis, Almæ Urbis Gubernator Vice-Camerariꝰ S. R. E. Diaconꝰ Cardinalis creatꝰ à SS.^mo DN. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726, et publicatus in altero Consistorio secreto habito post semipublicum die 30. Aprilis 1728.

84.

Cum Gratia et Priv. Sac. Cæs. Maj.

Ioh: Christoph. Kolb excuderunt.

No. LXXXIV.

ANTONIUS BANCHERIUS PISTORIENSIS.

ANtonius Bancherius tit: S. Nicolaæ S. R. E. Diaconus Cardinalis, Aſſeſſor Congregationum del Concilio, & propagandæ fidei &c. Illuſtribus natus Parentibus Piſtoriæ in Hetruria ad amnem Stellæ nuncupatum, ſitæ Urbis, celebríſque ex interitione ibidem Catelinæ Romanæ Nobilitatis, & nominis opprobrium ob Romæ, Orbis Dnminatrici incendio conflagrandæ minitantis interitum, ut ſuam luridiſſimam inopiam rapinis vel hac infami occaſione ditare poſſet, ad dictum flumen Stellam, lacum inflammatæ ſtygis invenit. Adeò innocentes Stellæ iniquitatem exorbitantem oderunt hominum, ut quaſi in aquas converſæ, eos ſubmergere didicerint. Erubuêre nimirum Urbis origine adeò nobilis antiquiſſima mœnia exuto omni humanitate monſtro hoſpitalitatem vel unius noctis ſilentio concedere, quæ parens futura fuerit tot nobiliſſimarum familiarum, quas inter floret illuſtriſſima Domus, Roſpilioſa, undè ortum habuit Clemens IX. & vitæ integritate, & ſapientiâ gubernandæ Eccleſiæ Romanæ, laudabiliſſimus per orbem Pontifex 1667 in S. Petrum conſecratus. plura de hoc vide N. 18. fol. 45. Arctæ conſanguinitatis vinculò illuſtriſſimæ Roſpilioſæ junctus eſt Antonius Bancherius, quem quidem fortuna videre maluit naturæ donîs, quàm ſuîs abundare. Adoleſcens liberalibus artibus, nobilibúſque exercitamentis addiſcendis admovetur. Erat illi ingenium ſubtile ac perſpicax: ſcientias ſublimiores vix viſas, menti impreſſas tenebat: in limine ſtatim doctæ Palladis profundiſſimos ſcientiarum effodit theſauros, nobiliſſima tamen modeſtia & animi pietate temperatos, quibus facem præferentibus, ad ſumma quæque ſapientiæ culmina facili aſcenſu pertigit. Hujuſmodi jactis validiſſimis fundamentis, forenſi praxi, & Curiæ Romanæ frequentiæ applicatus, brevi ad talem experientiam Pontificalium Decretorum legúmque civilium uſum pervenit, ut prompto calamo, oréque prompto ſacræ Themedis mentem in rebus deciſu difficillimis explicaret: Mnemoſynon ejus dixiſſes Archivium, ac repertorium, in quo actus antiquiſſimarum forenſium cauſarum recenter quaſi deſcriptos facili negotio legeres. Hinc præſens ac velox in dandis optimis conſilijs, & omni retrò memoria geſtarum conſcius rerum, ſpecimina dedit omnium exquiſitæ experientiæ parémque ad maximè ardua applicatis negotia. Reſpexit Clemens XII. ad eximias tanti Viri naturæ, animìque dotes, & veſtitum Abbatiali habitu Referendarium utriusque Signaturæ eum denominavit, quod munus Antonius Bancherius, uti erat inſtitutione diſcretus, induſtrius, probus ac eruditus, ſumma cum fama ſuſtinuit, ſplendorem interim debilioris fortunæ, ſupplente ſplendidiſſima Roſpilioſorum familia, quæ attenta ſui in Antonio Bancherio ſanguinis gloriâ, nullis pepercit expenſis, aut ſumptibus pro illius

lius præclara indole meritis in dies crescente, magis in orbis Urbe conspicua reddenda. Certè deridens fortunæ malignantis invidiam, ubi animi ac naturæ dotes, cunctis fortunæ bonis longè potentiores, nobilitatem ex nobilitate commendant. Pistoria assueta magnis, non parit, nisi sibi pares, & ad altissima quæque munia obeunda præstantissimos Viros. Testes sunt ex illa tot præclari ad Purpuram non sorte, sed meritis nati, ad mitras evecti Dynastæ, & tandem Triregnalis Clemens IX. Pistoriæ Urbis immortalis gloria, & illustrissimæ familiæ Rospiliosæ antonomasticum decus, cujus gloriosa merita identidem in recenti Romanæ Ecclesiæ, quam duos annos, & quinque fermè menses laudabilissimè rexit, memoria conservata repetuntur, ità, ut Sumana Sedes sibi summo ducat honori, si in grati animi tesseram quemquam ex Rospiliosa Domo oriundum nanciscatur occasionem suis gratiarum thesauris ditandi. Qua contemplatione piè motus Innocentius XII. Antonium Bancherium Avenionem Vice-Legatum destinabat: hujus in muneris administratione inclaruit summa Viri prudentia, indefessa solertia, intenti in omnes occasiones, ne sacræ Sedis jura lœderentur. Obstupuêre Galli clarissimi viri in conficiendis rebus publicis dexteritatem, tractabilem in omnem partem indolem, & in eorum mores, & amores facilè translatitium ingenium deprædicabant, quo Romani Pontificis pariter atque Gallorum Regis commoda, æqua trutina pensata, tranquillo utrinque fœdere subsisterent. Clemens XI. Antonij Bancherii strenuos remuneraturus labores Avenione Romam avocavit, & paulò post Secretarium Congregationis de propaganda fide eum denominavit. Sciebat sanè summus Pontifex, cui, & quanto Viro simile imponat grave munus, videlicet, tali, qui arduum aliquod negotium aggredi visus non est, nisi ex virtutis, ac Religionis promovendæ proposito priùs cum Deo ex consulto ageret: unde non mirum, si honores habuit, sibi obsequentes, & pedissequos. Post breve temporis intervallum ab eodem Pontifice honorificentiori officio decorabatur Assessor S. Officij denominatus. Verùm qui vasto suo ingenio integra Regna circumscribit, totius Ecclesiastici status Secretarius della consulta post aliquot annorum lapsum meritò instituebatur: quo insigni munere usque ad moderni felicissimè regnantis summi Pontificis BENEDICTI XIII. egregiè functus, ab eodem Gubernator Romæ præficitur, rententa prærogativâ S. Officij. Ex ipsius suæ Sanctitatis sacerrimis manibus Virgam Prætoriam accepit addita expressa admonitione, attenderet in sibi importantissima commissa administratione Civium Romanorum, ut sinè personarum acceptione, aut respectu ad carnem & sanguinem, justè judicaret, causas decideret juxta legis formam, & agenda in timore Domini sapienter conficeret. Gratulabatur sibi universa Roma de dato sibi cœli favore, prudentissimo Antonio Bancherio in Gubernatorem, quem cuncti ob eximiam rerum experientiam, & difficillimas expeditiones ad optatum finem, & Orthodoxæ Reipublicæ utilitatem perductas, promptum consilij excelsi animi, admirandæ eruditionis, profundissimi ingenii, summæ in proferendis sententiis gravitatis, ac incorrupti in omnibus dictis, & gestis candoris fidelissimum Romanæ Curiæ Ministrum deprædicant. Qua vero solertia suæ curæ, & dexterrimæ prudentiæ hanc commissam provinciam administrârit, vel ex hoc luculenter liquet, quòd nemo Civium fuerit, qui non suave jugùm mitissimi ejus regiminis perpetuum portare optaverit: solis conqueri auditis eximiis virtutibus, quæ humeros sui integerrimi hospitatoris Cardinalitia Purpura cohonestandos cupiebant, quas tamen Sua Sanctitas sui voti compotes reddidit sacrô silentiô, omni clamore valentiori, impositô, dum in Consistorio secreto, Antonio Bancherio, os obseravit, & mox iterum reseravit, ornatóque digito annulô eum Cardinalem creavit, sub tit. S. Nicolaæ in carcere: titulus iste est Diaconiæ, immemorabilis consuetudinis in Ecclesia Romana, in qua Cardinales erant Parochi cum suprema potestate Episcopali. Mandavit autem Sua Sanctitas in actu creationis Bancherij ad Purpuram, ut habitis prioribus officiis, ut ante, interesset, adeò nempè maximi hujus viri prudentia apud suam Sanctitatem in æstimatione est, ut ea in summis emersuris occurrentiis plerumque uti velit. Congratulante sibi toto Purpuratorum

Patrum

Patrum Collegio de aucta per talem Virum ſplendoris gloria, & univerſa Roma in gratulatoria vota liqueſcens inſolita geſtientis animi ſigna edidit inter ter mille accenſos feſtos ignes. Igitur meritiſſimus Purpuræ recens Dynaſta, quàm á Sua Sanctitate acceperat, Prætoriam Virgam ſacratis denuò manibus conſignavit, translatam dein in Joannem Baptiſtam Spinola. Vacantia per mortem Domini Lucinij Lucenſis beneficia valdè pinguia Sanctiſſimus Pater Antonio Bancherio Neo-Purpurato contulit. Dicunt, fuiſſe huic Eminentiſſimo Dynaſtæ jam ante plurimos annos à celebri quodam Aſtrologo vaticinatum, quòd rubeo Galero eſſet potiturus. Enimverò Gentilitia Inſignia non vacant vaticinij myſterio; nam repræſentant Aquilam unicipitem coronatam, ſubtus Aquilam ſex colles unus ſuper alium poſitus conſpiciuntur, duobus inde enatis floribus. Item mare quoddam in parma videre eſt cum quatuor quadratis lapidibus. Aquila volatilium Rex in arduis ponit nidum ſuum, in petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus. Jobi hæc verba ſunt c. 39. ſed vix non ad litteram clara indigitant vaticinia Eminentiſſimi Cardinalis Bancherij. Aquila eſt acutiſſimi intellectus cornata virtutum ac ſapientiæ meritis, nidum ſuum poſuit in Petris, inquietum licèt ob graviſſima quæque expedienda, nunquam tamen vel latum unguem à Petra Romana diſſenſit, ſecurus ibi commemoratur, quia nec portæ infernales eam poterunt commovere, ſed nec ulla Hæreticorum jacta contra inacceſſos Eccleſiæ rupes tam altè tela volant: Item Antonius Bancherius intrepidè exemplo Petri incedit ſuper aquas ſalſi tentationum maris, quid ergo ſupereſt, ut ſit Petrus? conjunge quatuor illos, quos in parma Gentilitia contemplaris, lapides, & habebis ſeptem colles, quibus Romana Sedes inædificata eſt. Spem fovent duo virentes in collibus flores, denique nec votis deſunt merita, nec meritis vota, Superi auctis illis, iſta dabunt.

No. LXXXV.

CAROLUS COLLIGOLA SPOLETINUS.

CArolus Colligola tit. S. Mariæ in Campitello Diaconus Cardinalis Spoletij in Umbria nobilibus natus Parentibus. Spoletium Urbs est in Italia, pertinens sub potestate Ecclesiastici status, Metropolis in Ducatu ejusdem omnino nominis, sita ad collis declivitatem, amplis quidem, ac pulchris exornata plateis, sed inæqualis. Amnis præterfluens, nomine Thessinus, Urbem rigat, Sede Episcopali immediatè a summo Pontifice dependente decoratam. In bello Punico Hannibal Romanorum abjuratus hostis sensit Spoletium suorum progressui armorum prævalidum obstaculum. Anno 1555. hæc urbs multa perpessa est ab Imperatore Friderico Barbarossa, qui denegatum sibi per eam transitum totali devastatione per ignem vindicavit. Anno 1234. Gregorius nonus Concilium hic congregavit ob terræ sanctæ recuperationem. Anno 1583. Petrus Ursinus Episcopus Spoletinus Constitutiones Synodales edidit. Sed Ursinus BENEDICTUS XIII. Carolum Colligolam 30. Aprilis anno 1728. Cardinalem creavit. Non enim nisi Viros scientiis clarissimos, virtutum meritis graves, & de Romana Sede optimè meritos sua Sanctitas hactenus consueverat Purpurâ vestire. Quis ergo emetietur cogitatu, quanta spolia egregius iste Spoletinus orci Tyranno detraxerit: certè tot, quot in se virtutes expressas eximio pietatis in alios transfudit. Ab ineunte ætate integer erat vitæ, perspicacis ingenii, aspectu decorus, & in omne pietatis studium composito, cujus amabili formæ ancillantur acquisitæ per multos labores Scientiæ, ut unà conjunctim haberet, quo Deum coleret Religionis studio & proximæ charitatis impensæ obsequeretur consilio, Romanæ Curiæ esset emolumento, suæ Patriæ ornamento. Cùm igitur tot meritorum, Scientiarum, ac virtutum effectus domicilium, & negotijs gravissimis pro publico gerendis natus singulari prudentia inclaresceret, Protonotarius Apostolicus denominabatur, optimam nactus in hoc munere spartam, qua plurimos suarum qualitatum in utroque foro efficeret imitatores, quos in variis scientiarum facultaitbus excellentes crearet Doctores. Gaudet enim Protonotarius Apostolicus tam excelsis in Aula Romana privilegiis, ut vel doctæ Sophiæ asseclas, vel utriusque sacræ, ac profanæ Themidis Alumnos, & Pindi incolas Doctoris Laureâ inaugurare possit. Cùm verò nemo det, quod non habet, Carolus Colligola exactum in semetipso dictis & factis sapientiæ & virtutis Prototypon exhibebat: nihil certè, quantumvis grave, & intricatum ex rerum circumstantiis ipsi accidere poterat, quod perspicaci ejus ingenio inaccessum fuerat: res difficillimas suæ curæ commissas nunquam non ad maximam Orthodoxæ Reipublicæ utilitatem auspicacissimè confecit. Hinc in cunctis prosperè ad mentem summi Pon-



Carolus Collicola, Spoletinus, Protonotarius Apostolicus, et Rev. Cam. Apost. Thesaurarius Generalis S.R.E. Diacon. Cardinalis creatus à SS.^{mo} D.N. BENEDICTO PAPA XIII in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726, et publicatus in altero Consistorio secreto habito post Semipublicu[m] die 30 Aprilis 1728.

85.

Cum Grat. et Priv. Sac. Caes. Maj. — Ioh. Christoph Kolb excud. A.V.

No. LXXXV.

CAROLUS COLLIGOLA SPOLETINUS.

Carolus Colligola tit. S. Mariæ in Campitello Diaconus Cardinalis Spoletij in Umbria nobilibus natus Parentibus. Spoletium Urbs est in Italia, pertinens sub potestate Ecclesiastici status, Metropolis in Ducatu ejusdem omnino nominis, sita ad collis declivitatem, amplis quidem, ac pulchris exornata plateis, sed inæqualis. Amnis præterfluens, nomine Thessinus, Urbem rigat, Sede Episcopali immediatè a summo Pontifice dependente decoratam. In bello Punico Hannibal Romanorum abjuratus hostis sensit Spoletium suorum progressui armorum prævalidum obstaculum. Anno 1555. hæc urbs multa perpessa est ab Imperatore Friderico Barbarossa, qui denegatum sibi per eam transitum totali devastatione per ignem vindicavit. Anno 1234. Gregorius nonus Concilium hic congregavit ob terræ sanctæ recuperationem. Anno 1583. Petrus Ursinus Episcopus Spoletinus Constitutiones Synodales edidit. Sed Ursinus BENEDICTUS XIII. Carolum Colligolam 30. Aprilis anno 1728. Cardinalem creavit. Non enim nisi Viros scientiis clarissimos, virtutum meritis graves, & de Romana Sede optimè meritos sua Sanctitas hactenus consueverat Purpurâ vestire. Quis ergo emetietur cogitatu, quanta spolia egregius iste Spoletinus orci Tyranno detraxerit: certè tot, quot in se virtutes expressas eximio pietatis in alios transfudit. Ab ineunte ætate integer erat vitæ, perspicacis ingenii, aspectu decorus, & in omne pietatis studium composito, cujus amabili formæ ancillantur acquisitæ per multos labores Scientiæ, ut unà conjunctim haberet, quo Deum coleret Religionis studio & proximæ charitatis impensæ obsequeretur consilio, Romanæ Curiæ esset emolumento, suæ Patriæ ornamento. Cùm igitur tot meritorum, Scientiarum, ac virtutum effectus domicilium, & negotijs gravissimis pro publico gerendis natus singulari prudentia inclaresceret, Protonotarius Apostolicus denominabatur, optimam nactus in hoc munere spartam, qua plurimos suarum qualitatum in utroque foro efficeret imitatores, quos in variis scientiarum facultaitbus excellentes crearet Doctores. Gaudet enim Protonotarius Apostolicus tam excelsis in Aula Romana privilegiis, ut vel doctæ Sophiæ asseclas, vel utriusque sacræ, ac profanæ Themidis Alumnos, & Pindi incolas Doctoris Laureâ inaugurare possit. Cùm verò nemo det, quod non habet, Carolus Colligola exactum in semetipso dictis & factis sapientiæ & virtutis Prototypon exhibebat: nihil certè, quantumvis grave, & intricatum ex rerum circumstantiis ipsi accidere poterat, quod perspicaci ejus ingenio inaccessum fuerat: res difficillimas suæ curæ commissas nunquam non ad maximam Orthodoxæ Reipublicæ utilitatem auspicacissimè confecit. Hinc in cunctis prosperè ad mentem summi


Pon-



Carolus Collicola, Spoletinus, Protonotarius Apostolicus, et Rev. Cam. Apost. Thesaurarius Generalis S.R.E. Diacon. Cardinalis creatus à SS.^mo D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 9. Decembris 1726, et publicatus in altero Consistorio secreto habito post Semipublicum die 30 Aprilis 1728.

85.

Cum Grat. et Priv. Sac. Caes. May. — Ioh. Christoph Kolb excud. A.V.




Pontificis agens promeruit, ut ob suam probatissimam solertiam Sua Sanctitas BENEDICTUS XIII. eum Generalem suum super omnes Apostolicæ Cameræ gazas thesaurarium constitueret. Meritò illius fidei divitiæ committuntur Apostolicæ, qui Apostolicam ducens vitam solo virtutum thesauro furibus inaccesso, contentus vivit. Eminuit in nostro Eminentissimo Carolo insignis experientia non in rebus duntaxat forensibus, sed & prudentia singularis in œconomica administratione. Cùm Sua Sanctitas 30. Aprilis 1727. Beneventum abiret, piscationem ad Lacum Sanctæ Mariæ nuncupatum aspicere dignabatur, & perpenso, dictum Lacum, ex quo Urbi Romanæ magna piscium copia adveheretur, Caroli Colligolæ œconomica industriâ, ità piscibus abundare, ex benignitatis abundantia, ac summa liberalitatis inclinatione per Decretum Carolo annuos reditus ex præfati laci provenientes, & ad 4000. scutorum excurrentes, in remunerationem industriosæ suæ & fidelissimæ administrationis donavit: Regale omninò donum, quod in nullius ore piscis Carolus invenisset, invenit in beneficentissimis D. Petri successoris manibus, occasionem opportunam Eminentissimo Principi porrigentibus, ut qui aliàs sui omni humanitate perfusis moribus, dicendíque venustate omnium animos in sui amorem trahebat, & beneficiis devinciebat, jam ex piscium auctus proventibus aptior fieret pauperes capiens, quorum jam plurimos ex undis miseriarum hamo elargitionis eleemosynarum extractos in litore Christianæ virtutis consolidavit, & plusquàm paterno affectu fovit: pius fœnerator, ex reditibus suis minimis satisfacit, ut Deum ter optimum maximum debitorem habeat. Insignes adeò & naturæ & animi qualitates, quas unicè ad Religionis incrementum & sacræ Romanæ Ecclesiæ commoda impendit, Sanctissimum Patrem BENEDICTUM XIII. permovêre, ut sacra Purpurâ Virum tam præclarè de Republica Orthodoxa meritum, honestaret. Erat quippe Carolus unus ex illis septem, quos testimonio vivæ vocis oraculo Sua Sanctitas non libenter, sed invita tam diu in pectore reservabat, & ultra duos annos sacra quadam impatientia in summa mentis sede circumferebat. Nam eorum facta est promotio 9. Decembris 1726. sed publicatio primùm secuta 30. Aprilis 1728. Placuit toti Purpuratorum Patrum Collegio tam provida suo splendori augmentatio, & Virum sacræ Purpuræ dignissimum, qua par est, grarulatorijs votis, ac tenerrimo affectu amplectebantur. Urbs verò Spoletina audita promulgatione tota in gaudia, resoluta, Concivem suum omni solennitatis honore venerabatur, cordéque conceptum gaudium publicis contestabatur festis lætitiarum signis, vocis, & ignis: spe freta, fore, ut à tanto Ecclesiæ sydere in cœlum purpuratorum Dynastarum translato omnis sibi imposterum desiderata felicitas sit depluenda.

No. LXXXVI.

VINCENTIUS LUDOVICUS MARIA GOTTI BONNONIENSIS.

Ordinis Prædicatorum.


Vincentius Maria Gotti Ordinis Prædicatorum tit. S. Pancratij Presbyter Cardinalis, Patriarcha Jerosolomytanus Assistens Congregationum S. Officij, Rituum, Episcoporum, Regularium, de propaganda fide, Examinator Episcoporum, Bonnoniæ honestissimis natus est Parentibus: ejus Parens Professorem & Publicum Medicinæ Lectorem in dicta Urbe egit; dignus tanto filio, à quo plurimorum dependeret salus. A puero optimis morum institutus præceptis, vix mundum aspexit, despexit: & ne immundi mundi quasdam contraheret maculas, totum se se involvit mundissimo Candori D. Dominici habitûs, prout hodie gestare solent Fratres Prædicatorij. Præ ætatis teneritudine portandi habitum Religionis vix capax, ad austeritates illius æquo animo ferendas utrásque jam protendebat manus. Magister ante grandævus in schola virtutum, quàm tyrocinium egressus. Quo finito, tener hic D. Dominici catulus in immensum Thomisticæ doctrinæ oceanum proijcitur, ut solerter innatando Aquinatici radios caperet Solis. Cùm igitur Fratri nostro Vincentio Ludovico Mariæ sagacissimum esset ingenium, intellectus perspicacissimus, & supra ætatem maturum judicium, tantos brevì in Schola Thomæa progressus fecit, ut flumina oraculornm ex ore ejus egredi putarentur: nam grande Philosophiæ arcanorum, & Theologiæ mysteriorum palatium factus, vix quidquam hominis præsetulit Angelo similior, & morum candore, & scientiarum flore. Progressu itaque temporis frater Gotti non Bonnoniam duntaxat nativum suæ Patriæ solum, sed & totam penè Italiam sua complexus est Doctrina: nam in studio ibidem generalissimo per plures annos Regentem agens, ipsam Bonnoniam, quæ propter eximios in omni scientiarum genere versatissimos Viros *Docta*, vel *docens* indigitatur, plurima docuit, ipsique Doctores in difficillimis tùm Philosophicis cum Theologicis quæstionibus elucidandis ad ipsum quasi oraculorum Tripodem recurrentes, doctiores abibant. Felices fuêre præ reliquis candidi Thomisticæ sententiæ Alumni, qui sacræ doctrinæ fluenta à tanti Magistri ore hauserunt, qui quidem ut condecens erat, in ejus præsentia digitum ori imponebant, modo verò alta gratitudinis voce tanti viri per omnes Provincias qua latè patet D. Dominici Ordo, doctrinam deprædicant, & quadam relativa, & gratiarum actoria reverentia, ad fonris originem, unde & ipsi in magistros evaserunt, discipulos se fuisse, & adhuc esse cupientes gloriantur. Conjunxit Fr. Vincentius Gotti, quibus



F. Vincentius Ludovic, Gotti, Bononiensis, Ordinis Prædicatorum electus Patriarcha Hierosolymitan, S.R.E. Presbyter Cardinalis creat, à SS.mo D.N. BENEDICTO PAPA XIII in Consistorio secreto habito post Semipublicũ die 30. Aprilis 1728.

86.


Cum Grat. et Priv. Sac. Cæs. Maj. — Ioh. Christoph Kolb. excud. Aug. V.



quibus nostrum sacrum Ordinem illustravit, doctrinæ radijs, splendorem virtututis, circa omnes se ipsum bonorum operum præbens exemplum fuit in schola, D. Thomæ æmulator, in claustrali regimine, D. Dominici imitator, ibi profudit sapientiæ oracula, hìc dedit prudentiæ specimina. In diversis Conventibus Fratrum suffragiis, sed præcipuè in Conventu Bonnoniensi iteratò in Priorem electus, ipse in se priùs exactæ regularis disciplinæ observator, facili negotio sibi subditos Religiosos ad sequelam duxit; nihil in rebus arduis Conventûs ordinare aggressus est, nisi divina ope implorata per intercessionem Thavmaturgi Sanctissimi Patris nostri Dominici, cujus veneranda ossa ibidem marmoreæ inclausa arcæ in sacra conventûs æde multa hominum frequentia publico cultu honorantur, impetratis quotidianis à sanctissimo Patriarcha divini Numinis favoribus, auxiliisque in maximis necessitatibus. Conventus Bonnoniensis merito inter omnes S. Ordinis per orbem Conventus primatum sibi attribuit ob sacrum pignus D. nostri Fundatoris ibidem depositum. Hunc enim locum S. Pater præ reliquis delegit ultimis suæ vitæ claudendis periodis. In hoc sacro Religiosorum Fratrum cœtu floret in primis sacræ Iuquisitionis officium, attentissimo sapientiæ suæ oculo invigilando, ne vel pestifer contagiosæ hæresis halitus, auram Catholicæ Civitatis à longè inficiat. Florent ibidem altissimarum scientiarum facultates, continuis scholasticis disquisitionibns intricata dubia, & nodos sublimissimarum quæstionum resolventes, & dilucidantes. Alit præfatus Conventus ultra 120. Religiosos sub optima regularis disciplinæ observantia, quos inter offendes celeberrimos Magistros, famosissimos Divini Verbi Præcones, qui S. Ordinis antonomasticum Prædicatorij elogium augent, conservant. In hoc amplissimo & antiquissimo Conventu Fr. Vincentius Ludovicus Maria Gottj sacrum Religionis habitum assumpsit, & varia Ordinis ministeria inoffenso pede altissima sapientia comite percurrens, tandem præstantissimorum Virorum unanimis eligentium calculis Provinciæ Lombardiæ præficiebatur. quo munere summa cum discretione, & prudentia functus omnium amorem, etiam eorum, in quos severiùs animadvertere in moribus coërcendis durioris disciplinæ necessitas eum compulit, promeruit. Post aliquot annorum decursum sacræ Inquisitionis Mediolani à S. Cardinalium Congregatione muneri imponebatur, ubi judicium aut sententiam formavit nullam, nisi ex tanti officij legum præscriptu, vocatisque priùs in consilium virtutibus suæ conscientiæ testimonium reddentibus. Duo sunt præcipua in Orthodoxa Republica officia, quorum auctor, & antesignanus est ipse S. Ordinis fundator Dominicus, nimirum sacræ Inquisitionis, & Magisterij sacri Palatij Romæ, jure quasi hæreditario jam per continuam sinè ulla interruptione successionem in filios tanti Patris transfusa; testes omni exceptione majores sunt tot emanatæ Pontificiæ Bullæ, agnoscentes S. P. Dominicum utriúsque officij auctorem, & inde uberrimos fructus in Ecclesiam universalem derivatos, summis encomiis deprædicantes. Sed ut ad Fr. Gotti revertamus: Experta est summi hujus Viri sapientiam hæreticorum pravitas, quam ubique potuit, inquisitam confudit, profligavit, eliminavit, verbis & scriptis prostratam. Experta est hujus præstantissimi Viri profundissimam doctrinam nimium exorbitans Paccininni Calviniani temeritas, cujus egregio suo contra ipsum in lucem edito libro *la Chiesa di Christo dimostrata da Segni, e da dogmi* intitulato, dogmatum fraudes detexit, errores confutavit, enervavit, & radicitùs evulsit. Versatur præfatus liber doctissimas inter manus, suùmque ex arte probat Magistrum. *Ecce volumen volans. Zachariæ 5.* Quis altum ejus impediet volatum? *plenum est oculis intus & foris.* Volat jam per totan Italiam alis suæ vernaculæ linguæ, docet doctos, instruit plebem, confirmat fideles, confundit infideles, explicat fidei veræ dogmatà, & luce meridiana clariùs ostendit ex signis, & doctrina nullam esse, nec esse posse præter Catholicam, veram Ecclesiam, sed reliquas esse falsas, inanes, damnabiles. Volat per Urbes, Provincias & Regna in idiomate latino, per Germaniam, Belgium, Galliam, Hispaniam, Prusiam, Poloniam, Daniam, Suetiam,

& Helvetiam, ubi ex utroq; idiomate, retibus Catholicæ veritatis vulpem in astutia sua deprehensam irretitamque in Laco di Como unà cum sua nequitia submersit. Hic liber laudatur ab omnibus, desideratur ab omnibus, approbatur ab omnibus, fatentibus ipsis hæreticis, esse per hunc librum jugulatos Picinini errores, eversa sua dogmata, detectas sua fraudes, proscriptam denique suam protervitatem. Volat ultimò tandem hoc egregium volumen ad summum usque Ecclesiæ Montis Vaticani verticem, ibique alis contractis in gremium humillimè se dimittit Matris infallibilis veritatis. Excepit hoc volumen volans paterno affectu Sua Sanctitas BENEDICTUS XIII. cui P. Magister Gotti ob insignem Doctrinam, comprobatam sinceritatem, & Religiosam modestiam jam à retro plurimis annis acceptissimus nunquam non fuerat, & ad memoriam revocatis adeò Viri præclari meritis, constituit eximios ejus labores remunerari. Quare dignissimum supremis Ecclesiasticis dignitatibns eum in Consistorio secreto habito 30. Aprilis arno 1728. Patriarcham Jerosolomytanum creavit, & post duas horas Cardinalem unanimis Purpuratorum suffragijs, & *Placet*. Congratulabatur, sibi totum Purpuratorum Patrum Collegium de augmento triplicitati jam splendoris ex ordine Prædicatorum Eminentissimorum Cardinalium Pipia, Selleri, & Gotti ad sacram Purpuram evectorum à Sanctissimo Patre BENECICTO XIII. illorum ejusdem professionis Confratre. Summô hæc evectio ad S. Purpuram afficiebat gaudiô Eminentissimum Legatum Pontificium, & Archiepiscopum Bonnoniensem, qui solemni pompa, & apparatu curribus vehebantur ad Conventum nostrum D. Dominici Neo-Purpuratum Principem tenerrimo affectu complexuri gratulatorio ad Purpuræ honorem. Tota Bonnonia festivis ardebat plausibus, illuminata per domos lœtis ignibus. Magna cum pompa nobilissimus Magistratus Bonnoniensis ad Conventum se se contulit gratulaturus P. Magistro Gotti ad Cardinalatus dignitatem, jure meritissimo obtentam, offerens magnifica Neo-purpurato munera, totámque Gottianam familiam honorans donata nobilitate. Universitas Bonnoniensis comparuit gratulatorijs votis in solemni habitu Doctorali, sacram Purpuram in Neo-Purpurato Dynasta, qui doctissimus inter Doctores audiît, exosculatura. Eminentissimus Cardinalis Spinola suum in Neo-purpuratum ostensurus amorem, & æstimationem tribus valdè magnificis curribus eum honoravit in donum datis. Quis verò explicabit Conventus nostri Prædicatorij Bonnoniensis gestientis animi, & corporis jubilos in exaltatione ad Purpuram sui honorandissimi filij, proni in terram unus post alterum deosculabatur Eminentissimi sui Confratris Purpuram, apprecantes per series myriadum, ut sanctissimi in solio Petri constituti Patris simul & Confratris venerandissimum succolaret senium, & nunquam desineret sui nativi Conventus Bonnoniensis benignissimus existere Pater, cujus assumpto S. Ordinis habitu non dedignatus est esse per professionem filius.

No.





D. Leander Porzia, Foroiuliensis, Ordinis Sancti Benedic-
ti Congregationis Cassinensis electus Episcop. Bergomensis
S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SS.mo D.N. BENEDI-
CTO PAPA XIII. in Consistorio secreto habito post Semi-
publicum die 30. Aprilis 1728.

87

Cum Grat. et Privil. Sac. Caes. May. Ioh. Christoph Kolb excud. A.

No. LXXXVII.

LEONARDUS PORTIA FOROJULIENSIS.

Ex Ordine D. BENEDICTI Congregationis Cassinensis.

LEonardus Portia Ord. S. Benedicti Congregationis Cassinensis tit: S. Hieronymi S R. E. Presbyter Cardinalis, Episcopus Bergamensis, Assistens Congregationum S. Officij, Rituum, Episcoporum, Regularium, & Immunitatis &c. Foro-julij ex illustrissima apud Foro-julienses prosapia Portiarum ortus. Floruit summum hujus illustrissimæ familiæ decus elapso sæculo Joannes Ferdinandus S. R. I. Princeps, & supremus in aula Imperatoria Præfectus anno 1606. Patre natus Comite de Portia, ob insignia merita in Serenissimam Austriacam domum Cæsareo Capitaneo Comitatûs Görzensis, & Archi-Ducali in Hispaniam Legato, mox ubi per ætatem licuit, ad aulam Archi-Ducis Ferdinandi postmodum Imperatoris II. translatus, Archi-Duci Joanni Carolo majori natu filio in cubiculi Ephebum adsciscebatur. Quo præmaturè demortuo, cum minori natu filio Ferdinando, deinde Imperatore III. hujus nomine educabatur in litterarum studiis, & aulicis exercitiis adjunctus comes. In Italiam postea abijt altioribus Romæ scientiarum disciplinis imbuendus. Post aliquot annorum lapsum Viennam inde reversus à Ferdinando III. aulæ Camerarius, & Consiliarius celsi Regiminis Græcij in Styria constituebatur, & & non multo post Carniolæ Præfectus. Anno 1647. abijt cum altè fato Augustissimo Presburgum ad Comitia, indéque Viennam ablegatus Archi-Ducissæ Mariæ Annæ Cæsaris filiæ firmatam eam inter & Philippum IV. Regem Hispaniarum desponsationem denunciavit. Paulo post Venetias Legatus Cæsareus destinabatur. Anno 1655. ab eodem Ferdinando III. intimus Consiliarius actualis denominabatur, paulò ante locò Marquardi Comitis Fuggeri Archi-Duci Leopoldo postmodum Imperatori in primum aulæ Præfectum datus. Erat Archi-Duci adeò acceptus, ut 1558. Francofurti in Imperatorem electus, non attentis æmulorum obtrectationibus eum



D. Leander Porzia, Foroiuliensis, Ordinis Sancti Benedic-
ti Congregationis Cassinensis electus Episcop. Bergomensis
S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SS.mo D.N. BENEDI-
CTO PAPA XIII. in Consistorio secreto habito post Semi-
publicum die 30. Aprilis 1728.

87

Cum Grat. et Privil. Sac. Caes. May. — Ioh. Christoph Kolb excud. A.V.

No. LXXXVII.

LEONARDUS PORTIA FOROJULIENSIS.

Ex Ordine D. BENEDICTI Congregationis Cassinensis.

LEonardus Portia Ord. S. Benedicti Congregationis Cassinensis tit: S. Hieronymi S R. E. Presbyter Cardinalis, Episcopus Bergamensis, Assistens Congregationum S. Officij, Rituum, Episcoporum, Regularium, & Immunitatis &c. Foro-julij ex illustrissima apud Foro-julienses prosapia Portiarum ortus. Floruit summum hujus illustrissimæ familiæ decus elapso sæculo Joannes Ferdinandus S. R.I. Princeps, & supremus in aula Imperatoria Præfectus anno 1606. Patre natus Comite de Portia, ob insignia merita in Serenissimam Austriacam domum Cæsareo Capitaneo Comitatûs Görzensis, & Archi-Ducali in Hispaniam Legato, mox ubi per ætatem licuit, ad aulam Archi-Ducis Ferdinandi postmodum Imperatoris II. translatus, Archi Duci Joanni Carolo majori natu filio in cubiculi Ephebum adsciscebatur. Quo præmaturè demortuo, cum minori natu filio Ferdinando, deinde Imperatore III. hujus nomine educabatur in litterarum studiis, & aulicis exercitiis adjunctus comes. In Italiam postea abijt altioribus Romæ scientiarum disciplinis imbuendus. Post aliquot annorum lapsum Viennam inde reversus à Ferdinando III. aulæ Camerarius, & Consiliarius celsi Regiminis Græcij in Styria constituebatur, & & non multo post Carniolæ Præfectus. Anno 1647. abijt cum altè fato Augustissimo Presburgum ad Comitia, indéque Viennam ablegatus Archi-Ducissæ Mariæ Annæ Cæsaris filiæ firmatam eam inter & Philippum IV. Regem Hispaniarum desponsationem denunciavit. Paulo post Venetias Legatus Cæsareus destinabatur. Anno 1655. ab eodem Ferdinando III. intimus Consiliarius actualis denominabatur, paulò ante locò Marquardi Comitis Fuggeri Archi Duci Leopoldo postmodum Imperatori in primum aulæ Præfectum datus. Erat Archi-Duci adeò acceptus, ut 1558. Francofurti in Imperatorem electus, non attentis æmulorum obtrectationibus eum

ſupremum Aulæ Præfectum intimum actualem Conſiliarum, & primarium Miniſtrum denominârit. Philippus IV. in Equeſtrem aurei velleris cooptavit, quo dein inſigni ornamento transmiſſo, Imperator propriis manibus Pragæ eum condecoravit. Ad ſumma quæque pertractanda Regni negotia, & fœdera inter Imperatorem & Reges Poloniæ, & Daniæ contra Turcas ineunda, atque connubia inter altè dictum Imperatorem, & Margaritham Philippi Regis Hiſpaniarum filiam confirmanda, ejus in primis conſilio & prudentiâ utebatur Auguſtiſſimus. Anno 1664. cum eodem Auguſtiſſimo Ratisbonam ad Comitia profectus eſt, ubi, poſtquam anno 1662. jam S. R. I. Principis dignitate fuit inſignitus, qua talis, ſuffragia, & ſeſſionem inter S. R. I. Principes in Collegio Imperiali habenda admittebatur ad hanc 27. Aprilis anno 1664. ab Archiepiſcopo Salisburgenſi ſolenni ritu introductus. Adeò excelſa merita Illuſtriſſimam Portianam Domum in ſublime evexêre, ut jam ſui ſplendotis radios abſcondere non liceat, ſacrum Romanum Imperium non minùs, quàm exteras Regum, & Principum aulas, & nationes oblectantes. Tantæ Stirpis augmentum acceſſit, quando Fori-julium Leonardum noſtrum, quo de loquimur, progenuit, præſtantem ingeniô, judiciô maturum, & ad ſumma quæque rerum publicarum, ſed in primis Romanæ gerenda, unicè natum. Quare nativi ſui ſplendoris quaſi oblitus, eum ſub obſcura D. Benedicti in Monte Caſſino veſte in prima adoleſcentiæ aurora abſcondere, ſed gratis, adnitebatur. *Non enim poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.* Et difficilè admodùm Lucerna ardens ſub panno occulitur, ut non per rimas poróſque diffuſa conſpiciatur. Nobilem ſuum Leonardus animum nobiliorem reddidit omnium, præcipuè verò profundiſſimæ humilitatis virtutum ornamentis, quibus ancillas dedit ſublimiſſimas ſcientiarum facultates adeò profundè hauſtas, ut videretur per quandam metamorphoſin in eum immigrâſſe ſummus Theologorum phœnix Aquinaticus Angelus, cujus præ cæteris tutiſſimam doctrinam amplexus, in maximum Doctorem Theologiæ evaſit, itá ut omnium difficultatum nodis facili negotio ſolutis, commune oraculorum in Monte Caſſino inter ſuos haberetur promptuarium, conſiliorum Tripos, & ſcientiarum palatium. Cúmque ab ejus ore doctiſſimi quoque Viri dependerent, omnium in ſe oculos, animóſque convertit. Hinc & amorem & venerationem ſibi conciliavit non neminis, neſcij, an hac præ illo in tantum Virum utatur. Poſtquam omnia fermè ſuæ Religionis magìs conſpicua miniſteria inoffenſo pede celſa animi demiſſione, & morum amœnitate comiter obijſſet, ab Innocentio XIII. Abbas Romæ ad S. Paulum, ſimúlque Conſultor S. Officij, Examinator Epiſcoporum conſtituitur ob ſua eximia merita, ſummcm doctrinam, & inſignem pietatem. Ut quidem in omni vitæ decnrſu, dictis, & factis probatiſſimæ virtutis ſpecimina dedit, itá erat ardentiſſimæ Religionis in Deum, charitatis eximiæ in proximum, affabilis cum ſe inferioribus, humanus ad æquales, reverentialis adverſus ſuperiores. Tantis, ac tam magnificis exornatus muneribus, ſingularem erga omnes exhibuit obſequendi animum, juſtitiam ſinè exemplo, prudentiam ſinè imitatione, modeſtiam ſinè affectatione. Teſtantur de tanti Viri clariſſimo ingenio ſapientiæ apicem attigiſſe inſignia opera Theologica, quæ ſinè faſtu, publico typo donata in lucem edidit, in plurimorum commoda, non tam intellectûs aciem accuendi favore, quam voluntatis teporem in Deum accendendi amore. Somni parciſſimus, diebûs deſponſatis noctibus, laborum dotes in Orthodoxæ Reipublicæ ornameuta impendit; Deum impensè colens, eo auſpice gèaviſſima quæque, ſuæ prudentiæ commiſſa negotia dexterrimè confecit. Maluit quidem latere ſemper ſub ſacro regularis diſciplinæ ſilentiô in Monte Caſſinenſi, ubi exuta propria Perſona ſe totum ſub ſuavi obedientiæ jugo, ſuáque devovit Sanctiſſimo Archimandritæ, Patrúmque Patri Benedicto, quam in aulis Principum foveri, atque mundanæ dignitatis fulgore eminere. Verùm totius Catholicæ Eccleſiæ ſummus Monarcha BENEDICTUS XIII. ſapientiſſimorum Virorum amator, ac eximiarum virtutum fautor, voluit Leonardum Por-

Portia de Eccleſia Romana optimè meritum ad ſtatum perfectionis evehere. Hinc Urbi Bergamenſi in Epiſcopum datum, ipſum ſua manu in Eccleſia P. P. Benedictinorum S. Ambroſij in honorem ſupremi Numinis dicata, conſecrare ſibi complacuit, & 30. Aprilis 1728. ſacro Purpuratorum Collegio Cardinalem creare Quanta Vir iſte planè aureus omníque exceptione major apud ſuam Sanctitatem in æſtimatione & amoribus fuerit, luculenter colligitur ex regali dono, quo ſanctiſſimus Pater Neo-purpuratum Eccleſiæ Principem honorabat; nimirum, magnam illam, ac pretioſiſſimam ex ſolido, puriſiſſimoque auro conflatam crucifixi ſtatuam, quam Reverendiſſimus, ac Sereniſſimus S. R. I. Elector Colonienſis ſanctiſſimo Patri in teſſeram grati animi propter ſummam laborum dignationem, qua eum in Eccleſia F. F. Prædicatorum Viterbij (certè rara admodùm ſummi Pontificis ex Urbe alìorſum motione) in Archiepiſcopum conſecravit, affectu plusquam paterno ipſi donavit. Menſis ſequentis die 15. Maij Neo-purpuratus Dynaſta Epiſcopali jam inſignitus charactere, in ſacra æde Sanctimonialium Ord. S. Benedicti ad S. Ambroſium, ſuum in Abbatiali dignitate ſucceſſorem ad S. Paulum in Abbatem inauguravit. En! ſecundum à Sua Sanctitate BENEDICTO XIII. ad Cardinalitiam dignitatem ex Monte Caſſino auſpicaciſſimè evectum. Sed non eſt mirum; eſt enim Ordo D. Benedicti in orbe Orthodoxo præſtantiſſimus, ſeminarium totius perfectionis, qui Eccleſiæ Catholicæ plus quam triginta quinque ſummos Pontifices ut nihil dicam de maximo numero Cardinalium, & his inferiorum graduum, & dignitatum, enutrivit. Numera ſtellas, ſi potes, & hîs ſplendidiora ex præfato Ordine ad triumphantis, & militantis Eccleſiæ gloriæ augmentum, orbem univerſum doctrinæ, & Sanctimoniæ radijs illuſtrantia. Fatiſcet ſummorum eloquentia Oratorum, in laudando præclara tantorum Virorum geſta, peritiſſimorum Scriptorum calami hebetabuntur copia meritorum nnnquam ulla ſæculorum ſucceſſione emetiendorum, feliciſſimæ æternitatis diphteram volunt, cum fauſtiſſima in margine nota; Leonardus Portia, dignus eſt Vaticani culmine.

Imprimatur H. S.

Augustæ 27. Decembris 1728.

Franciscus Josephus de Handl, SS. Theolog. Licent. Reverssimi & Serssimi Princip. & Epis. August. Consil. Ecclesiast. Major Pœnitentiarius, & Librorum Censor, nec non insignis Ecclesiæ ad S. Mauritium Canonicus, & Parochus.

CONTINUATIO II.
ROMÆ SANCTÆ

AUCTORE

F. AUGUSTINO FABRI
EX ORDINE PRÆDICATORUM.

Icones cælante

JOANNE CHRISTOPHORO KOLB,
Calcographo Augustano,


Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæsareæ. Majestatis,
Et Superiorum Permissu.

AUGUSTÆ VIND. ANNO M.D.CC.XXX.

Imprimatur H. S.

Auguſtæ 20. *October*. 1730

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Theolog. Licent. Rever$^{\text{diſſimi}}$ & Ser$^{\text{eniſſimi}}$ Princip. & Epiſ. Auguſt. Conſil. Eccleſiaſt. Major Pœnitentiarius, & Librorum Cenſor, nec non inſignis Eccleſiæ ad S. Mauritium Canonicus, & Parochus.





Petrus Aloysius Carafa Neapolitanus, Archiepiscopus Larissæ, Sac. Cong. Episcoporum, et Regularium Secretarius S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SS.mo D. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 20. Septembris. 1728.

Cum Grat: et Priv: Sac. Cæs. Maj: Iohan. Christoph. Kolb. exc. A. V.

No. LXXXVIII.

PETRUS ALOYSIUS CARAFFA NEAPOLITANVS.

PEtrus Aloysius Caraffa, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Pane & Perna Archiepiscopus Larissæ, natus est Neapoli anno 1677. 4. Julii pretiosissimus iste in maximas spes fructus de stirpe & antiquitatis decore, & nobilitatis splendore nulli Neapolitanorum facilè secundus oriundus. Circumspicientium Hesperides hujus florentissimæ prosapiæ oculis non occurrent, nisi ornamenta triregni summæ Pontificiæ dignitatis, Cardinalitiæ splendentis Purpuræ nitores, Mitrarum pedorúmque decora, Dynastiarum moderamina, virtutum heroicarum incrementa, Belli ducum palmas, Sophiæ Theosophiæque principes, generositatem spirantes, ac magnanimitate animatas statuas, vivos denique doctæ, togatæque Minervæ, & Astrææ asseclas. Illustrissimæ hujus familiæ nonnulli ducunt originem á regio sanguine cujusdam Regis Poloniæ, alii à quodam Nobili Neapolitano Equite, inclytæ domus Carracciolorum maximo ornamento, qui circa annum millesimum Germani Imperii Cæsari Othoni egregiam in bello navavit operam, & pectoris sui robur hostium telis, ne Imperatorem impeterent, objiciens, mortem vulneribus decoravit, illæso servato Othone, qui reperto, visóque sub cumulo occisorum exsangui sui conservatoris corpore, equo descendit, tactóque tribus suis regiis digitis recenti adhuc ex plagis stillanti cruore, in hæc verba suspirans prorupit. O cara fè! hoc est: o chara, ac pretiosa fides! quibus sub verbis suos detergens digitos, tres in thorace emortui signavit lineas, inde illustrissima hæc familia occasionem est nacta & nomenclaturam Caraffa, & gentilitiæ suæ parmæ insignia gestandi, expressa tribus albis trabibus Austriacis Insignibus haud absimilibus. Quo ex tempore hæc illustrissima familia rapidi Paradisi fluminis instar effusa, totum regnum Neapolitanum exterásque terras, dum sua nobilitate complectitur, cœlesti quadam voluptate oblectat, súisque virtutum oblectamentis non patrium dumtaxat solum recreat, Ecclesiam orthodoxæ Reipublicæ adornat, summam Pontificiæ dignitatis sedem decorat, sed & Imperatorum Regúmque aulas in admirationem rapit. In admirationem rapuit potentissimum Hispaniarum Regem Philippum secundum, editis non paucis in Belgia sub Duce Parmensi in hostium turmas stragibus, ac dirutis munitissimis civitatibus, Castrísque Hieronymus Caraffa supremus altefati Regis copiarum Locum-tenens, magnanima certè Martis soboles, ac Principum in aulis deliciæ. Unde & Archi-Duci Alberto acceptissimus fuit ob armorum præstita in-

insignia Austriacæ Domui obsequia relictis ubiq; per Boëmiam, Mediolanum, Ungariam, Alsatiam, & Romanum Imperium generosi sui Spiritus gloriosis vestigiis, quibus permotus Imperator Ferdinandus secundus eum Sacri Romani Imperii Principis dignitate auxit. Sileo innumeros alios Heroes in hodiernum usque diem invicto animo Deo, Cæsarique obsequentes, quorum meritis ut mundus angustior est, ita præclara eorum gesta integra non capiunt volumina. In admirationem rapuit Imperatoriam Viennæ in Austria aulam 1665: Antonius Caraffa, armorum experientia nulli Heroum secundus, qui capto Augustissimi Imperatoris Leopoldi felicissimæ memoriæ animo ad summas armatæ Palladis dignitates evectus est: enituit in eo excellentissima quædam in rebus maximi momenti perficiendis prudentia. Hinc Turcica Luna Viennam 1683. arcto armorum circulo obsidente, Antonius Caraffa ad Regem Poloniæ ablegatur pro ferendo militari auxilio solicitaturus, quo felicissimè impetrato, Vienna ab obsidione soluta est. Arma deinde secutus Cæsarea, quæ Turcam victorioso ubique per Regnum Ungariæ strepitu conteritum persequebantur, omnibus fermè Ungaricarum urbium expugnationibus interfuit balteo suo inimicorum in sanguine tincto; factus exinde summus vigilum Præfectus totus in eo fuit, ut tumultuantem Transilvaniam victricis Aquilæ alis subderet. Anno 1687. potitus est Agriâ, & anno subsequenti Mungatiô, aucta in dies ipsius merita fidémque remuneratus est Imperator honorificentissimo supremi Commissarii munere Cæsarei exercitus, experta ultimò est expugnata Alba Græca hujus Archistrategi bellicosam virtutem, qua comite Viennam rediens aurei velleris decore ab Imperatore exornatus fuit, quo favore Antonius summopere delectatus, uti in Ungaria superba Turcicæ Lunæ cornua fregit, ita Gallo tum in Germania, tum in Italia victoriæ vocem virtutisque nervos elisit, dignúsque habitus, ut, qui Augustissimæ Aquilæ inimicos hinc atque inde propulsarat, in supremum honoris gradum actualis intimi Cæsarei Consiliarii sublimaretur, quo in munere singularis ejus prudentia Cameram Imperialem miris suavibúsque modis novit thesauris augere, ipse verò exhaustis vitæ annis ut orbem suo valore, ita tumbam immortalitate nullo quidem suæ virtutis hærede relicto, implevit 1693. Viennæ demortuus, sequacibus autem de sua familia, heroicorum facinorum quàm plurimis Archistrategis, Proregibus, & Gubernatoribus, qui commissas sibi provincias regendi magnificam Parthenopem ita administrarunt, ut optimis floreret artibus, concives gauderent in ea legum suavitatibus. Quæ lingua calamúsve satìs unquam encomiis celebrabit & vitæ sanctimoniam, & indefessam solertiam Alexandri Caraffæ Archiepiscopi Neapolitani, qui prædecessorum suorum Ordinationes Synodales ritúsq; suæ Ecclesiæ congestos publicæ luci reddidit, quos Albertus de Oliva doctissimis illustravit Commentariis, opus triginta annorum? Cujus eloquentiam non defatigabit Antonii Caraffæ Cardinalis sapientia, & altitudo ingenii, quo sacræ textus difficiliores paginæ intellectu faciliores reddidit & Concilii Tridentini dogmatum oracula declaravit, præses hujus singulari Pii V. instituto erectæ Congregationis? in flore namque juventutis sacræ Themidis candidatus atque profanæ, in utroque jure simul unáque in historiis Ecclesiasticis adeò profecit, ut, si illa perire, istas memoriâ hominum elabi contingeret, in ipso solo legum apices, & veterum monumenta reperire fuisset. Hinc vivum animatúmque librorum quasi receptaculum à Gregorio XIII. Pontificiæ Bibliothecæ præficiebatur. Quo in officio constitutus varia opera transtulit ex Græco in idioma Latinum, nominatim *catenam veterum Patrum in Cantica*, *veteris & novi testamenti Commentarios*, *Theodoreti in Psalmos*, *D. Gregorii Nazianzeni Orationes* & plura alia. Perlustravit insuper Biblia 70. Interpretum & à mendis correcta, ipse suis notis decoravit, collegit Decretales Pontificias in tria volumina, & D. Hieronymi epistolas in locos communes distribuit, relictis post se aliis adhuc ingenii sui monumentis, quæ doctissimis viris in admirationem raptis etiamnum in summè arduis dubiis deserviunt.

Usi-

Usitatum quippe Regno Neapolitano est imanes in lucem edere ingeniorum Delphinos Christiano orbi beneficos, conceptui virtutum idoneos: nam excepta Roma, & Florentia nulla urbs plures parturivit Vaticano summos Pontifices, quorum sex numerantur, atque Neapolis, nimirum Bonifacium V. Sanctorum fastis adscriptum, Urbanum VI. Bonifacium IX. Joannem XXII. Paulum IV. & Innocentium XII. non numeratis illis, quos Campania deliciarum hortus protulit, & Urbs Beneventana produxit, vide fol. 35. sacrorum verò Purpuratorum Principum penè non est numerus, sola namq; illustrissima Domus Caraffiana cum moderno Eminentissimo, progenuit undecim purpurâ dignissimos Cardinales, totidémque Archiepiscopos, qui doctrina enituerunt eximia, Ecclesiæ orthodoxæ Rempublicam sanctissimis illustrarunt monumentis, populos ad omne pietatis exercitium erexerunt, vitia extirparunt, abusus eliminarunt, &, quidquid ad virtutis meritum perducit, ipsi suo exemplo præiverunt: quos inter veluti coruscantia sydera resplenduit ut sol summus Pontifex Paulus IV. & ipse de stemmate Caraffiano, vir integerrimæ vitæ, doctrinâ celebris, sacrarum linguarum peritus, recti justíque tenax, vero Apostolico inflammatus zelo, depravatos Cleri mores Regulariúmq; reformavit, non respiciens ad carnem & sanguinem, sed justitiæ trutinam, etiam arctissimo sanguine sibi conjunctos, delinquentes autem, suáque Clementia abutentes, exutos priùs omni honore, ac dignitate in exilium ablegavit: sanctissimis haud impar Pontificibus antecessoribus in sanciendis saluberrimis institutis, morúmq; erectione in ædificationem & ornamentum totius Christiani orbis.

Primus ex hac illustrissima familia Cardinalitiam Purpuram illustriorem reddidit Philippus Caraffa, vir pietate eximius, ac litterarum doctrina in omni genere celeberrimus, is, postquam præstantes animi sui dotes universæ Romæ conspicuas fecit, Archi-Diaconatus dignitate in Ecclesia Bononiensi decoratus, mox ibidem totius Civitatis votis summo annuente Pontifice in Episcopalem sedem sublimatus fuit, nec longo temporis intervallo ab Urbano VI. ut Bononiensium animos sibi reconciliaret, Presbyter Cardinalis titulo S: Martini in Montibus creatus est, misso Bononiam purpureo Galero; quem Joannes Lignanus jurisconsultorum suæ ætatis facilè princeps, summaq; in illa Urbe pollens auctoritate in sacra æde Divi Dominici solemni ritu dignissimo ejus capiti imposuit. Dum anno 1383. 12. Kalendas Martii Fratres Prædicatores in præsentia Philippi Cardinalis, ac Bononiensis Magistratus sanctissimi Patriarchæ D. Dominici caput ex arca extraxerunt, & argenteo loculo pro commodiori Ecclesiæ & devoti populi usu, pietatis erga sanctum exercendæ causâ condiderunt, mirè coruscans stella supra Ecclesiam in omnium oculis apparuit, quæ, ut animos civium ad singularem Religionem erga Sanctum Confessorem accendit, ita Purpurati Ecclesiæ Romanæ Principis Philippi cor inflamavit, ut sacrum pignus in comitatu Procerum Bononiensium, totiúsque Civitatis solemni Religionis pompa per plateas prosecutus sit. Tandem verò 1389. cùm Civitas Bononiensis pestilentiæ aura afflata magnam suorum civium stragem passa esset, etiam Philippi sui fidelissimi Pastoris, qui pro sua in cives charitate undique accurrens, solatia pietatis & æternæ salutis medicamina morituris instillârat, lue correpti jacturam cum summo omnium mœrore subiit.

Fatiscit planè calamus, & feliciter tantorum virorum in purpura perditus, encomia suspendit meritorum, virtutúmq; nunquam satis laudandorum Cardinalium Marii, Olivierii, Caroli, Joannis Petri, Diomedis, Fortunati, Petri Ludovici ortorum in Cœlo Cariffiano splendidissimorum syderum. Vincentium tamen Caraffam silentiô præterire nequeo, qui, quò honoratior, tantò honoris sui contemptor, titulo alio & nominis sui splendore non delectabatur magis, quàm genuini servi JEsu. Hinc ut expeditior esset in tanti sequela Domini, victô Vincentius mundô institutum amplexus

eſt Societatis JEſu anno 1604. Neapoli in ſuo nativo ſolo fuſis ex cathedris divinæ Sapientiæ oraculis, & è ſacris ſuggeſtis admirabili dicendi vi ad omnem pietatis, ac Religionis normam audientium erectis animis Collegio ibidem gubernando præficiebatur, deinde præpoſitus Domûs profeſſæ, tandem verò totius ſui Clericalis Ordinis unanimi calculo in Generalem aſſumtus eſt, quo in munere non ſolùm totus impenſus erat ſacri ſui imprimis Ordinis conſervando illibatæ vitæ decori, ac Miſſionibus dilatandæ Orthodoxæ fidei, ſed & beneficentiæ in pauperes adeò applicatus erat, ut anno 1649. graſſante Romæ fame ad mille hominum ante Collegii fores, quò meliùs potuit, exſaturaverit panibus, nihil interim dempto tempori ab aſſidua doctiſſimorum librorum conſcriptione, quibus ſub nomine Aloyſii Siderii ſe orbi conſpicuum reddidit.

Felix itaque, terq; quatérque beata Caraffiana inclyta proſapia, quæ tales ac tantos progenuit viros, quibus & politicum & Eccleſiaſticum cœlum fulciebatur, & hodiedum novo ipſum decorato purpurâ fulcro, immobilis columnæ inſtar fulcit Eminentiſſimus ac illuſtriſſimus Petrus Ludovicus Caraffa Sacræ Rom. Eccleſiæ Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Pane & Perna. Is teneris ab annis ſuæ adoleſcentiæ Romam miſſus ingenii ſui ſubtilitate, ac perſpicacia nobilis ſui genii admiranda, ſcientiarum apices transcendit, Pontificiorum Decretorum præſertim, Legúmque civilium abſtruſa brevi adeò tempore penetravit, ut prompta lingua, & calamo prompto, utriusque Aſtreæ mentem interpretari noverit. Mira ſemper pietas, morúmque gravitas, ac fervens Religionis zelus in eo reluxit adjuncta facundiæ comitate, qua, quam in cumque partem vellet, pronas omnium voluntates Orator magnificus pertraxit. Quare in Clericum de Camera Apoſtolica aſſumptus, & polemicæ Theologiæ armis optimè inſtructus à Secretis in propagandæ fidei congregationi adhibitus eſt, Archiepiſcopali dignitate Lariſſenſis Eccleſiæ fulgens, & aliis in ſummam Eccleſiæ Romanæ utilitatem honorificis officiis excellenti quadam prudentiæ prærogativa functus, S. Officii Conſultoris, & Epiſcoporum, ac Regularium Congregationis Secretarii munere auctus, tantem verò à ſanctiſſimo Pontifice Benedicto XIII. Petrus Aloyſius Caraffa optimè de Sacra Romana Eccleſia meritus ad Cardinalitiam dignitatem evectus eſt die 20. Septembris 1728. O quem decorem Purpura accipit ab eo, cujus illuſtriſſima familia originem trahit ex purpureo pro fide Cæſaris & orthodoxæ Eccleſiæ fuſo ſanguine! vive Petre, & in carne Angelice Aloyſi, fulci fidem, quam nomine, req; firmiter tenes, immobilibus in gentilitia Caraffianæ familiæ parma expreſſis trabibus, Chriſtus ipſe orat pro te, ut nunquam deficiat fides tua.

No.



Iaseph Archiepiscopus Accorambonus Episcopus Imolensis, Spole=tinus, SSmi. Dni. Nri. BENEDICTI PAPÆ XIII. *Auditor, S. R.E. Presbyter Cardinalis creatus ab eodem SS.mo D.no N.ro in Consistorio secreto die 20. Septembris 1728.*

Cum Grat: et Priv. Sac. Cæs. Maj.
G.D. sc:

Ioh. Christoph Kolb. excud. A.V.

No. LXXXIX.

JOSEPHUS ACCORAMBONI SPOLETANUS.

Josephus Accoramboni S. R. E. Presbyter Cardinalis tit. S. Mariæ Transpontinæ natus est die 24. Septembris anno Domini 1672. in loco, qui cognominatur Loci delle preci, sito in Diœcesi Spoletana: haud dubium, quin pientissimi parentes fusis ad Deum precibus tantum nacti sint filium, qui in loco precum in lucem editus mentem semper gereret in Cœlum erectam. In primo ætatis flore, fructus maturæ perfectionis protulit, & adolescens virum se in virtutibus exhibuit. Otium ut colubrum fugiebat, vel si mavis, veluti alter Marsus colubras venerosæ voluptatis lubricæ juventuti insidiantes assiduæ orationis cantu disrupit, omnes vires ad pietatis, & integerrimæ vitæ studium extendens, qua via magnanimus noster Spoletanus forti armato animæ spoliis inhianti ex omni latere aditum deprædandi occluderet. Ut autem in virtutis palestra castissimus noster Josephus nihil neglexit, quod animæ poterat delectabili esse ornamento, ita in stadio humanarum divinarúmque scientiarum acquirendarum cucurrit, ut brevì in altissimam Sophiæ, Teosophiæque abyssum penetrans, Vasto suo ingenio obstrusissima earum obsorberet arcana: sed non adeò nobilibus contentus intellectus ornamentis, quibus proximus adjuvatur in ordine salutis æternæ consequendæ, nisus est summos apices utriusque juris conscendere, ut plurimorum commoda, & necessitates procuraret in foro externo. Divus igitur iste Polycletus duos in se erexit scientiarum statuas, alteram pro foro ad populi genium, alteram domi ad regulas artis propiæ virtuosæ vitæ, & honestæ conversationis. Impensus itaque forensibus rebus, Curiam Romanam suæ frequentiâ personæ oblectabat, oracula namque, sacræ profanæque Themidis alumnus, æquitatis profundebat, cœcus non xeniis, stateras deprimens, sed juris pondere inclinans trutinam, & unicuique, quod suum erat, tribuens. Perstrinxit Sanctissimi Pontificis Innocentii XIII. mentis oculos oculatus iste cœcus, Astreæ alumnus admirandâ suâ in rebus expediendis forensibus prudentiâ, suavi pariter ac comi suo ingeniô, visoque, quòd Josephus, cùm esset vir justus, in cunctis prosperè ageret, summâque Reipublicæ Christianæ tractandi negotia capacissimus probaretur, Auditorem S. Rom. Rotæ, ac Congregationum Rituum, & S. Officii Consultorem, atque Episcoporum Examinarorem constituit, nec non Archiepiscopum in partibus Philippensium declaratum, Episcopum Imolensem inauguravit. Audiamus vivæ vocis Beatissimi Pontificis Benedicti XIII. fel. mem. oracula, quæ in Consistorio secreto, feria secunda 20: Septembris 1728. protulit: Duo hodie, Venerabiles Fratres, quæ adhuc in vestro collegio vacant, loca reple-

re, ac vestrum proinde numerum perficere intendimus. Parum autem, imò nihil esse perpendimus, Collegii numero perfectionem adiicere, si perfectionem illam, quæ in suprema quiete est, non assequamur. Præclara quippe Angelici Præceptoris nostri D. Thomæ Aquinatis doctrina nos instruit, *ultimam hominis perfectionem in intellectûs; & voluntatis quietione consistere*. Inquietum autem semper fore cor nostrum, donec ad DEum vadat, confessus est jam pridem aliud Ecclesiæ lumen præclarissimum Divus Augustinus. Innumeris idcirco nos imperfectionibus circumdati, assistricem simul, ac auxiliatricem à Deo, cujus perfecta sunt opera, sapientiam in hoc, quod pro majori ejusdem Dei gloria, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ honore peracturi sumus, humiliter exposcimus, dum ad duorum Cardinalium creationem devenire velle denunciamus, videlicet, Venerabilis Fratris Petri Aloysii &c. & venerabilis Fratris Josephi Archiepiscopi, Episcopi Imolentis, Auditoris nostri, ac Congregationum Rituum, & S. Officii Consultoris, atque Episcoporum Examinatoris, cujus doctrinam, intetrigatem, & fidem in suis, summo labore ac studio, tum in Pontificatu Prædecessoris nostri felic. Record. Innocentii XIII. tum nostro, ministeriis exercitis, jam nemo Vestrum ignorat.

Ad tanta ipsius summi Ecclesiæ Monarchæ præconia, & interrogato Sacro Purpuratorum Patrum Collegio, quid vobis videtur? quis sibi imaginetur, vel ad momentum suspensam esse, unanimem vocem *placet*? imò interrogatio & responsio cohærebant, in quem omnium propensiones jam dudum inclinabant. Creato igitur in Cardinalem Josepho Accoramboni, gradulabatur unavoce, corde, & ore sacrum Collegium, sibique de collata tanto viro dignitate, quam non sorte, aut emendicato favore, sed meritis cumulatis, & maximis pro Ecclesia Romana exantlatis laboribus acquisivit. Utinam sicut Urbs Romana per omnem, qua licet ætatem, gratulabundis votis de aucto ex Purpura tanti Prælati splendore in ore pupillorum & viduarum, quorum communis Pater Josephus Accoramboni audiebat, exultabat, Spoletana Diœcesis gestientibus animis, & eucharisticis in cœlum sublatis manibus pro duplicato in suis eximiis popularibus, nuper Carolo Colligola, modò Josepho Accoramboni Purpuræ honore, tota in jubilos liquefacta sua vota festis ignibus contestabatur, Civitas Imolensis ob suum ad Cardinalitiam dignitatem evectum Antistitem tota in ara jubilantis cordis immolabatur, ita & Philippenses detestata turpis Mahometis secta, ac infidelitate ad cor redeuntes flexo poplite, suum jam purpuratum Archiepiscopum excepissent. Sed non desperandum: erubescet tandem Luna, & fractis suæ impietatis cornibus, eju ratòque Impostore Mahomete, inclinatis cervicibus ad Joseph ibunt, recepti in gremium solius salvificæ Ecclesiæ orthodoxæ Romanæ, & si superis placet, Josephi signatos cruce pedes humiliter exosculabuntur. Est autem Philippopolis Urbs in præalta rupe sita, & Archiepiscopali sede olim decorata, in Thracica Provinciæ, quæ hodie Romania vocatur, sub Turcico jugo gemens, ad præterfluentem amnem Mariza nomine, ubi Ariana hæresis anno 347. magna congluvie, in odium Romanæ Ecclesiæ Prælatorum Sardiceæ côngregatorum, & saluberrimas ibidem ordinationes statuentium, confluxit, novo conflato fidei Symbolo, Semi-Aariana hæresi fœtente, & ne (hæreticorum more) subtus latens odoraretur fraus, sed ipsorum editi in publicum articuli tanquam catholici haberentur, suo conciliabulo subdolè nomen Sardicensis Concilii affricabant, cum non exigua inde subsecuta fidelium pernicie, falsum pro vero apprehendentium. Ite igitur Philippenses, ite confracta cordis rupe, ad Joseph, in solida Petri petra purpureo in throno considentem, & paratum apertis brachiis, qui nunc à Christi conversatione & via DEi alienati estis, sacro bapismi latice ablutos, tanquam fratres amplecti.

No.



Camillus Cybo ex Principibus Massæ, et Carrariæ Patriarcha Constantinopolitanus Sacri Palatij Apostolici Præfectus S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à S. S^mo. D.N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 23. Martij 1729.

Ioh: Christoph Kolb excud.

Cum Grat. et Priv: Sac. Cæs. May.

G D sc:

No. XC.

CAMILLUS CYBUS MASSARA-NENSIS DE CARRARA ITALUS.

CAmillus Cybo da Massa di Carrera Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tit. Sancti Stephani in Monte Cœlio Assistens Congregationum, Episcoporum & Regularium, Concilii, Rituum, Consultationis boni Regiminis ac de fide propagandæ, in præfata sui nominis, ac Dominii Arce natus est die 25. Aprilis anno reparatæ salutis 1681. ex illustrissima Cyborum familia, quæ nobilissimas inter stirpes Italicæ Sperhæ ut splendididissimum sydus emicat, & tanquam stella Lucifer interdiu, noctu Hesperus ita circumit ad Hemisphærium Genuese, ac movetur, ut omnium virtutum horas indicare diceres. Qui originem Cyborum prosapiæ inquirit, abyssos sæculorum ingrediatur, necesse est, sed non nisi thesauros sapientiæ, aurifodinas excelsi meriti, venas argenteas illibati candoris, Heroum scuta, galeas Archistrategorum, thoraces invictæ virtutis, Triregna summæ dignitatis, purpuras sublimissimi honoris, peda Pastoralis eminentiæ, Principes, Dynastas, Imperatorum, Regum decora, aularúmque delicias reperiet. Nonnulli hoc stemma initium trahere autumant à Joanne Faga, famosissimo sub Belisario Belli duce: faga enim in idiomate Latino idem explicat, quod cibus: alii hujus familiæ originem afferunt ex Cibon felicis Arabiæ civitate: quidquid de hoc sit, palàm tamen est, quòd hæc illustrissima domus jam inde à decimo sæculo, ad nostra usque tempora in immarscibili flore perstiterit & propagativi fructus honore. Anno 999. Otto I. Imperator Guidoni Cybo donavit aliquas in Italia Dynastias in remunerationem fidelissimorum in bello præstitorum obsequiorum: avitæ bellicosæ virtutis, animíque imperterriti hæredem reliquit nepotem Lambertum, sanguinis sui pro Christo prodigum, Turcarum terrorem, qui utramque Insulam Gorgonam, & Capraiam ipsorum jugô liberavit. Lanfranchius Cybo consulis munus diu sustinuit Genuæ, & hanc rempublicam optimis institutis decoravit. Inter alios filios egregiæ indolis natus est ipsi Gulielmus, Classium Caroli Regis Neapolitani Præfectus, qui in multis legationibus

 trans-

transfusas in se Regum Principúmque personas circumtulit, & maximè arduis Regnorum negotiis felicissimum ad finem perductis, ab ipso Divo Ludovico Gallorum Rege Equitis dignitate decoratus fuit. Anno 1440. per omnium ora volabat fama deprædicans ubique terrarum insignem prudentiam, ínque armis summam experientiam Arani Cybo, Reipublicæ Genuensis peculiaris ornamenti, qui Regi Renato missis in auxilium militibus, in Gubernatorem Civitati Neapolitanæ datus est, & ibidem captus a Rege Aragonensi Alphonso, cui acceptissimus erat, iidem muneri restitutus fuit. Calixtus III. allectus ipsius gubernandi arte, Urbis Romanæ Præfectum instituit. Parens reverà felicissimæ prolis, à qua prognata sunt insignia Ecclesiæ orthodoxæ lumina, Laurentius Cybo, postmodum Cardinalis, & Joannes Baptista, qui anno 1484. in summum Pontificem sub nomine Innocentii VIII. evectus est. Si unquam mundus hospitavit justitiæ amatorem, Innocentium profectò habuit: Non respexit celsissimæ hic dignitatis in orbe vir neq; carnem aut sanguinem, non præeminentiam nobilitatis, aut muneris prærogativam, justitæ autem pro rata delicti exigentiam. Quo salutari remedio Innocentius usus, non Romam duntaxat, sed et totam Italiam paucorum elapsu annorum à pristinis passim ubique grassantibus purgavit deprædationibus. Damno id suo experti sunt duo nobiles Romani Petrus, & Hieronymus de Bubalis, iniquitatum jumenta, & commune refugii stabulum tumultuantium Romanorum, sed non regente Innocentio. Nam in Petrum consecratus, par nobile fratrum una die captum brevi fortnato judicio victimam dedit carnificis gladio, non obstante, quòd parens illorum Franciscus de Bubalis plurimùm apud Innocentium valeret. Duo alii didicêre justitiam, & non temnere Divos, Dominicus Viterbiensis, & Franciscus Maldensis, ut nobilitate, ita & nequitia haud impares Apostolicarum falsificatores litterarum, in publico foro Romano in patibulum acti, cadaveribus deinde eorum igne combustis, non attentis supplicibus tribunali tunc assidentium precibus, gravissimorúmque virorum. Justitiæ meritis Innocentii adscribenda sunt illa duo pretiosissima munera, quæ Turcarum Imperator Bajazetus II. donô remunerativo ipsi transmissit, titulus scilicet S. Crucis, qui tot spatiis annorum emensis ob hostium pericula intra murum Ecclesiæ S. Crucis nuncupatæ, Jerosolymis absconsus erat, unà cùm ferrea, atque crudeli Lancea, quæ Domini Salvatoris nostri latus aperuit, quatenus fratrem suum Sultanum Zizimum bello captum dein Romam adductum, mitiùs haberet. An non Laurentius Cybo Comes de Ferentillo Bononiam magnanimè defendit, & Pontificiorum satellitum posthac Præfectus, factus tempore, tam iniquè quàm crudeliter ab hæreticis militibus in castello Angeli carceraliter inclusi Clementis VIII. potitus est Civitate Monza in favorem Ducis Mediolanensis Francisci Sfortiæ II. qui anno 1520. cum Richarda Malaspina Alberici Marchionis de Massa, & Carrera unica filia desponsatus, Marchionis de Massa & Domini de Carrera titulum adèptus est, cujus filius Albericus I. 1568. ab Imperatore Maximiliano II. in S. R. Imperii, & Massæ Principem evectus est. Floram florentis suæ virtutis Marti desponsavit, generoso dotatam animo, ac primis annis fœcundam sobole militaris officii, quando sub Guidebaldo de Urbino Pontificii exercitus Duce in primum Locum tenentem suffectus est, sicque successivè auctis meritis, honorúmque gradibus ascensis, Imperii Princeps audiit: demórtuus est anno 1623. ætatis suæ 96. postquam 14. Pàpas, 6. Imperatores, totidémque Gallorum, & tres Hispaniarum Reges vitæ annis superavit. Duos procreavit filios Alteranum, & Ferdinandum, patre suo priùs defunctos, relicto ex primo Carolo hærede, qui sequentium fuit parens filiorum. Alderani Cardinalis Presbyteri, & Episcopi Ecclesiarum Ostiensis, & Veletrensis sacrique Collegii Decani, ab Innocentio X. purpura candecorati: qui diversis temporibus Apostolicum Legatum egit Ravennæ, Ferrariæ, & Urbini, qui banno interdictorum audaciam sua compescuit potestate, Innocentius XI. postea, quocum unâ simul Cardinalis creatus est, eum primum Pontifi-

tificiæ aulæ Ministrum constituit, gratulante sibi tota Roma de tanti viri præstantia. Francisci Odoardi, qui in Helvetia Nuntii Apostolici munus summa cum laude obiit, deinde Patriarchali Constantinopolitana dignitate auctus. Dominici, qui contempto sæculo monachum indutus Abbatialem vestivit honorem, & Alberici II. qui fuit Caroli primogenitus, cujus præclara pro S. R. I. incremento gesta Augustissimus Imperator anno 1664. in comitiis remuneraturus, S. R. I. Ducem de Massa, & Principem de Carrara ipsum declaravit. In Successorem suorum Statuum reliquit Carolum II. qui ex Theresia Pamphilia Camilli Principis ad S. Martinum filia, multa prole dotatus, quas inter Eminentissimus noster Cardinalis Camillus S. R. Ecclesiæ sacratæ Purpuræ ornamentum, & Princeps, nec non avitæ nobilitatis Cybonum gemma inæstimabilis, qui florem juventutis in arrham pietatis datum, maritavit cum docta Pallade. Erat acri ornatus ingenio, intellectu perspicaci, ac subtili, sublimissimas scientias vix degustatas in suam mutavit substantiam, ut ipse quasi in scientiarum transfusus naturam, totus scientia esse videretur: æmulus sacræ profanæq; Themedis, pro thorace induit justitiam, ut sui maximus victor, non Ecclesiæ Romanæ duntaxat, sed & pauperum pupillorum, viduarúmque causas accerrimè vindicaret, quare & Natio Cameriensis suæ se cum propria Ecclesiâ protectioni commissam voluit. Ob adeò præstantes animi dotes, promotus est ad Patriarchatum Constantinopolitanum, & Sacri Palatii Apostolici Præfecturam, quæ honorificentissima munia summa solertia, ac studio pietatis obiens, Odoardi superiùs nominati secutus est virtutum vestigia, suæq; Prosopiæ ornamentum, qui Nuntii Apostolici munere in Helvetia functus Patriarcha Constantinopolitanus creatus est. Sed & Eminentissimi Cardinalis Alderani Cybo, qui sub Innocentio X. S. Palatii Apostolici Præfecti officium cum summa laude sustinuit, virtutes eximias imitatus est, ac Innocentii Cybo, qui Messinæ, Turini, Genuæ, Infulis decoratus, anno 1513. de manibus Fratris suæ matris Leonis X. eundem rubeum pileum. quo ipse ab Innocentio VIII. honoratus est, accepit. Quare Benedictus XIII. insignium virtutum æstimator, & de Ecclesia Romana optimè meritorum ponderator virorum, Camillum Cybo Sacrâ Purpurâ 23. Martii 1729. exornavit, congratulante sibi universo purpuratorum Patrum sacro Collegio de incremento sui splendoris, gloriæq; decore, nec non universâ Româ, quæ, quantis in promotione tanti viri ad Cardinalitiam dignitatem deliciis afflueret, publica gestientis animi edidit signa festis passim accensis ignibus, qui Genuensis Reipublicæ juncti nocturna cœli caligine erepta, diem terris attulerunt, prompta, quæ Genua vocatur, sua, quæ modò flexo animo suum in purpura adorat concivem, coram eo, cœlo dante, in Pontificem suffecto, genua flectere.

No. XCI.

FRANCISCUS BURGHESIUS ROMANVS

FRanciſcus Burgheſius Romanus S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Petri in Monte-aureo, Archiepiſcopus Trainapolitanus Sacri Palatii Præfectus, ex illuſtriſſima, & per orbem univerſum decontatiſſima Burgheſiorum familia oriundus Romæ primam aſpexit lucem die 20. Junii 1692. Proſapia Burgheſia antiquiſſima eſt, atque nobliſſima, tam Urbi Romæ, quàm Romanorum Principum ſingulare decus, & ornamentum, ex ea prodierunt togâ & ſago præſtantiſſimi ac ſumma omnium commendatione digniſſimi viri, quorum excelſa merita, ut omnem Arithmeticæ tranſcendunt numerum, ita nulla deprædicationis periodo circumſcribi, aut coarctari poſſunt. Prætermitto itaque quàm plurimos, qui ſteriles Scriptorum pennas longa hiſtoriarum materia fœcundare poſſent; unum aggrediar commendandum Paulum V. Magnum Romanis, ac venerablile omnibus nomen, qui ante aſſumptionem ad ſummum Pontificatum Camillus Burgheſius audiit, & iam tunc præclariſſimis Urbi Romanæ inclareſcens meritis, poſtmodum in ſummam evectus ſedem toti illuxit orbi miris, atque ſtupendis factis. De Immortali gloria tanti Pontificis præſtat nihil, quàm pauca dicere, ne ineptitudine calami laus tanti viri potiùs obſcuretur, quàm multa verborum ambage illuſtretur. Erat Paulus V. verus Apoſtoli Pauli imitator Apoſtolico agitatus ſpiritu, inflammatus zelo, cui anguſtior mundus Europæus, in remotiſſimas orientalis Indiæ Regiones ſeſe diffudit, ubi Hiſpaniarum Regis ditioni ſubjectam Civitatem Crangoram Archiepiſcopali dignitate condecoravit, ſub titulo Sancti Thomæ Indiarum Apoſtoli, adjectis aliis Diœceſibus, Diaconatibus, & Archidiaconatibus per Indiam, & Perſiam hinc inde diſperſis, conſtitutus ſuper his erat Archidiaconus, Georgius nomine, qui 1599. cum 253. ſibi ſubditis Sacerdotibus, aliisque ad hoc deputatis 671. qui omnes hæreſi Neſtoriana infecti, & à Romana Eccleſia deſciſcentes Diamperæ in India Urbis comparuêre, quorſum etiam Goæ Archiepiſcopus Alexius de Menſes illuſtre ex S. Ordine D. Auguſtini Eremitarum ſydus cum ſuis Catholicis ſe ſe contulit: ubi more Catholico celebrata ſynodus Divina aſſiſtrice providentia adeò auſpicatum ſortita eſt exitum, ut Georgius Archidiaconus cum toto, quem comitem habuit, clero, deteſtato priſtino ſuo errore ac ſchiſmate ejurato, in gremium Matris Sacræ Romanæ Eccleſiæ cum prompta,

ac



Franciscus Burghesius, Romanus Archiepiscopus Traianopo, litanus, Sacri Palatij Apostolici Prefectus, S.R.E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. Dño. N. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 6. Iulij 1729.

Cum Grat et Priv: Sac. Caes. Maj. — Iohan Christoph Kolb. exc: A.V.

91.

No. XCI.

FRANCISCUS BURGHESIUS
ROMANUS

FRanciscus Burghesius Romanus S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Petri in Monte-aureo, Archiepiscopus Trainapolitanus Sacri Palatii Præfectus, ex illustrissima, & per orbem universum decontatissima Burghesiorum familia oriundus Romæ primam aspexit lucem die 20. Junii 1692. Prosapia Burghesia antiquissima est, atque nobilissima, tam Urbi Romæ, quàm Romanorum Principum singulare decus, & ornamentum, ex ea prodierunt togâ & sago præstantissimi ac summa omnium commendatione dignissimi viri, quorum excelsa merita, ut omnem Arithmeticæ transcendunt numerum, ita nulla deprædicationis periodo circumscribi, aut coarctari possunt. Prætermitto itaque quàm plurimos, qui steriles Scriptorum pennas longa historiarum materia fœcundare possent, unum aggrediar commendandum Paulum V. Magnum Romanis, ac venerablile omnibus nomen, qui ante assumptionem ad summum Pontificatum Camillus Burghesius audiit, & iam tunc præclarissimis Urbi Romanæ inclarescens meritis, postmodum in summam evectus sedem toti illuxit orbi miris, atque stupendis factis. De Immortali gloria tanti Pontificis præstat nihil, quàm pauca dicere, ne ineptitudine calami laus tanti viri potiùs obscuretur, quàm multa verborum ambage illustretur. Erat Paulus V. verus Apostoli Pauli imitator Apostolico agitatus spiritu, inflammatus zelo, cui angustior mundus Europæus, in remotissimas orientalis Indiæ Regiones sese diffudit, ubi Hispaniarum Regis ditioni subjectam Civitatem Crangoram Archiepiscopali dignitate condecoravit, sub titulo Sancti Thomæ Indiarum Apostoli, adjectis aliis Diœcesibus, Diaconatibus, & Archidiaconatibus per Indiam, & Persiam hinc inde dispersis, constitutus super his erat Archidiaconus, Georgius nomine, qui 1599. cum 258. sibi subditis Sacerdotibus, aliisque ad hoc deputatis 671. qui omnes hæresi Nestoriana infecti, & à Romana Ecclesia desciscentes Diamperæ in India Urbis comparuêre, quorsum etiam Goæ Archiepiscopus Alexius de Menses illustre ex S. Ordine D. Augustini Eremitarum sydus cum suis Catholicis se se contulit: ubi more Catholico celebrata synodus Divina assistrice providentia adeò auspicatum sortita est exitum, ut Georgius Archidiaconus cum toto, quem comitem habuit, clero, detestato pristino suo errore ac schismate ejurato, in gremium Matris Sacræ Romanæ Ecclesiæ cum prompta,

ac




Franciscus Burghesius, Romanus Archiepiscopus Traianopo, litanus, Sacri Palatij Apostolici Prefectus, S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. Dño. N.o BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 6. Iuly 1729.

Cum Grat. et Priv: Sac. Caes. M. — Iohañ Christoph Kolb. exc: A. V.

ac filiali se conjecerit, quorum exemplum non solùm omnis ab eorum ore dependens secutus est populus, sed & innumeri infideles, & Pagani detestatis suorum errorum tenebris, aqua sacri baptismatis abluti, christiana amplexi sunt fidei dogmata. Quantam verò cordis lætitiam Archiepiscopus Menesius, & re intellecta Paulus V. circa omnia hæc sacerrimè pertractata, senserit, captu difficile est, difficiliùs scriptu, considerato præsertim, quòd in opere tam pio, Deóque grato tantum laboris impenderint tres immediatè antecedentes summi Pontifices Gregorius XIII. Sixtus V, & Clemens VIII. Sub anno 1599. magnum illud ex 900. gravissimis viris consistens in India orientali congregatum fuit Concilium, re tamen infecta, donec Paulus V. ultima adjecta manu totum hoc spirituale negotium ad exoptatum perduxerit finem, & ad confirmandos tum paulò ante ab Ecclesia Romana desciscentium tum Christo recenter regeneratorum animos, magno cum conatu, & immensis factis pecuniarum expensis Archiepiscopatum ibidem erexerit anno 1607. secundo sui Regiminis. Non minori perfusa gaudio Pauli V. gestiebat mens post fluxum octo annorum, hoc est anno 1615. audito, quòd Ecclesia Asiatica in Paphlagonia cum suo Antistite Gabriele Gangrensi renunciato Græcorum schismate, Romanæ Ecclesiæ reconciliata se univerit, quod contigit hoc anno Mense Januarii, sub cius finem geminata fuit summi hujus Pontificis lœtitia, videntis Regis Idatæ, Voxuæ in Iaponia ablegatos, post emensa tot millia milliarium Romam adventantes, & sui Regis nomine deosculantes pontificios pedes, Obedientiam, & in fide Catholica constantem perseverantiam jurantes. Intercurrente hoc tempore anno nimirum 1609. plures Persiæ Imperatores quàm Reges Romam Legationes expedierunt, factæ suæ Beatidudini Pauli V. supplices, renuntiantésque, qualiter magno animarum Zelo RR. PP. S. Ordinis Eremitarum D. Augustini, fidem orthodoxam labefactatam, olim quidem in Persia florentem, de novo iterum passim in Provinciis erigerent, crucísque decorem replantarent, quos ingenti cordis jubilo Paulus auditos, pretiosísque donatos muneribus, sed pretiosioribus insignitos sacræ fidei dogmatibus, à se dimisit. Cùm verò enumeratæ nationes, quæ ultrò Apostolicæ sedi duce divina gratia se subdiderunt, solâ plerumque Arabicâ usæ sint linguâ, Paulus V. solicitudine paterna instituit, ut in Academiis Catholicis (quæ & studia generalia vocantur) apud Regulares præsertim præter linguam latinam etiam Hebraica, Arabica, & Græca docerentur, quatenus tales ad fidem orthodoxam conversæ gentes sufficiens doctrinæ pabulum ex informantium ore invenirent. Hoc eodem currente tempore alii etiam ex Africa, ex Regno Congo Legati coram Paulo V. Pontifice comparuêre, missi ad eum à noviter ad fidem converso Rege, qui suo nomine filialem obedientiam & prompta obsequia Vicario Christi deferrent. Hoc ipso anno 1615. felicissimus iste Pontifex ad suos pedes abjectos vidit ex utraque India adventantes nonnullos ex Societate Jesu præstantissimos viros, nimirum ex Perù, Paraquaria, & Mexico occidentalis Indiæ, paritérque ex Malabarica, & China orientalis Indiæ, novum Romæ electuri sui Ordinis Generalem Præpositum, qui postmodum unanimis votorum suffragiis fuit nobilis Romanus Mutius Vitelescus, qui omnes unà secum ad pedes more Catholicò suæ Sanctitatis prostrati Ecclesiarum in utraque India erectarum statum annunciantes, & qua par est, eum animi submissione commendantes, Apostolica benedictione impertita, insignia remunerationum dona à sua Sanctitate reportarunt, insuper pretiosissimis donati libris, variisque gratiarum Apostolicarum indultis decorati Româ profecti sunt. Jubilum verò mentis Pauli V. cujus lingua explicabit, aut calamus exprimet? Non Asiam, Africam, Americam, sed & Europam, diversis infectam hæresibus, ac damnandis sectis, suo complectabatur Apostolico Zelo Paulus V. hinc totus erat in evertendis sacræ fidei contrariis dogmatibus, quem egregiè juvit incredibilis animarum ardor D. Francisci Salesii Episcopi Geneveræ, qui divinâ succensus flamma ipse solus septuaginta duo millia hominum Calvinianis imbuto-

butorum erroribus ad fidem Orthodoxam convertit, illustrissimorum pariter & doctissimorum non parvò in numero. Hos inter Apostolicos sudores, quis sufficiat tanti Pontificis gestientis animi conceptos enarrare jubilos? Porrò pro omnibus Ecclesiis maximam Paulus iste curam gerens, hanc præ aliis suis Antecessoribus nactus est à DEO vita comite, felicitatem, quòd splendidissimo magnificentiâ in toto Christiano orbe templo Divi Petri in Vaticano immensis extructo impensis ultimam imposuerit manum, Deoq; ter Opt. Max. dedicaverit, in cujus perpetuæ memoriæ signum in magnificentissimo propylæo Pauli V. templi hujus consummatoris nomen intuentium obiicitur oculis, lectores admonendo, quòd ipse tantum ædificium non ex materia duntaxat, lignis, ferro, & lapidibus subministratis, ædificaverit, sed & suis ad Deum fusis precibus, pietatis exemplis, & relictis Apostolicæ doctrinæ sacris constitutionibus, quarum 121. exstant, fulcierit, moribus enim, referente Henrico Spondano, incorruptissimis, ac vitâ illibata claruit, quibus universum mundum illustravit, dignissimus in terris Vicarius Christi, Splendor Burghesiæ prosapiæ radiantissimus, decor Romanæ sedis, & sydus orbis. Ex hac igitur oriundus stirpe Franciscus noster non minores animi dotes, virtutésque complectitur, Principe adeò excelso, cujus magnitudinem Roma laudibus effert, dignas, eximia namque ipsius comitate ipsa natura quasi gloriatur, divitem in hunc singulari quadam voluptate se effusam esse, ut tanquam in proprio palatio honorata, omnium animos occulta amoris vi in solo Francisci Purpura delectaret, & ne attractivæ virtuti aliquid ex omni parte deesset, perfudit labia facundiæ amœnitate, linguam gratiæ sapore, quâ in verba soluta pronas audientium voluntates ligaret. Gracili dein ac vasto rerum gerendarum ingeniô fœcundus, Sacræ æquè ac politicæ Reipublicæ versatili utitur prudentiâ sinè personarum acceptione, pauperum pariter ac divitum, debilium ac potentum causas ad Themidis leges incorruptâ ponderans trutinâ. Insignes suæ doctrinæ thesauros virtuti pietati ac Religionis Zelo in dotem dedit, quibus desponsatum Benedictus XIII. annuli Archiepiscopalis indissolubili nexu cum Ecclesia Traianopolitana maritavit, & Cameræ Apostolicæ constituit Præfectum: denique suffragantibus excelsis meritis Purpurâ decoravit sua altè fata Sanctitas Franciscum, quem ob præcipuam tractandarum rerum peritiam, ac singularem sapientiæ laudem in optatissimum membrum & Assessorem sibi delegerunt, obtinuerúntque Congregationes variæ, videlicet Consultationis, Consistorialis, Aquarum, boni Regiminis, Pontinarum, Paludum, Lacuúmque: munia profectò, quæ dum Summam in administrando prudentiam requirunt, multorum humeros defatigarent, solus Franciscus Burghesius impigrè sustinet, est autem Franciscis valde familiare Vaticanum Atlanticis viribus fulcire succolareq;, donec Ecclesiasticis diu exantlatis laboribus in præmium meritorum detur Triregni diadema, ultimum nostri Purpurati Principis Francisci messarum in terra virtutum ornamentum.

No.





Fr. Carolus Vincentius Maria Ferreri, Niciensis in Provincia Provincia, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Alexandrinus, S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus à SSmo. Dño. Nro. BENEDICTO PAPA XIII. in Consistorio secreto die 6. July 1729.

Cu. Gratia et Priv. Sac. Cæs. Maj. — Johan Christoph Kolb exc. AV.

92.

No. XCII.

CAROLUS VINCENTIUS FERRERIUS NICIENSIS.

Ordinis Prædicatorum.

CArolus Vincentius Ferrerius Nicienſis in Provincia Provinciæ Epiſcopus Alexandrinus, S. R. E. Presbyter Cardinalis Aſſeſſor Congregationum S. Officii, Epiſcoporum, & Regularium, Examinis Epiſcoporum, Diſciplinæ Regularis, Immunitatis ac Rituum, natus eſt Nizzæ die 13. Aprilis anno 1682. ex Illuſtriſſima Ferrariorum proſapia Principum in Maſſerano oriundus. Inſigne hujus ſtemmatis ornamentum fuit Sebaſtianus Ferrerius, qui fidiſſimis ſuis Duci Sabaudiæ dedicatis obſequiis, tantis ſua indnſtria, ac licitis mediis excrevit divitiis, ſuique nominis famam ac gloriam diffudit, ut Ludovicus XI. Rex Galliarum in ſuæ aulæ ſplendorem ipſum accerſierit, non ſinè fœnoris decore, lucríque emergentis nitore, ipſius namque uſus magnanimitate, atque opulentia ad ſtatus Mediolanenſis conſervationem remanſit Rex poſt Sebaſtiani mortem trecentorum millium aureorum debitor. Splendet etiamnum Roma erectis ab ipſo magnificis Palatiis in monte di Cavallo, & Borgo, Pedemontium extructis munitis arcibus, Mediolanum, Vercellum, Biela, Ivrea, & Auguſta Taurinorum ſumptuoſiſſimis ædificiis, & paſſim per civitates ad Dei cultum augendum ædificatis Eccleſiis. Inter alia emicat nobiliſſima ipſius & profuſa liberalitas, & pientiſſima in Deum Religio ex fundatione Monaſterii Canonicorum Regularium D. Auguſtini Bielæ, quibus alendis duo millia conſtituit annuatim florenorum. Attigit octuageſimum ætatis ſuæ annum, viſa quarta quatuor filiarum, novémque filiorum ſuorum matrimoniis maximè conſpicuis familiis junctorum generatione, quorum duo Cardinalitia purpurâ Romanam Eccleſiam illuſtrarunt, Joannes Stephanus Epiſcopus, primùm Vercellenſis, deinde Bononienſis, quem inexorabilis mors anno 1510. ætatis verò ſuæ 36. purpurâ exutum, triſti obſcuravit funere, & Bonifacius, Epiſcopus Vercellenſis poſt obitum ſui fratris à Leone X. creatus Cardinalis 1517. dictus Cardinalis de Ivrea, quia & ibidem Epiſcopali dignitate fulgebat, auctus poſtea Epiſcopali munere Eccleſiæ Nicienſis. Intereat trinæ ſummorum Pontificum electioni, Adriani VI. Clementis VII. & Pauli III. locò cujus in ſe transfuſa autoritate in œcumenico Tridentino Concilio præſidebat. Poſtea Bononi-

noniam abiit Legati à Latere insignitus charactere, ubi pro tenuioris fortunæ nobilibus alendis Collegium fundavit; tandem Porti denominatus Episcopus, Principatu Masseranensi, multisque aliis in Pedemontio sitis locis suam familiam ditatam decoravit. Fatis concessit Romæ 1543. Petrus Franciscus Ferrerius S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Vercellensis natus Bielæ in Pedemontio filius Godefredi Dynastæ de Casalevalone Præsidis Mediolanensis Magistratûs à Rege Franciæ constituti, qui fuit unus ex novem prædicti Sebastiani filiis, magno sibi scientiarum thesauro collecto Romam ad aulam Pontificiam se contulit, ubi munere Referendarii Apostolici egregiè functus, Vercellensis Episcopatus dignitate est honoratus, qua fulgens Concilio Tridentino interfuit, & à Pio IV. postquam summa cum laude Venetiis Apostolici Nuntii personam sustinuit, rubrâ in prœmium tanti viri meritorum, galerâ coronatus fuit, resignato pontificali honore Vercellensi Guidoni Ferrerio, filio Marchionis Sebastiani de Romagnano, & Matris Magdalenæ Boromeæ, nepoti verò altè fati Cardinalis Petri Francisci. Guido omni pietatis studio à teneris annis imbutus, ac elegantiâ litterarum excultus, Philosophiæ operam navit, cujus scientiæ arcanis perspicaci suo ingenio penetratis, utrique juri se se Bononiæ applicuit, promotus ex utroque ad supremos Doctoratûs honores omnes Themidis alumnos in admirationem rapuit, Romam deinde vocatus, sacratos Cardinalis sui Nepotis in se expressit mores, rebúsque difficillimis ad Romanæ Reipublicæ summæque sedis emolumentum feliciter confectis suum Castorem Pollux in cœlo sacri Collegii purpuram, quam ab eodem Pio IV. ob insignia sua merita accepit, indutus reciproco benignitatis aspectu est oblectatus, ex quo in Romandiolam missus est tanquam Legatus Pontificius, Romæ verò, postquam duo Vercelli fundavit collegia, pientissimè obiit anno 1585. Tales ac tantos viros immortalia illustrissimæ familiæ Ferrerensis ornamenta prædecessores habuit noster Carolus Vincentius, quorum insecutus virtutum vestigia, & ipse suo ascensum purpureum pede attigit, charitate in primis, & omni pretioso meritorum lapide constratum. In tenerrimo ætatis suæ flore speciosissimos jam ostendit fructus honoris & honestatis, saluberrimo influxu radiantis in D. Dominici fronte stellæ quondam maturandos in horto Prædicatorum Ordinis, in quo desponsatis cum Religionis virtute altissimis scientiis brevì in virum consummatum evasit: nam Vincentius Ferrerius in Ambonis, in cathedris Thomas Aquinas audiebat, illum in vi dicendi, hunc in docendi munere imitatus. Ideo enim sacræ Prædicatoriæ familiæ adscribi voluit, ut scopum lemmatis, quod illa in sacra sua parma expressum gerit, *Laudare, benedicere, & prædicare*, manu, opere, & linguâ attingeret: audientium namque animos, quocumque volebat, sed semper ad bonum, rapida suæ eloquentiæ vi attraxit, &, quot discipulos habuit, tot lucidas stellas fixas non errantes cœlo Thomistico efformavit. Audiamus vivæ vocis oraculum sacerrimi Pontificis Benedicti XIII. quod fudit in Consistorio secreto die 6. Julii 2729. creando Vincentium Ferrerium Cardinalem. „ Intendimus, inquit, sanctissimus Pater, Venerabilem Fra„trem Vincentium Ferrerium nostri Ordinis Prædicatorum sacræ Theologiæ Magi„strum, & in publicis Universitatibus perplures annos Artium, ac sacræ doctrinæ „ Lectorem laudatissimum Episcopum modò Alexandrinum.“ Nempe Alexandrinæ, quam celebrem Urbem in statu Mediolanensi sitam duo amnes Tanarus, & Bormida complectuntur, ejúsque munitissima propugnacula præterfluentes amico murmure defendunt. Anno 1707. hæc Urbs ab invictissimo Imperatore Carolo VI. consentiente Rege Catholico in feudum Imperiale cum adjacentibus terris, certis sub conditionibus concessit Sabaudiæ Duci modò Sardiniæ Regi, qui Majestatis suæ in purpuratum Vincentium nostrum transfusa personâ, cum Summa, ac vix unquam visa simili pompa, solemni celebrato in principem Orbis Urbem ingressu, Romæ Legatum constituit ac suæ coronæ sceptrique arcanorum, & consiliorum arbitrum ibidem esse voluit, ut vel hinc Regia purpura in purpura tanti Prælati toti fieret

mundo

mundo magis conspicua. Erubuit quidem purpuratus candor, tantos impensos sibi honores, maculam reputans humilis emissæ Professionis, sed ex hoc ipso agnovit polymitam tunicam filii sui humilior Benedictus XIII. summus Pontifex ejusdem Ordinis, & Professionis, plurimùm in Domino gavisus, eandem Purpuram, qua Cónfratrem suum ipse texit, à Regibus summo in honore haberi. Vidisses sacram pugnam Vincentium olim, inter & nunc Vincentium, hic ut victus videretur, ad osculum pedis ruit, ille, ut vinceret, è throno surgit, ambo victi, atque victores in mutuos ruunt charitatis amplexus, ut magnetica Ferrerius virtute pietatis attractus, altissimè Benedicti Pontificis effigiem impressam ad summi usque fastigii exaltationem conservaret.

No. XCIII.


ALAMANNUS SALVIATI FLORENTINUS.

ALamannus Salviati Florentinus S. R. E. Cardinalis nobilissimâ Florentinos inter, ac de Hetruriæ Ducibus optimè merita progenie ortus, natales suos pulcherimæ in Italia urbium, Florentiæ debet. Joannes, qui primam Lucem Florentiæ aspexit 1467. lumen verò oculorum immatura nimis irruente in eum morte clausit 1504. hodie felicissimè Regnantis Magni Hetruriæ Ducis protoparens ex Catharina Sfortia Galeacii Mariæ Ducis Mediolanensis filia filium progenuit pari parentis nomine Joannem, insignem belli Ducem, armatam cujus dexteram, animiq; robur suô damnô experti sunt Florentinorum tunc conglobati hostes Veneti, Galli, Rhæti, Helveti, & Hispani, sed invida generosæ adeò Martis proli fortuna, Acroventi sclopetario globo trajectæ ulteriorum rotam stitit trophæorum anno 1526. Conjux ipsius fuerat Maria Jacobi Salviati filia, ex qua 1519. natus est alter & Sapientia & Opulentia Salomon Cosmus I. postmodum titulo Magni Ducis à Pio V. insignitus, aureâque coronâ honoratus, à quo proinde omnis ut à sole in reliqua sydera Lux diffunditur, ita in Florentinos Statúmque totius Hetruriæ depluerat felicitas. Nullum ni fallor, Regnum, aut Provincia tot progenuit, ut Toscana terra Pontifices: cum moderno Ecclesiæ Orthodoxæ Monarcha sex numerabis, quos sola Florentia Vaticano dedit: tres ex Serenissima Medicæa Domo Leonem X. Clementem VII. & Leonem XI. & tres ex illustrissimis Familiis, Aldobrandina Clementem VIII. Barbarina Urbanum VIII. &, quo nunc in præsentiarum gaudet Christianus Orbis Corsiniana, Clementem XII. Laudatissimos & cunctis Gentibus memorabiles in terra Christi Vicarios. Et Leo quidem Princeps mitissimus in omnes, liberalis in quemquam, pacificus, comis, & affabilis, tenáx, justitiæ sinè personarum acceptione, nunquam suis nova vectigalium, censuum, & tributorum onera imposuit subditis, relicto populo Romano in dubio, an retroacta tempora simili gavisa sint Pontifice, adeò benignè Romam gubernante, eámque splendidissimis ædificiis decorante: unde Senatus, populúsque Romanus permotus ipsius honori magnificam de marmore statuam erexit hac inscriptione exornata. „Optimo Principi Leoni X. Pontifici Maximo, ob restitutam, instauratámque Ur„bem, aucta sacra, bonásque artes, vectigal sublatum, adscitos Patres, datum Con„giarium S. P. E. R.“ Laus profectò non nisi celsissimæ summorum Principum in regendo Sapientiæ, ac magnificæ virtuti debita, & quam ad vivum modernus sacræ Romanæ Ecclesiæ Monarcha è cœlo datus exprimit Clemens XII. Quid enim orbis Chri-



Allamannus Salviati Florentinus Protonotarius Apostolic. Præses Urbini S.R.E. Presbyter Cardinalis Creatus à SS̃mo D̃no. Nr̃o. BENEDICTO PAPA XIII in Consistorio secreto habito in Palatio Vaticano die 8. February 1730.

Cum Grat. et Priv. Sac. Caes. Maj. — Ioh. Christoph Kolb excud. A.V.



Christianus ulteriùs desideret, quàm in omnem partem vigilantissimum & super gregem sibi commissum fidelem Pastorem habere? annon ea virtutis est vis, quæ etiam juratos hostes disertos facit in eos, quos oderunt. Audiatur vel unus Martinus Lutherus, qui ab Romana Ecclesia desciscens, sed nondum à rugitu Leonis anathematis fulmine ob passim per Germaniam enormes sparsos hæresum errores tactus, hunc Leonem super nubes extulit encomiis, comparans præstantissimum universalis Ecclesiæ Patrem divis Prophetis Danieli, & Ezechieli, eúmque Agnum innocentem indigitans in has voces erupit. „ Interim tu Leo, sicut agnus in medio luporum sedes, „ sicut Daniel in medio leonum, & cum Ezechiele inter scorpiones habitas &c. „ Hac affectione tactus, dolui semper optime Leo, his te sæculis Pontificem factum, „ qui melioribus dignus eras. *Et paulo inferiùs hac in eadem epistola*, celebratior, „ *inquit*, & augustior est in omni terrarum orbe vitæ tuæ inculpatæ fama, quàm ut à „ quovis vel maximi nominis possit quavis arte impeti. Utinam verò hæc verba fuissent hominis constantis, & non apostatæ pravo corde machinantis malum, & omni tempore jurgia seminantis. Asperis certè non est usus Leo, sed lenibus, & ut faciliùs corrigeret pœnitudo, quem nulla deformâsset abjectio, agni naturam Leo retinuit, ut devianti redeundi præberet, & deposito in Ecclesiam furore resipiscendi occasionem: debuerat certè adhibita tanta in eum benignitate redire, & suavi increpatione sui erroris admonitus, Leonis magnanimitatem sinè aperta confusione humiliatus amplecti: nam magnanimo satis est corpus prostrâsse Leoni. Quid ergo ultra debuit facere Leo viti bis mortuæ, & non fecit ei? an quòd expectavit, ut faceret uvas, & fecit labruscas, fel draconum toti penè Germaniæ, & venenum aspidum Ecclesiæ universæ progerminantes insanabile? Secundus è Magnis Hetruriæ Ducibus Maximus-Pontifex fuit Clemens VII. felicissimus infelicissimorum temporum ex fratre, Leonis X. nepos, qui super malitia Martini Lutheri tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, si clementiâ nequeam, gladiô Spiritûs oris mei, & qua valeo auctoritate Vicaria Christi perversa hominis perversi dogmata: quem in finem, cum Imperatore Carolo V. suis ipse manibus Bononiæ 1530. die Divo Apostolo Matthiæ sacro, in quem Caroli Dies incidit onomasticus, coronato, ablegavit Nuntium Apostolicum Thomam Campegium Feltrensem Episcopum virum doctissimum, & singulare Prædicatorii Ordinis ornamentum, ad Augustæ celebranda Comitia, ubi sacer Antistes cum aliis præstantissimis Orthodoxæ Ecclesiæ Theologis Lutherum armis & oris & calami aggressus ita ejus confutârat impia dogmata, ut unanimi Electorum ac Principum Imperii (quinque si demas) in Comitiis congregatorum, & omnium Civitatum Imperialium, præter sex, sententiâ, fuerint tanquam pestifera damnata, execrata. Unde illa gemebunda Philippi Melanchtonis vox: *Augustæ atroci sententia damnati sumus*. Erat quippe Clemens VII. ut præstantissimi de ipso testantur Scriptores, Sapientissimus, non minùs, ac in omnes sui pastoralis muneris partes perspicacissimus Princeps & Pontifex, quàm immobilis Petra in tuendo Sacrorum Canonum jura, atque sacra fidei dogmata illibata servando. Talem experiebatur infelix ille & profligatæ vitæ Princeps Henricus VIII. Angliæ Rex, qui rupto indissolubili Matrimonii vinculo cum legitima sua Conjuge Catharina nata Arragoniæ Regina, cujus repudiatæ locò ut posset desponsari cum lasciva Anna Bolena, Clementis insanis continuò petitionibus aures pulsavit, sed surdas Ulyssis instar, neque enim decuit sceleri adeò detestando summi Pontificis & Christi Vicarii sententiam favorabilem utpote conscientiæ, & divinæ atque humanæ legibus contrariam, expectare, monita verò salutaria, adhortationes paternas, & adjunctas lacrymis preces dehortatorias, quibus turpe Veneris incendium in Regis corde extingueret Clemens, animi demissione excipere Henricum, quem proinde omnia salutaria spernentem medicamina justo anathematis fulmine prostravit Ecclesiæ orthodoxæ Jupiter: esto, quòd Henricus ad tanta tonitrua surdæ aspidis instar gremio Ecclesiæ

Matris scisso, abortivæ hæresis prolem sui Regni in hanc usque horam reliquerit hæredem. Tertius ex Serenissima Medicæa prosapia thronum D. Petri ascendit Leo XI. sed vix ibi considens præmaturis fatis concessit, cujus universæ Ecclesiæ deplorandum excessum Gualterius in sua tabula Chronographica suis comitatur lacrymis: *factum est*, inquit, *vel indignitate peccatorum nostrorum, vel meritorum ejus cumulô id exigente, ut Ecclesiæ non licuerit eo diu perfrui.* Sedit enim non plures quàm 27. dies, integro sæculo dignus, cujus prudentiæ atque consilii operâ ante Pontificatum fœdera pacis Hispanos inter & Gallos inita stabilita sunt: quid non in dignitate Pontificia constitutus egisset, qui Cardinalititâ tanta effecit ad totius Christianæ Reipublicæ emolumentum, & gaudium? Alios verò, quos territorium Hetruscum protulit summos Pontifices, octodecim reperies, ex quibus tres Linus D. Petri Apostolorum Principis proximus Successor, Gregorius VII. & Joannes I. Sanctorum fastis adscripti sunt. Cardinalium Florentinorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Sacrorúmque Dynastarum numerus Arithmeticam excedit, quos inter suo tempore ex illustrissima Salviatica familia floruerunt, & pietate, & sapientia commendatissimi Cardinales, Bernardus, & Joannes duo germani fratres. Primus fuit Claremontanus Episcopus, & Catharinæ de Medicis Franciæ Reginæ Eleemosinarius, alter Archiepiscopus Traniensis in Hispaniam postmodum & Galliam Legatus missus, cujus operâ dissidia inter Clementem VII. Pontificem, & Carolum V. Imperatorem orta componerentur. Hos in suæ Purpuræ decore sequitur noster Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Alamannus Salviati, ex Protonotario Apostolico, ac Legationis Urbinatis Præsidente, quibus in muneribus optimè de Ecclesia Romana promeritus à Benedicto XIII. fel. mem. die 6. Febr. Anno 1730. Cardinalis renunciatus est, decima quinta videlicet ante mortem summi Pontificis die, ut manifestum omnibus esset, tunc denique eum, cujus memoria in benedictione est, è Petri Cathedra, vitáque *discedere* potuisse, quando alium Alamannum scilicet nostrum, cui totus acclamabit orbis: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, in Eminentissimorum Cardinalium Collegio, in futuræ successionis spem constituisset: vel potiùs post creationem 29. Cardinalium durante suo acerrimo Regimine, videns omnes esse valde bonos, requievit Benedictus XIII. in sancta pace die ter septimo id est 21. Febr. 1730. ab universo opere, quod patrarat. Ut autem post mortem creati Creatoris, Ecclesiæ, & Sacri Collegii Cardinales uno ore enarrent gloriam immortalem Benedicti XIII. placuit Sanctissimo Successori Clementi XII. neo-Purpurato os reserare, quod nunquam utriusque tacebit laudes, donec labra purpurata in Purpurato Alamanno, ab utroque beneficato, vel etiam ad triregnum sublimato, vitam ad totius Ecclesiæ utilitatem spirabunt.

NB. Finiunt hîc Cardinales Eminentissimi à summo Pontifice Benedicto XIII. fel. mem. creati. Sequentur à moderno Sanctissimo creati creandique, eâdem, quæ nunc exstat, formâ elapso uno alteróve mense.